




75-2

1. 00. 8

14



No. 1
7-280



Priloga Univerzitetu

GRANAT

Gr. A

12

280

~~A~~
L869

N^o. del Collegio de' uincini^a. de' frate^a de' granada

EPISTOLA PRIMA

R. 4099

D. PETRI, APOSTOLORVM PRINCIPIS,
Summa Christianæ religionis mysteria
breuiter & absolute complectens:

B.

Commentariis, ac variorum locorum
communium tractatione, explicata, per
F. FRANCISCVM FEV-ARDENTIVM
ord. Minor. Paris. Theologum.

*Ad lectiss. & clariss. Turonensem
Archiepiscopum.*



PARISIIS,

Apud Sebastianum NIVELLIVM, via
Iacobæ, sub Ciconiis.

M. D C.

CVM PRIVILEGIO.



REVERENDIS-

SIMO PATRI AC DOMI-
NO, D. FRANCISCO, TYRO-
nensium Archiepiscopo, &
Gerisfaco Abbati,

F. FRANCISCUS FEV-ARDENTIUS.



QVOD te meis Commentatio-
nibus interpellem variarum
rerum cura districtum (An-
tistes ornatissime) & tenui
præconio tua audeam merita
contestari, aut des veniam,
aut ipse te culpes necesse est. Mensibus enim ab
hinc ferè tribus tantum mihi tribuisti huma-
nitatis, rerum tuarum facta oblatæque copia,
ut sine manifesta læsæ gratitudinis impietate,
committere non potuerim, quin beneficentiæ
tuæ publico aliquo gratiæ mentis testimonio
responderem. Itaque iam inde mecum sollicitè

tus agitare cœpi, quo pacto apud te in vitam gratiam, gratia remetirer. Et cum non esset aliud in manibus, præter lucubrationes in primam B. Petri Epistolam, de eadem tibi dicenda cogitavi, ut primum opus quod lucem cerneret, ex quo aditus mihi faciliores dedisti, domoque liberalissimè excepisti, tuæ præstantiæ deberi libenter confiterer: illud sperans, ut si nostra tuæ amplitudini minimè responderent, illam tamen summi Apostoli, Diuini scriptoris, totius noui Testamenti sapientissima assequeretur Epistola.

Matth. 5.
Matth. 16. Quis enim Simon Petrus filius Ionæ, nisi (vel ipso Filio Dei affirmante) lux mundi, sal terræ, Patris cælestis reuelatione beatus, regni cælorum clauiger, Ecclesiæ secundum Christum, solidum fundamentum, Dominicæ gloriæ speculator, piscator hominum, & cunctarum ouium Christi summus pastor & moderator? Aut quanta in eo diuini Spiritus gratiarum copia, quanta donorum ubertas, qui solus cum Domino se commisit rapacibus undis, & fremens durumque calcauit æquor?

Act. 5. & 9. Cuius sola corporis umbra omne morbi genus curauit: & qui solo verbo claudos erexit, votifragos exanimauit, & mortuos ad vitam reuocauit? Cuius fides, promittente Christo,

Luc. 22.

nunquam deficiet? Eiusdemque constantiæ, Math. 16.
ut nec quidem aduersus Sedem eius inferorum portæ possint præualere? Solius Petri proprium nomen in appellationem sibi propriam Luc. 5.
Christus commutauit. Solius nauim (quæ Ecclesiæ cath. typus erat) summus ille Nauclerus intrauit. Solius catenas ferreas excussit. Act. 12.
Soli portas ferreas patefecit. Soli mortem qua clarificaturus erat Deum, prænuñciauit. Io. 24.

Petrus, scribit beatus Areopagites, est L. de diuinis
Apostolorum vertex, & honorabilissima nom. c. 3.
summitas. Petrus Tertulliano iudice, ædificanda Ecclesiæ petra, Romæque Dominicæ passioni adæquatur. Petrum, ait Cyprianus, ait Cyprianus, Dominus primum elegit, & super eum edificauit Ecclesiam suam. Petrus, inquit Chrysostomus, pastor & caput Ecclesiæ, os, & princeps Apostolorum, causam fidei egit pro omnibus, primus uerbi Christi concionator, præcipuus fidei assertor, primus coëgit Ecclesiam, non ex Ierosolymitanis solum, sed etiam ex Parthis, Medis, Elamitis, Phrygiis, Libiis, Arabibus, Cretis, aduenis Romanis, & aliis ferè omnibus orbis terrarum gentibus, Petrus ait Hilarius, primus Filij Dei confessor, locutus est quod vox humana nondum Com. in
protulerat. Illi ex omnibus uiris primo Chri- Math.

stus à resurrectione apparuit, ut ei primo la-
uerat pedes.

Nec parum ad B. Petri dignitatem pertinet,
quod etiam vincula, quibus à Tyrannis vin-
ctus fuit, tanquam illustris de Satanæ mem-
bris victoriæ gloriosa trophæa. sanctorum pa-
trum encomiis celebrantur. Merito per omnes
Christi Ecclesias auro pretiosius habetur fer-
rum illud pœnalia vinculorum. Felices ca-
tenæ, quæ nudatis pœnè ossibus inherentes,
vivas reliquias de sanguinis sudore iam attrita
carne rapuerunt. Felices illi nexus, qui de
manicis & compedibus in coronam mutandi,
Apostolum contingentes martyrem reddide-
runt. Hinc vetustissimus Poëta Christianus.

his est tibi Roma catenis
Perpetuata fides; harum circunda-
ta nexu

Libera semper eris. Quid enim non
vincula præstant,

Quæ tetigit, qui cuncta potest ab-
soluere? &c.

Easdem catenas multis miraculis illustratas
scribit D. Gregorius. Quin & de illarum li-
matura pro ingenti munere ad Reges & prin-
cipes aliquid, nec sine magna utilitate creden-
tium, mitti solitum, idem testificatur. Proclus in

Act. 12.

August. ser.
29. de sanct.

Arator. in
Act. l. 1.

L. 1. epist. 30.

L. 5. ep. 6.
L. 6. ep. 23.

earum Encomio, alij Græci in Menologio tra-
dunt etiã in Oriente easdem esse venerationi.

Ad 17. cal.
Februarii.

Eiusdem etiam Apostoli sepulturæ locus
quanta religioni omnibus fuerit, etiam ab
ipsis pietatis Christianæ initiis, testis in pri-
mis locupletissimus est apud Eusebium, Caius
antiquissimus Theologus dicens: Ego Apo-
stolorum trophæa perspicuè possum ostendere.
Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in
viam quæ Ostiensis dicitur, te conferre, tro-
phæa eorum qui istam Ecclesiam suo sermone
& virtute stabilierunt, inuenies. Ab Oriente,
ab Occidente, à Septentrione, & Meridie, ab
omnibus Christianis, illuc pietatis ergò con-
cursus est. Ad limina Petri, Christo donante,
cæci illuminati, claudi reëctificati, demones
expulsi, multi à morte ad hanc vitam reuoca-
ti. Ad memoriam Piscatoris, ait Augustinus,
flectuntur genua Imperatoris. Ibi radiant
gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Pis-
catoris. Et ut Madaurenses adhuc ethnicos, ad
pietatem flectat, scribit ad eos idem Antistes.
Videtis & imperij nobilissimi culmen emi-
nentissimum (Romanum Imperatorem) ad
sepulchrum Piscatoris Petri submisso Diade-
mate supplicare. De iisdem sic Chrystomus lo-
quitur. Ipse ille purpura indutus Romam pro-

L. 2. hist. c.
24.

Ser. 28. de
Sanctis.

Epist. 42.

Hom. 26. in
1. Cor.

ficiscitur sepulchra Apostolorum complexurus: & fastu deposito, contingit Sanctos, rogans ut sibi apud Deum patrocinentur, & piscatorem, & tabernaculorum opificem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema gestans. Et idem rursus. Relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt & Reges, & Præsides, & milites. Et Constanti-
nopoli Reges nostri magnam gratiam putant, se non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque Piscatorum ostiarij Reges.

Denique in Petri memoriam, & Christi qui eum cunctis ouibus suis præfecit, venerationem, Romæ in Vaticana basilica dicitur seruari illa Cathedra lignea de qua Petrus Diuinam legem populo Romano quondam annuntiabat. Quid mirum, cum & Ierosolymis cathedra Iacobi, & Alexandria ea quæ fuit B. Marci primi eorum Apostoli diuinitimè & religiosissimè fuerit à pijs viris asseruata?

Quod si & cathedra in qua sedens docuit, & catena qua pro Christo vincetus fuit, & corporis iamdiu exanimis sacri pulueres, & sepulturæ locus tantæ sunt omnibus admirationi, venerationi, & utilitati, quanto commodiores & sanctiores Epistolæ, quas Spiritus

sancto reuelante & dictante conscripsit, ac cunctis per orbem fidelibus in pietatis monumentum dereliquit? Si tanti vitrum, quid margaritum? Enimuero quantum immortalis animæ præstâtia corpus mortale & corruptibile superat, necesse est illius studia, consilia, foetusque, & corpori, & ijs quæ corpori eius deseruierunt anteferre. Hæc vel rubigine corrosa, vel à tineis exarsa, vno tenentur loco: scripta verò animi immortalis & Diuinitus afflati atque repleti fructus sunt, ab omnibus teruntur, ab omnibus exosculantur, die nocteque leguntur, vinctque apud cunctos illorum immortalis memoria & gloria. Illa piè venerantibus, contingunt Apostolicis precibus plurima in corporibus beneficia: horum autem lectoribus in animis accenditur fides, spes roboratur, inardescit in Deum & proximum caritas, Christus in ore & oculis habetur omnium: & velut iam in cælum recepti, miris consolationibus spiritus recreatur. Has nemo nouit, nisi qui accipit.

Ac ut de priore eiusdem B. Petri Epistola ista, quam Commentationibus nostris exponere conati sumus, tantum nunc dicamus: quanto verborum splendore, quanta sententiarum gravitate, rerumque diuinarum maiestate,

Hom. quod
Christus sit
Deus.

Euseb. l. 7. c.
34.

concinuitate, simulque breuitate, aternam Dei præscientiam, Sanctorum electionem, & sanctificationem, sanguinis Christi in hos utilitatem & fructum recenset? Qua dignitate & perspicuitate cælestis misericordiæ, regenerationis humanæ, futuram corporum nostrorum resurrectionem, vitæque cælestis gloriam & perennitatem nobis insinuat? Quam aptis epithetis reseruatam nobis in cælis beatitudinem describit? Diuinam de nobis inter innumera huius viæ vitæque discrimina seruandis, sollicitudinem inculcat? Ad quæuis pro Christi nomine intrepidè alacritèrque subeunda excitat nos certamina? Salutiferi aduentus Christi fructus enumerat? Fidei Christianæ summam, finemque comprehendit? Prophetarum veterum officia refert? Quinetiam beatissimorum Angelorum sibi à sancto Spiritu reserata beatissima exponit desideria? Præcipua vitæ Christianæ docet officia? Grauiissimarum rationum momentis eadem cõfirmat? Ad religionis nostræ professionem piis moribus exprimendam & illustrandam singulos admonet, atque sollicitat? Redemptionis humanæ mysterium graphicè depingit? &c.

Sed quid ago? Cælos calamo metiri, stellâsque percensere studeo? Aut pluviæ guttus, aut

maris arenam numerare, abyssumve penetrare tento? Deficiet me profectò & tempus, & ingenium, & charta narrantem quàm paucis & selectis verbis, quanta cælorum mysteria, quanta in nos Dei beneficia, quanta denique Christi & Spiritus diuini in nos effusi dona iste Piscator hominum, & Christianæ Ecclesiæ summus moderator nobis ista epistola contemplanda proposuerit. Bona omnium venia, cum B. Hieronymo dixerim, Tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito huius Epistolæ laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.

Quorsum verò isthæc de B. Petri laudibus commemoratio? Nimirum, ut omnes pijs intelligant, quàm solida sint ea, & omnem cogitationem transcendentia, quæ seruis suis veram sapientiam amplectentibus Christus reposuit. Proinde Episcopalem dignitatem, quæ in Apostolorum successit locum, summè venerari, & religiosissimè colere Christianos debere, tanquam ordinem à Dei filio, in suo Regno, (quod est Ecclesia Catholica) summum ac præcipuum institutum, cuius honore nobis nihil debet esse antiquius. Quid? Mirificus quidem Regiæ splendor sublimitatis, quæ voce, diuinum quiddam & homine ma-

Epist. ad
Paulinum,

ius significante, MAIESTAS dicitur. Eam quocunque modo violasse, capitale est. Nihil hinc diminuo. Iubet Apostolus Regibus deferre debitum honorem tanquam præcellentibus. Cæterum si res ipsa iusta pensetur trutinæ, nullus Rex est tam magnificus quatenus Rex, quin sit infra dignitatem non dicam Episcopi, sed vicani Pastoris quatenus Pastor est. Quod si paradoxon videatur, in promptu probatio est, si utriusque functionis materiam & scopum consideres. Ille enim, scribit Chrysostomus, quæ sunt in terris sortitus est: Sacerdotij ius è supernis descendit. Regi, quæ hîc, commissa sunt: mihi, cœlestia. Regi corpora concessa sunt: Sacerdoti, animæ. Maior hîc principatus: propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis. Sed superuacaneus labor est in hoc puluere sudare. Rerum enim omnium conditorem Deum, cum primum hominem assumpsit, à Magis (quos & Reges appellat Scriptura) adorari voluisse, nemo est qui nesciat: nos ex eo apertissimè edocens, quòd hi qui ad Episcopatum legitime assumrentur, (quibus vices suas erat demandaturus) à Regibus etiam & Principibus ipsi salutandi ac venerandi essent,

Quamobrem scribit fortissimus martyr

Ignatius. Clerus unà cum populo uniuerso, Epist. 10.
 Militibus, Principibus, & Cæsare Episcopo
 pareant, Episcopus Christo, ut Christus Pa-
 tri. Quibus subscribens Ambrosius, Honor De dignitate
 & sublimitas Episcopalis (inquit) nullis po- Sacerd. 2.
 terit comparationibus adæquari. Si Regum
 fulgori compares, & Principum Diademati,
 longè erit inferius, quasi plumbi metallum
 ad auri fulgorem compares: quippe cum vi-
 deas Regum colla ac Principum submitti ge-
 nibus Sacerdotum, exosculatis eorum dextris,
 orationibus eorum se credunt communiri.
 Mira res. Ante victum & captum Israëlita- Dan. 2. &
 tam procumbit tanquam mancipium poten-
 tissimus monarcha Nabuchodonosor, nec eru-
 bescit, nec causatur quasi id suæ authoritati
 præiudicaturum. Ita enim Religioni sum-
 mum celsit Imperium, noueruntque sacris
 Imperia seruire.

Declarat hoc Theodosius senior. Nec Theo-
 dosius tantum, sed alij quoque complures Mo-
 narchæ, qui Regale sceptrum Sacerdotis au-
 thoritati submiserunt. Quid ita? Quoniam
 videbant in illis relucentes Episcopi dignas
 virtutes. Habet enim eximia virtus vim
 admirabilem rapiendi mentes hominum in
 amorem & admirationem sui. Hac Diuus

Theodoritus l. 4. hist. c. 17. *Basilium Casaræ Cappadocia Archiepiscopus, Modestum & Demosthenem Valentis Imperatoris Præfectos contempfit: ipsumque Imperatorem Catholicis infestum in stuporem adegit, & Eusebium Ponti præpositum deiecit. Hac Chrysostomus Constantinopoleos Archipræsul Eudoxiæ Augustæ restitit, Eutropium Casaris cubicularium acerbè reprehendit, & Gainam tyrannum immanem impia molientem fregit. Hac Babylas Antiochiæ ad Orontem Antistes eximius, Numerianum Casarem diuina mysteria oculis contaminatis conspicerè nitentem prohibuit.*

Socrates l. 6. c. 5. & 6. *Hac Ambrosius peruigil Mediolanensium pastor, Valentimiani iunioris, & Iustinæ matris eius Arrianismum constituere uolentium conatibus constanter se opposuit: Maximi tyranni munera respuit: & Theodosium magnum Imperatorem in ordinem pœnitentium coëgit. Hac magnus Aurelius Augustinus, Comitem & totius Africa Proconsulem Bonifacium, sacrorum communione interdixit, donec raptum de Ecclesiæ asylo restitueret hominem. Eam si præstarent hodie sacrorum nostrorum Antistites, & constanter præstarent, nondum usque adeò degenerauerunt mortalium ingenia, quin egre-*

Nicephor. l. 6. c. 33. *gria pietati honorem essent habituri.*

Epist. 187.

Hic se offert, Gueslee amplissime, in qua te Archiepiscopum, idèmq; quasi Episcoporum principem te ostendas occasio: quibus temporibus hæc tibi sit persona imposta animaduertas, quàm à virtute alienis. Cadunt in eam personam quam nunc sustines, virtutes omnes: atque ita cadunt, ut si absint, is qui honor est, honor esse desinat, vel sit etiam summa deformitas. Audacius fortè consilium: at Ecclesiæ Dei salutare, tuo nomini honorificum, & Archiepiscoporum Turonensium proprium. Tu ex gente apud Aruernos antiquissima & nobilissima, sedem tenes Turonicam, quam Gregorius Aruernæ regionis incola nobilitauit, vir non solum sanctitate, sed & doctrina clarus. Cui Martinus datus est patronus, de cuius laude scriptum est: Eius minima, aliorum maximis maiora esse. Quid igitur restat, nisi ut istum honorem pro dignitate administres, in quo nullum neque dictum, neque factum obscurum esse potest?

Sed video nec tibi aut à natura quicquam, aut à fortuna denegatum esse, quo minus hoc te dignum præbeas munere. Mihi enim de Guesleana illustri domo meditati, tot viri

illustres, omnique virtutum laude insignes
occurrunt, ut necesse sit, & omnino datum
hoc vestro generi videatur, vobis nascentibus
heroum numerus ut augeatur, alij alijs ad be-
ne agendum exemplo sitis, & vobiscum si-
mul oriantur virtutes, & cum etate crescant.
Nota satis mea simplicitas, quæ non ab adu-
latione tantum, verumetiam ab omni blandi-
loquentiæ specie vehementer abhorret: non
possum tamen quin domus vestræ claritudi-
nem suspiciã, quæ Regum in Gallia personam
negotiaque tandiu gerit. Ex qua IOANNES
pater, & IACOBVS Guesleus frater tuus,
alter seculi nostri Beneuolus, uterque inte-
gerrimus, uterq; suo Principi carus: ille Præ-
ses, hic Procurator fisci in Curia Parisiensi,
primum dico illud ad summum tribunal, om-
nibusque Parens, prodire.

Verum quid vetusta, maiorésq; prosequor?
Mihî enim demum clari illi nobilésque vide-
ri solent, non qui maiorum imagines modò,
cerásque iactant: sed qui patrum laudes imi-
tantur, & posteris sua ipsi virtute præluçet.
At, tu tibi propositam à maioribus gloriam
putasti: qui à puericia, ingenuis & moribus
& literis (quæ domus vestræ est consuetudo)
animum excoluisti, illam partem Philosophiæ,
qua

qua vrbes, populi que reguntur, quæ Iurispriu-
dencia rectissimè appellatur, secutus, non opi-
bus quæ ampla erant, non numerosis stem-
matibus, quibus plerique tument, fesus, sed
studijs animo & mente inherens, duplicem
lauream meruisti, & Casarei & Pontificij
iuris. Hac donatus in selectissimum, faci-
léque totius orbis principem Iuriscōsultorum
Senatorumque collegium accitus per decen-
nium, innocentiam, fidem, animique magni-
tudinem in rebus gerendis tractandisque con-
stantissimè præstitisti. Quòdque tibi absolute
laudis, & longissimi encomij instar fuerit,
cum Theosophiæ diuinarumq; rerum studijs,
(ne quid Encyclopædiæ institutionibus de-
esset) peculiari instinctu, vel Diuina potius
inspiratione, seridè te imbueris, ad Archiepis-
copatum demum vocatus, Ecclesiæ tuæ ita
præesse videris, quantum ferunt quidem cor-
ruptissima tempora, ut illi etiam, qui bellum,
cunctis virtutibus & pietati indixerunt,
tuam cogantur mirari constantiam, quæ à re-
cto cursu nulla huius temporis malitia dimo-
ueri possit. Hoc ipsum Præsul ornatissime,
maximè me pellexit, ut hoc literario pignore,
meum in se studium testificarer: quamquam
ut verum fatear, longè plus splendoris à te no-

Sozom. l. 7. c.
13.
Cassiod. l. 9.
c. 20.
Nicephor. l.
12. c. 19.

stra accipient, quàm vicissim possint reponere. Pro tua tamen benignitate scio, quàm sis hoc æqui bonique factururus, qui ita animum meum perspectum habeas, ut ab eo planè nihil ad te proficisci putes, nisi quod ingenuè candidum atque sincerum fuerit. Id in posterum approbare tibi rebus ipsis, quàm verborum promissis malo. Vale.

AD CLARISSIMUM ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM.

DExtra potens Christi cùm mœnia celsa Sionis
Conderet in vasti fluctibus Oceani,
Delegit solidam bis sex è rupibus unam
Cui nomen fuerat (vox minus apta) Simon.
Nomina conueniant rebus (Iubet ille,) deinceps
Aut Petrus aut Cephas hoc tibi nomen erit.
Dixerat, extemplo sublimia mœnia surgunt,
Quorum æquor basim, sed caput astra ferit.
Undique freta ruunt, venti, rapidæque procellæ,
Ast immota Sion, firmaque Petra manet.
Quinetiam innumeras genuit (mirabile dictu)
Fluctibus in mediis fertilis illa Petras.
Prima caput mundi facta est, quæ prole beata,
Partibus impleuit Celtica regna suis.
Ad Ligerim genuit Martinum, teque Gregori,
Turorum rupes: Præsul & inde subit
GVESLÆVS Petro non degener, æquora calcans
Turbida, quæ pedibus presserat ille suis.
Scitè ergo Cepha monumenta recondita pandens
Ille cui nomen feruida flamma dedit
Hoc tibi dicat opus GVESLÆE, ut te auspice fluctus
Harescôn, dentes frangat & inuidia



PROLEGOMENA
IN PRIOREM
B. PETRI APOSTOLI
Catholicam Epistolam.



I Commentariorum istorum principio dixerimus, Primò De huius Epistolæ Authore, & autoritate: Secundò, quibus missa & dicata fuit: Terriò, quo in genere dicendi versetur: Postremò, quæ sint eiusdem utilitates & partes, eam ordine & commodè explicauerimus.

DE AVTHORE ET
AVTHORITATE.

ETSI de multorū veteris & noui Testamenti librorum olim disputatum, dubitatūque fuerit authore & autoritate, nunquam tamen inter Christianos, quod sciam, in controuersiam adductum est, An hæc Epistola esset B. Petri Apostoli. Sed apud omnes qui Christianā religionē profitentur verè Apostolica iudicata est, vt illius qui à Christo inter-

Matth. 16.
Io. 6.

rogatus quid esset? respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Item: *Verba vitæ æternæ habes*. Redolet enim eius confessionis miram suauitatem, & in fide constantiam ac sinceritatem. Iudicant autem Theologi libros esse canonicos, id est, diuinitus reuelatos, scriptos, ac Ecclesiæ Cath. pro doctrinæ & fidei suæ regula traditos, vel quando à Domino nostro & Apostolis eius vt tales laudantur, veluti sunt libri Moysis, Psalmorum, & Prophetarum, quos in nouo Testamento passim in medium producunt: vel quando in canonibus tam Apostolorum, quàm vniuersalium Conciliorum, de illorum numero & ordine editis, comprehenduntur: vel cum in veterum sanctorumque Patrum scriptis ad confirmanda fidei dogmata, frequenter citantur: vel denique, cum in Diuinis officiis publicè in Ecclesijs legendi & recitandi traduntur. Constat autem tribus præsertim posterioribus probationum modis, huius Epistolæ veritatem & auctoritatem fulciri. Putat enim plurimi beatam Iudam Epistolæ suæ versu 17. ad hæc, & sequentem B. Petri Epistolam respexisse, cum scripsit: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri I + s v Christi, &c.* Deinde, in canonibus Apostolorum per B. Clementem horum auditorem & successorem Græcè collectis ac traditis; item verustissimi concilij Laodiceni, tertij Carthaginensis, Florentini, atque Tridentini decretis, hæc Epistola inter sacras litteras connumeratur. Ad hæc,

Canon. 84.
Ca. 59.
C. 47.

eiusdem auctoritate summa fidei nostræ capita communiunt Dionysius Areop. martyr, Iustinus martyr, Ignatius martyr, Cyprianus martyr, Hyppolitus martyr, Vigilus martyr, Tertullianus, Origenes, Clemens Alex. Athanasius, Hilarius, Effrem Syrus, aliique omnes veteris Græcæ ac Latinæ Ecclesiæ proceres, vt suis quibuscumque locis signabimus. Horum tantum vnus & alterius sententias subiiciam. Eusebius namque ante mille & ducentos annos scripsit. Petrus Apostolus prædicationis suæ monumenta nobis pauca dereliquit. Vna enim eius Epistola est, de qua nullus omnino dubitauit. Et paulò post. Petri, vt diximus, prima Epistola ab omnibus veteribus est recepta. Item. Petrus in quibus prouincijs prædicauerit Christum, propriis vocibus in ea Epistola, quam ipse absque ambiguitate claruit esse, designat; in qua ad eos qui dispersi erant, Iudæos scripsit. Hieronymus autem ipso statim initio libri De scriptoribus Ecclesiasticis, inquit. Simon Petrus filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaïda, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bythinia, secundo Claudij imper. anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram sacerdotalem tenuit vsque ad vltimum Neronis annum, à quo & affixus

L. 3, hist. 63.

Cap. 4.

cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublimi pedibus eleuatis, asserens se indignum quod sic crucifigeretur, ut Dominus suus. Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur, &c.

QVIBVS FVERIT DICATA.

EVSEBIUS & Hieronymus locis nuper citatis, Athanasius in Synopsi, Occumenius & Beda in com. docent scriptam & missam esse ad Iudæos conuersos ad Christum, quos præterita Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum bella, vel recentes aliorum Iudæorum infidelium persecutiones, per varias minoris Asiæ prouincias disperferant, & patrijs sedibus eiectos fecerant extorres. Sic enim & d. Iacobus Epistolam suam dicauit duodecim tribubus Israëlitarum, *qui erant in dispersione.*

Galat. 2.

Acl. 2. 3. 5. 8.

Petrus itaque Circumcisionis, id est, populi Iudaici præsertim primoque ordinatus Apostolus & doctor, qui que primus Apostolorum Ierosolymis prædicauit: deinde, in Iudæa, Samaria & Galilæa alijs frequentius docuit; rationem quoque habere voluit reliquiarum sui Israëlitis in gentibus disperfarum, easque hac Epistola in fide Euangelij semel suscepta retinere & confirmare studuit.

Hæc porro sententia & vera & pia quidem est: Interim verò negari non potest, quin & Gentilium ab idolis ad Christum conuersorum, adeoque totius Ecclesiæ Christianæ tam

ex Iudæis, quàm ex Gentibus vocandæ ac colligendæ, magna tam docendo quàm scribendo sollicitudine teneretur: quippe qui nuper à Christi ore mandatum vnà cum alijs Apostolis acceperat docendi omnes gentes: & prædicandi Euangelium omni creaturæ, etiam vsque ad vltimum terræ. Ergo vocibus istis, *electis aduenis, disperfis, &c.* omnes in Christum credentes, præsentis & futuros cuiuscunque linguæ, ætati & conditioni sint, Apostolus comprehendit. Nam vniuersi verè peregrinifumus super terram, & non sine assiduis & grauibus periculis inter profanos & improbos versamur, sicut oues in medio luporum. His adde quod manifestè de Gentibus ad Christum conuersis scribit: *Qui aliquando non* Cap. 2. v.
populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti 10.
misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.
Etenim non possunt hæc de Iudæis dici satis aptè & congruèter: quandoquidem B. Paulus idem ex prophetia Osæ desumptum testi- Ose. 2.
monium, de vocatione Gentium interpreta- Rom. 9.
tur. Et D. Hieronymus ait: Petrus quid de L. 1. adu.
vocatione Gentium sentiat, contemplemur: Iouin.
ac illicò subiicit eadem B. Petri verba. Præ-
terea, cum ipse D. Petrus nosset, se totius
gregis Christiani supremum à Christo pasto- In Scorpiaco.
rem designatum & constitutum esse, certè iustum fuit, ut omnes Epistolæ suæ verbis pasceret atque doceret. Tertullianus denique, Cyprianus, Cassiodorus, & plerique alij, hanc Epistolam non rarò citantes, aiunt, Petrum

Matth. 28.

Marc. 16.

Acl. 1.

eam destinasse ad Ponticos, quos nemo nescit
minoris Asiæ incolas gentiles fuisse.

QVO DICENDI GENERE

VSVS SIT.

TULLIVS, Quintilianus, & alij artis dicendi
principes, tria summa dicendi & scribendi ge-
nera cōstituunt, ad quæ cetera reduci possunt.
Primum vocant Demonstratiuum, cuius finis
est laudare aut vituperare. Hoc Christus vsus
est suum celebrans Præcursores, & auaritiam,
hypocrisim, ambitumque Phariseorū acriter
cōarguens. Secundum est Deliberatiuum, ad
quod pertinet hortari, suadere, consulere, per-
suadere. Etiam istud vsurpauit Christus, quan-
do de beatitudinibus, & his oppositis maledi-
ctionibus cōcionem habuit. Tertium vocant
iudiciale, estque defensiuum vel accusatiuum:
& hoc omnium maximè vtetur. Dominus in
forma postremi iudicij, dicens, *Venite benedicti,*
& c. *Ite maledicti,* & c. Huius autem Epistolæ
genus vt & omnium ferè aliarum Apostoli-
carum, non est vnicum ac simplex, sed mix-
tum. Nam maior pars primi capituli pertinet
ad Demonstratiuum, quando variis epithetis
exornat dispersos per Asiam Christianos: nūc
ab electione diuina, mundi sui que contem-
ptu, mox à sanctificatione, obedientia, regene-
ratione, & magna spe consequendæ salutis.
Deinde, vitam æternam magnis encomiis ce-
lebrat, vocans eam *hereditatem incorruptibilem,*
incontaminatam, immarcescibilem, conseruatam in

Matth. 11. &
23.

Luc. 6.
Matth. 5. &
23.

Matth. 25.

celis, & c. vt ad eius amorem & desiderium
omnium hominum mentes accendat atque
prouocet. Laudat rursus, illorum constantiã
in fide, patientiam in persecutionibus, & cari-
tatem in Dei & proximorum dilectione. Insu-
per, versatur etiam in genere διδακτικῷ, id
est, doctrinali, cum scribit, Veteres prophetas
ab initio mundi eandem nobiscum fidem &
pietatem habentes scrutatos fuisse de tempo-
ribus. Postremò, genere præferim vtitur De-
liberatiuo, quando hortatur vniuersos, cu-
iuscunque status & conditionis existant, ad
constantiam in religione Christi semel suscepta,
& studium bonorum operum, quorum luce
ac testimonio suam professionem exornent,
& hostium fidei Christianæ detrahentium ora
claudant, vt suis locis opportuniùs & ampliùs
videbitur.

SVMMA ET VTILITAS

HVIVS EPISTOLÆ.

INITIO, princeps Apostolorū quanta potest
verborum amplitudine & maiestate prædicat
summam illam gratiã & beneficentiam, quam
Deus & dēclarauit & contulit omnibus ele-
ctis per Christi aduentum, obedientiam, pas-
sionem, & resurrectionem, quæ nobis in do-
ctrina Christiana reuelentur. Atque hanc
ipsam religionem solam habere consensum
cum scriptionibus veterum sanctorumque
Prophetarum, qui in huius inquisitione, me-
ditatione, & prædicatione, ab initio mundi,

& deinceps seipfos exercuerunt. Quamobrem illa, vt antiquiffima, veriffima, faluberrima, à cunctis mortalibus audienda & feruanda eft, etfi omnium perfecutionum procellis tunc vndique furgentibus, multi ab hac fufcipienda deterrentur: multi vel exilia, vel carceres, vel acerbiffimas mortes fubire cogerentur. Grauiiffima igitur oratione omnes illos hortatur ad patientiã & constantiã, propofito exemplo Chrifti patiens: deinde, referens quãta commoda fructusque tandem adferant toleratã pro eius nomine afflictiones. Hinc ad instituendos omnium mores orationem conuertit: nec folùm in genere, fed ad fpecies quoque descendit, tradens quid fubditi debeant Magiftratibus, etiam ethnicis: quid ferui Dominis fuis, tametsi adhuc infidelibus: quid vxores maritis, & vxoribus mariti: quid doctores & pastores curã fuã cõmiffis ouibus, & oues ipfã paftoribus. Quocirca cunctis perfpicuum eft, huius Scripti latiffimam patere vtilitatem, atque omnium Chriftianoram conditionibus maximo vfui effe, quod fuis locis copiofius & commodius explicabitur.

PARTES EPISTOLÆ.

GRÆCI eam partiuntur in octo capita, Latini quinque tantum faciunt. In quorum primo præfigitur Epigraphe, in primis duobus versibus, idque more Paulino. Secundo, decem fequentibus, continetur Exordium, ad beneuo-

lentiam, docilitatem, & attentionem valde accommodum. Tertio, subiungitur Propofitio vniuerfalis, feu Status totius Epiftolę, verf. 13. videlicet, Pios in fufcepta religione Chriftiana constantes effe debere, certoque fperare fibi promiffam falutem æternam: & hanc profeflionem vita & moribus verè Chriftianis decenter exornare. Postremò, à verfu 14. ad finem vsque capitis adduntur varia argumenta, quibus Propofitio confirmatur: & ftudia bonorum operum à quolibet feftanda effe docetur.

Secundo capite, repetitur Propofitio, de retinenda vitæ innocentiã à conuerfis ad Chriftum: addunturque rationes & fuafiones multiplices, vsque ad verfum 13. Hinc fequuntur fpecialia Chriftianorum officia, maxime politica, vt potè, erga Reges, duces, & magiftratus ab illis ordinatos, ficut & illi conftituti funt à Deo.

Tertio, explicantur Chriftianorum æconomica officia, & præfcribitur quid sanctæ matronæ viris fuis præftare debeant, qualis ornatus eas deceat, propofito Saræ exemplo. Deinde, præcepta dantur de concordia, de lingua coercenda, timore Dei, & patientia in aduerfis. Denique, defcenfus Chrifti ad inferos, Euangelium in inferis prædicatum: refurrexionis, afcenfionis, & baptifmi figuræ declarantur.

Quarto, enumeratis aliquot peccatorum generibus, ab his pœnitus abftinendum doce-

tur: ad vigilandum & orandum omnes excitantur: mutua caritas & hospitalitas suadetur: & fructus laborum pro Christo susceptorum proponuntur, vt omnes ad tolerantiam martyrij excitentur.

Quinto ac vltimo capite, Pastoribus & doctoribus Ecclesiæ definitur, quid gregibus commissis debeant, iuuentuti præcepta figuntur, humilitas suadetur, sobriè viuendum & Satanae obfistendum indicitur. Demùm, à versu decimo vsque ad finem Epistolæ, pereleganti Epilogo, propositione repetita, precatationes, salutationes, huius scripti Lator, locus ybi scripta, & à quo missa sit comprehenduntur, sicque feliciter scriptum absolvitur. Atque hæc de Prolegomenis sufficiant.

Censura Theologorum Parisiensium.

Nos subfignati ab alma facultate Theologica Parisiensi ad hæc specialiter deputati accuratè perlegimus eruditissima & luculentissima Commentaria celeberrimi Doctoris F. Fenardentij Sodalisij franciscani, in priorem Principis Apostolorum Epistolam: qua comperimus vndequaque orthodoxa & auita fidei conformia, plurimamque rei Christiane utilitatem speramus allatura, sibi excudantur. sic indicamus 15. Septemb. ante annum Iubilei sacrum. 1600.

V. MARCHANT D. Reg.

F. M. LE HEVRT Doctor Regens.

F. BOVET Fratr. Minor. Paris.
Conuentus Gardianus.

Extrait du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il est permis à SEBASTIEN NIVELLE marchand Libraire iuré en l'Vniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer vn liure intitulé. *Prima epistola Dni Petri, Apostolorum Principis summa Christiana Religionis mysteria continens, Comentarijs ac variorum locorum communium tractatione explicata, per F. FRANCISCVM FEVAR DENTIVM. Parisi. Theologum.* Vendre & distribuer ledict liure vne ou plusieurs fois. Et defences sont faictes à tous autres Libraires & Imprimeurs, de l'imprimer ou faire imprimer, contrefaire ny alterer en aucune maniere, sans le congé & consentement dudit NIVELLE, & ce durant le temps & espace de six ans entiers & accomplis, à commencer du iour de la premiere impressiõ paracheuée, A peine de confiscation de tous les exemplaires, qui se trouveront auoir esté faits contre la prohibition des presentes, & d'amende arbitraire. Ainsi qu'il est plus amplemēt portéés lettres de ce données à Paris, le dixiesme iour de Mars, l'an mil six cens.

Signé par le Conseil,
DE LAVETZ.

Scellé sur simple cueuë en cire iaulne.



1. PETRVS APOSTOLVS IESV CHRISTI,
ELECTIS ADVENTI
dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadocix, Asiæ, & Bithyniæ.

CAPVT PRIMVM.



VIVS primi capitis, quod est velut batis & fundamentum totius Epistolæ, quatuor sunt præcipuæ partes, quarum prima continet Inscriptionem seu titulum: secunda, Exordium: tertia, Propositionem: quarta, probationes & argumenta quibus corroboratur. Inscriptione autem refertur nomen & officium authoris: deinde ostenditur qui sint hi ad quos scribitur: postremò, salutationis loco, pia pro illis recitatur deprecatio.

Quantum ad nomen authoris pertinet, triplici appellatione hunc Apostolum nuncupatum fuisse, ex sacris litteris eruitur. Primùm in Circumcisione (in qua Iudæi liberis nomina imponebant, sicut Christiani in Baptismo) vocatus fuit Simeon, & per contractionem Simon: Luc. 1. Math. 4. Mar. 1. Ioan. 21 sic frequenter appellatur ab Euangelistis. Se-

cundum & tertium nomen Christus proprio ore eidem imposuit, quando à captura piscium, & regenda nauicula, vocauit eum ad munus apostolicum, quo homines Deo caperet, clauum totius Ecclesiæ teneret, & gubernacula reip. Christianæ tractaret. Cùm enim Andreas frater natu maior hunc ad IESVM perduxisset, intuitus eum Dominus dixit ei: *Tu es Simon filius Ionæ, tu vocaberis Cephas, quod est interpretatũ Petrus.* Scribitur rursùm: Dominus imposuit nomen Simoni, *Petrus.* Nam Cepha, aut Cephas, est nomen Chaldaicum, seu Syriacum, quo idiomate tum vulgo Christus vtebatur. Πέτρος autem & Πέτρα Græcæ sunt voces, à Latinis vlrparatæ. Hinc Syriaca noui Testamenti versio, hæc tria simul istius Apostoli nomina retinet, in huius Epistolæ titulo, *Igarthod Petrus, Schimcon, Cepha,* i. Epistola Petri Simeonis Cephæ. In secūda Epistola hæc duo nomina simul sibi tribuit *Simon Petrus:* atque sic etiam nominatur passim ab Euangelistis & coapostolis. Matth. 4. 10. & 16. Mar. 3. Luc. 6. & 9. Ioan. 1. 6. 13. 18. 20. & 21. &c.

Hic obserua, aternam Dei in seruos suos beneuolentiam suspiciendam admirandamque hominum generi, quando illorum non tantum corporum & animorum, sed & nominum rationem habere non dedignatur. An non ergo dignum & iustum est, vt ei plurimum, imò & omnia studia, consilia, opera nostra tribuamus, à quo tanta caritate diligimur? Non solum ergo Adæ sapienti generis humani Antistiti, (vt loquitur Philo) imponendorum Nominum negotium commisit: Verum & ipsemet de illis

solicitus, ex Abram, quod est, pater sublimis, fecit Abraham, i. pater electus soni: ex Sarai, id est, principatus meus, reddidit Saram, quod vocabulum sonat Principem ac dominam. Accidit etiam vt Iacobi nomen, quod est, qui impetit calcibus, supplantator: mutaretur in Israël, quod est, Deum videns. Moyse quoque dixit: *Novi te ex nomine.* Quinetiam Iosifæ & Cyri eximiorum Regum nomina imposuit & prædixit, longè antea quàm orti essent. Præcuratori suo per Angelum indidit nomen Ioannis. Duos Zebedæi filios Iacobum & Ioannè, appellari voluit, *Boanerges:* vel (D. Hieronymi iudicio) emendatius, *Benerem,* id est, filios tonitru.

Aduerte quoque Christi diuini consilij prudentissimam rationem. Hunc discipulum suum toti Ecclesiæ suæ præfecturus erat vicarium: ideoque illum pro Simone, appellat Cepham, id est Petram, saxumque durissimum. Cur ita? Tertullianus ait, *Quia Christus & petra & lapis dicitur.* Cur verò hunc præ cæteris, Christus illo suo nomine & titulo insigniuit? Respondet eximius doctor & antistes Augustinus. Pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, *Super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam.* Petra enim dicitur, eò quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molèmq; contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur. Rectè consortium meretur nominis, qui còsortium meretur & operis. Accedit B. Hieronymus his verbis: Secundum

Ioan. 1.

Mar. 1.

Gen. 2.

Gen. 17. & 32.

Exod. 33.

3. Reg. 13.

Isa. 44. & 45

Luc. 1.

Mar. 3.

Com. in c. 1.

Dan. & 62.

Isa. 2.

L. 4. adu.

Mar. c. 13.

1. Cor. 10.

Ser. de Ca-

thedra Petri.

Matth. 16.

1. Cor. 10.

L. quare quorundam mutata sint nomina.

In c. 16. Mat-
thæi.

metaphoram Petræ, rectè dicitur ei: *Ædificabo Ecclesiam meam super te.* Et alibi rursus de Petro ait: Super hanc Petram ædificatam Ecclesiam scio. Nec aliud à Latinis vel crediderunt vel docuerunt patres Græci, vt clarum est ex his Epiphaniij verbis: Dominus constituit Petrum primum Apostolorum Petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est. Eoque longè antiquior Origenes scripsit: Vide magno illi Ecclesiæ fundamēto, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino, &c.

Epist. ad Di-
mas.

In anchora-
to.

Hom. 5. in
Exodum.

Ex his etiam collige, eundem esse Petrum & Cepham, non duos, quorum alter fuerit Apostolus, alter verò ex numero 72. discipulorum: eundemque esse, cui Paulus restitit in faciem. Atque hac in re cum reuerentia recedendum est à sententijs Dorothei & Clementis Alex. qui aliter existimauerunt, vt patet in illius Synopsi, & istius verbis apud Eusebium, l. 1. Hist. c. 12. His namque velut se opponens Hieronymus scribit. Alterius nescio cuius Cepha, nescire nos nomen, nisi eius, qui & in Euangelio, & in alijs Pauli epistolis, & in hac quoque ipsa, modò Cephas, modò Petrus inscribitur, &c. Et de Petri nomine hætenus: nunc dicendum de illius dignitate ac officio.

Gal. 2:

Com. in c. 2.
ad Gal.

Apostolus IESV CHRISTI;

Munus sibi à Christo æterno Dei filio impostum declarat, quando Apostolum, id est, legatum ac nuncium IESV CHRISTI totius huius mundi redemptoris & iudicij, seipsum appellat & profitetur. Apostolorum autem

primum munus fuit, Christo fideliter adesse quandiu egit in terris, vt cælestis eius doctrinæ auditores, spectatores miraculorum, & sanctissimæ conuersationis eius sectatores & imitatores seipsos præberent. Deinde, post Ascensionem eius in cælos, accepta Spiritus sancti virtute ex alto, instructi gratia, dono linguarum, & omnis generis miraculorum, salutis Euangelium prædicare in Ierusalé, Iudæa, Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Id autem erat, & priuatim & publice toti mûdo testificari de omnibus, quæ audierat, viderant, & acceperant de reparata cunctis hominibus salute per aduentum, mortem, resurrectionem, & Ascensionem eiusdem Dei & Domini nostri IESV CHRISTI. Vos, inquit, testimonium de me perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Et iterum. Ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Iterumque. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hinc Petri concio in domo Cornelij: Nos testes sumus omnium, quæ IESVS fecit in regione Iudæorū, & Ierusalem, &c. Præcepit nobis prædicare omni populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Hoc igitur titulo magna modestia, sed veritate certissima seipsum exornat Petrus. q. d. Ego ille natura filius Ionæ, seu Ioānis pauperculi piscatoris, & ipse quondam ignobilis piscator & nauicularius; Christi autem veri Messæ ac filij Dei summa gratia, Cepha, id est, petræ cognomen sortitus, eiusdemque non ita pridem conuictor atque discipulus, nunc autem Apostolus, ac in terris vices gerens, hac Epistola vobis omnibus, Viri Christiani, plu-

Luc. 24.
Act. 2.

Act. 1.
Matth. 28-

Io. 15. 27.

Io. 15. 16.

Io. 10. 21.
Act. 10.

In his autem perpendito, Apostolum & nomen, & officium suum, tribus iustis de causis, initio huius scripti tam ingenti diligentia & studio præfigere. Prima, pro more aliorum scriptorum cum sacrorum tum profanorum. Nam Isaias, Ieremias, Ezechiel, Oseas & reliqui Prophetæ; & in nouo Testamento, Paulus, Iacobus, Ioannes, Iudas, à sui nominis & conditionis notatione ordiuntur: sicque omnem auctoritatem, fidem, & attentionem scriptis suis apud pios & Christianos conciliant. Nam & huius sæculi principes legum & mandatorum suorum initiis, nomina & dignitates suas ambitiosissimè præponunt, vt maiori reuerentia & obeditione à populis subiectis excipiantur. Quis autem audito nomine & officio ter magni illius Petri, qui ipsissimum Dei coæternum Filium, carne indutum, non solum vidit, audiuit, in monte transfiguratum conspexit, cum ipso super æquoris vndas ambulauit: sed etiam clauis regni cælorum, id est, tantam potestatem suscepit, vt quæcunque ligaret vel solueret super terram, essent ligata vel soluta in cælis, non statim excitaretur & assurgeret? Non omni fide & diligentia, singula illius verba attentis animis & auribus exciperet, & vt ipsissimis Dei vocibus & oraculis obtemperaret? Dictum quippe fuit illi & coapostolis eius: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit.* Et rursum, *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis.* Exaudietur ergo vel spernetur à nobis sanctissima Trinitas,

Math. 14.
16. & 18.

Luc. 10.

Math. 10.

si hunc B. Petrum hinc scribentem & loquentem audierimus vel spreuerimus.

Secunda ratione causæque nomen & officium suum præposuit Epistolæ, tanquam insigne nobilissimum & certissimum, ne à falsis Apostolis & heresiarchis, qui iam tum vt lupi rapaces sub ouilla pelle gregis pernicem moliebantur, pacemque inturbabant, dolosè ac malitiosè deprauaretur: aut alia planè notha, adulterina, erroribusque referta, cum totius Christianismi pernicie calamitatèque supponeretur. Ideo necesse fuit, scripta verè Apostolica, illorum nominibus, & syngraphis, vt certissimis signis ac notis, à suppositis & adulterinis discerni, simulque communiri. Nam Paulus rogans Thessalonicenses, vt non citò mouerentur à bono sensu, nec terrentur neque per spiritum, neque per sermonè, neque per epistolam velut à se missam, satis indicat Pseudoapostolos falsas epistolas sub nominibus sanctorum Apostolorum Christianis obtrusisse, vt incautos fallerent, & incideret in casses præda petita suos. Epiphanius item & Augustinus referunt, Ebionitas illius ætatis hæreticos, confinxisse quosdã libros Actuum Apostolorum, scatentes multis & tetris erroribus. Origenes scribit, Euangelium quoddam sub nominibus duodecim Apostolorum ab hæreticis sæculo suo euulgatum. Quin etiam Hieronymus & Augustinus testificantur, perniciosissimos, & planè diabolicos libellos de Magia, sub Christi nomine emeruisse, quibus fingebatur, quod illius virtute & arte sua patraffer miracula. Ecquid mirum, cum idem Saluator prædixerit, Multos

Math. 7.
Act. 10.

2. Thess. 2.

Hom. 1. in
Luc.

Com. in c. 13.

Execl.

L. 1. de con-

sens. Euan-

gelist.

Math. 24.

esse venturos in nomine suo dicentes, Ego sum Christus, & frequentes seducturos? Semper igitur & serio, & diligenter sibi metuendum est à libris hæreticorum: probandi que sunt spiritus, an ex Deo sint. Perpetuò cauendum ab his, qui semel imposuerunt.

Tertia postremaque ratione, qui vocaretur, & faceret, Apostolus in Epistolæ principio notauit, vt hoc ingenuitatis exemplo fraudes tam veterum quàm nouitiorum hæreticorum, qui sæpissimè scriptorum suorum initiis, aut propria nomina celant, aut ficta & aliena comminiscuntur: ne depræhensi, tanquam seditionum tubæ, & bellorum, incendiòrumque reipublicæ folles, incudes, fabri, & officinæ, iustissimas pœnas exoluant. Vel saltem, à piis prudentibusque lectoribus, hominum pestilentium, & ab Ecclesia Christi reprobatorum visis in initio nominibus, nec emanantur, nec legantur. Sic enim (vt testis est

I. de hæ. c. 46. & l. 19. cont. Faust. c. 22. Augustinus) Curbicus impurus nebulo, appellauit se Manem, deinde Manichæum, vt hæreson suarum venena latius dispergeret. Ambrosius exprobrat Auxentio Arrianorum Mediolanensium ministro, quòd à suis iusserit se vocari

Tom. 5. l. 5. Epist. Orat. in Auxent. Mercurium, quem Ethnici deorù suorum nuncium & interpretem dixerunt. Verùm, mutauit vocabulum, sed perfidiam non mutauit. Exiit lupum, & induit lupum. Vnum portentum est, & duo nomina. Habet iam duo nomina, & si hinc aliò perrexerit, habebit & tertium. Sic & hoc sæculo, Ioannes Vinimontanus, Ocolampadium se dixit: Bucerus, in Aretium Felinum sese transformauit: Ioannes Cauinus, nunc in

Alcuinum Caroli magni præceptorem, mox in Caluinum Romani Consulis appellationem transiit: Zuinglius aliquando Richardum Risse vocauit: Vermilius, Martyris nomè sibi tribuit: & Theodorus Beza nunc in Christianum Heflandrum, aliàs in Nathanaëlem Neseckium, plusquam Apuleiana & Ouidiana metamorphosi seipsum transmuitauit. Nouimus aliquot huius furfuris ministros, qui vt aliquam nobilitatem & claritatem obscuritati suæ tribuerent, seipfos dominos à petra, à riuo, à fonte, à quercu, à ramno, à vinea, à rosis, à spina, à salice cognominauerunt, aliisque confictis dominationum titulis sese hominibus venditarunt. Sed de Caluianorum scriptis anonymis, aut pseudepigraphis, nuper copiosius diximus, Com. in primum caput Epistolæ D. Iacobi. Reliqua ex Apostoli verbis obseruanda persequamur.

Occurrit in primis illi⁹ magna animi modestia. Cùm enim iure posset vocare se principem Apostolorum, summum totius Ecclesiæ Christianæ moderatorem, Christi in terris vicarium, regni cælorum clauigerum, sanctissimum pontificem, &c. tamen his titulis abstinuit, & solummodo *Apostolum IESU CHRISTI*, quod erat laborum & periculorum plenum munus, seipsum appellauit. Pari temperantia Abraham summus patriarcharum, cinerem se & puluerem esse confessus est. David Rex & Propheta seipsum cum cane mortuo, & pulice vno, rerum omnium vilissimis comparabat. Sanctissima Deipara non solum inter mulieres, sed & super viros ac Angelos benedicta, humilem se ancillam professâ

Gen. 18.

1. Reg. 24.

Luc. 1.

Matth. 23.

est. Sic Paulus, Ioannes, Iacobus, sancti omnes, sibi ipsis viluerunt, & peccatoribus se connumerauerunt, vt soli Deo redderetur omnis honor & gloria. Miseri ergo Pharisæi, horumque similes, qui tanta contentione huius sæculi captant honores, vt omnia bona opera faciant, vt videantur ab hominibus. *Amant primas Cathedras in Synagogis, salutaciones in foro, &c.*

Ioh. 1.

Deinde, quando non cuiusuis Imperatoris, aut Chaldæorum, aut Persarum, aut Romanorum Apostolum. 1. legatum & oratorem se nominat, sed solius IESV CHRISTI, nuper crucifixi, non parum amplificat sui muneris dignitatem, & legationis tam maiestatem quam auctoritatem. Quis enim est hic IESVS, nisi coæternus & consubstãntialis Dei Filius, Verbum quod erat in principio, apud Patrẽ, & per quod facta sunt omnia? Nisi lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc mundum? Nisi redemptor, & iudex viuorum & mortuorum? Nisi rex regum, dominator dominantium, cui omnipotens Pater dedit omnem potestatem in cælo & in terra? Nisi hæres vniuersorum? Quis autem tanti Regis legatum impune contemneret? Quis sine scelere violaret? Imò, quis non veneraretur, & attentissimo corde audiret? Poterat enim dicere de singulis legationis suæ capitibus, quod & Paulus: *Qui hac spernit, non hominem, sed Deum spernit, Legatione pro Christo fungimur, Deo exhortante per nos.*

1. Thess. 4.
2. Cor. 5.

Præterea, illis verbis suam vocationem & missionem discernit à pseudoapostolis & hæresiarichis. Non enim sunt Apostoli Christi, sed

præcursores antichristi, venturi in nomine suo. Nec à Christo sunt missi, nec ab eius Ecclesia probati: verum, contrà damnati, vt olim pseudopropheta de quibus dicit Dominus: *Non mittebam eos, & ipsi currebant: non loquebar illis, & tamen dicebant: Hæc dicit Dominus.* *Ierem. 23.* Hos comparat Dei Filius cum lupis rapacibus, *Matth. 7.* indutis tamen pellibus ouium. Item, negat pastores esse legitimos, cum non intrent per ostium in ouile ouium: sed ascendant aliunde. *Ioh. 10.*

Insuper, cum legatorum munus sit, non sua inuenta, sed principis sui tantummodo mandata exponere, Petrus autem sit Apostolus, id est, legatus Christi, certissimum est, eum hac Epistola nihil præter ipsissima Christi Dei oracula & iussa propositurum esse. Iraque non humana figmenta, non fabulas poetarum, non profanas Gentilium historias, non philosophorum inuenta, verum cælestia mysteria prædicabit. Hoc & Tertullianus ad officium doctorum spectare docet *I. præscript.* his verbis: Nobis nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio quod inducerent, elegerunt: sed à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Infelices Hugnostici, qui Simonis magi, Marcionis, Manichæi, Eunomij, Pelagij, Vigilantij, Berengarij, & aliorum perditorum hominum figmenta, pro mandatis Apostolicis obtrudunt, &c.

Denique, Apostolum se nominans, summam prædicat gratiam & misericordiam Christi, qui

Ioh. 5.

12 COMMENTARIA IN CAP. I.
 uon solum à scdissimo lapsu cum erexit, tri-
 namque negationem benignè condonauit: sed
 etiam in pristinum Apostolatus gradum & ho-
 norem restituit, cum dixit: *Pasce agnos meos. Pasce*
oues meas. Quàm ergo bonus Israëli Deus, his qui
 recto sunt corde! Miserationes eius super omnia
 opera eius. Sic Thomam ex infidelitate ad fidem
 reuocans, cum ab ordine suo non est passus ex-
 cidere. Inhumanus igitur ac crudelis hæreticus
 Nouatus, qui vel semel lapsos ad Ecclesiæ com-
 munionem, quantumuis pœnitētes, recipiendos
 esse negauit. Atque hæc de authoris nomine ac
 officio.

*Electis aduenis Ponti, Galatia, Cappadocia,
 Asia, & Bithynia.*

Nunc illos ad quos Epistolam dirigit, pulchra
 descriptione, & quorundam illustrium titulo-
 rum exornatione designat. Primò enim eos vo-
 cat *Electos*, id est, æterno, singulari, & gratuito
 Dei beneficio, de perdita totius generis humani
 massa selectos & segregatos, ne cum aliis peri-
 rent: sed per gratiam, fidem, & obedientiam
 Deo huius incolatus tempore inseruientes, de-
 finito tandem in cælis loco, beati æuo sempiterno
 fruantur. Etenim cum ista. Electio sit actio voluntatis diuinæ, optantis aliquibus
 gratiam in presenti & gloriam in futuro sæculo,
 & Deus nulla percellatur nouitate, prorsus æterna
 est. Hoc Paulus apertè prædicat dicens: *Ele-*
git nos ante mundi constitutionem. Et Christus di-
 cturus est prædestinatis: *Possidete regnum paratum*
vobis ante constitutionem mundi. Præcessit igitur ista
 electio non tantum omnem fidem & obedien-

tiam nostram: sed etiam nosipsum, & initium
 mundi, & omnia temporum curricula, cum
 propter semetipsum, Deus mundum esset con-
 diturus: ex quibus colligimus & vetustatem, &
 immobilitatem electionis nostræ. Quomodo
 enim rueret, quod in ipsa æternitate fundatum
 est?

Electioem deinde, singulare beneficium Dei
 esse diximus, quòd quidam solummodo, non in
 vniuersum omnes ab æterno sint electi, vel
 Christo ipso qui semper fuit, est, & erit in sinu
 Patris, reuelante: *Multi sunt vocati, pauci vero*
electi. Nam ex Angelis Michaël, Gabriel, Ra-
 phaël electi sunt: non Satan, Lucifer, Belzebub.
 Ex hominum specie in sortem beatorum lecti
 sunt Adam, Abel, Enoc, Abraham, Isaac, Ia-
 cob, &c. non autem Caïm, Nembroth, Sodo-
 mæi, Ægyptij, Balaam, Core, Dathan, Abi-
 ron, &c. Prohibemur verò huius diuini secreti
 rationes causasque curiosius inuestigare: sed eas
 mirari & suspicere iubemur. Quare hunc, non
 illum Deus eligat, noli quærere, nisi volueris
 errare. Paruulis ait August. quibus vult, etiam
 non volentibus neque currentibus subuenit:
 quibus non vult subuenire, non subuenit, oc-
 cultè quidem, tamen iustè omnia iudicans. *Non*
enim est iniquitas apud Deum: sed inscrutabilia sunt
iudicia eius, & inuestigabiles via eius. Vniuersa au-
tem via Domini misericordia & veritas. Itaque mi-
 sericordiam eius in his qui liberantur, & verita-
 tem in his qui puniuntur sine dubitatione cre-
 damus: neque inscrutabilia scrutari, neque in-
 uestigabilia vestigare conemur. Summus iste

*Ioan. 1.
 Matth. 20.*

*I. 2. de verbo
 pers. 1. c. 11.*

Rom. 9.

Rom. 11.

Psal. 24.

1. Cor. 20.

1. Cor. 20.

Ep. 1.

Matth. 25.

Rom. 9.
Isa. 45.

figulus facit ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: nec potest istud dicere, *Cur me fecisti sic?*

Rom. 9.
Malach. 1.

Denique, omnino gratuitum est hoc Electionis Dei beneficium, cum ab hoc orientur hominum merita, non illud ab istis. Insuper, illud æternum sit, hæc in tempore fiant. Hinc Paulus electos nominat, *Vasa gratiæ*, non meritorum. Confirmat exemplo Iacob, de quo dictum est antequam quicquam boni egisset: *Iacob dilexi, ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Tandem de omnibus electis sentiendum. Electi sunt, ait August. per electionem gratiæ. Vnde

L. 5. cont.
Julian. c. 3.
Rom. 11.

Apostolus. *Reliquia Israël per electionem gratiæ salva facta sunt.* Et ne fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, adiunxit. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia.* Petrus itaque non ad omnes Ponti incolas mittit Epistolam istam, quandoquidem *non omnium est fides: nec omnes obediunt Euangelio:* sed tantummodo dicat eam electis & vocatis ad doctrinam Euangelicam, ac Ecclesiæ Cath. communionem.

2. Thess. 3.
Rom. 10.

Hic porro, nec sine fructu, inuestigari potest. Vnde Petrus compertum habuit, ilios Electos esse, cum arcanum hoc de numero Prædestinatorum consilium Dei sit ab æterno reconditum in eo, nec à quoquam nisi singulari Spiritus sancti reuelatione, sciri possit? Respondeo primum Apostolos multas habuisse de cælis collustrationes tam de propria ipsorum, quàm aliorum salute. De se enim audierunt: *Nomina vestra scripta sunt in cælis.* Et rursus: *Vos mundi estis, sed*

Matth. 5.
Ioan. 13.

non omnes. Manebit in æternum vobiscum Spiritus veritatis. Vado parare vobis locum: & iterum veniam ad vos, & assumam vos ad meipsum. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Quibus euidenter apparet, cuique sanctorum Apostolorum suam electionem à Christo reuelatam & prædictam esse. Quod autem quorundam aliorum electio eisdem reuelata sit, Paulus manifestat, scribens, *Clementis, & aliquot aliorum nomina scripta esse in libro vite.*

Ioan. 14.
Ioan. 10.Philip. 4.

Secundò respondeo, plurima eademque optima esse argumeta, quibus veluti signis, cum Dei timore conuicere licet, benèque sperare, vel nos vel alios ad æternam Dei electionem pertinere. Inter hæc Diuinæ scripturæ referunt veram fidem, spem, charitatem, studium bonorum operum, sedulam attentionem verbi Diuini, sacramentorum frequentem dignamque perceptionem, aliæque plurima, quæ expressimus super Euangelium, quod in Ecclesia legitur Dominica Passionis. Nam de his omnibus scriptum est: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Subtilioribus itaque super hac re disputationibus Scholæ relictis, fidelibus populis inculcandum censemus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Qui bona fecerint, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum. Nemoque mercedem accipiet secundum laborem, &c.* Sic enim summus ille doctor Augustinus frequenter concionabatur: *Declina à malo, & fac bonum: accinge lumbos tuos, & accende lucernam: Et cum hoc feceris, securus expecta vitam & dies bonos, & tunc bona fronte dices Domi-*

2. Petr. 1.

Matth. 19.
Ioan. 5.
1. Cor. 3.

Serm. 39. de
verb. Dom.
Psal. 35.

no: Feci quod iussisti, redde quod promisisti. Et rursus. Promissorum suorum nobis Deus chirographum fecit. Non debendo, sed promittendo debitorem se fecit. Non possumus ergo dicere ei, Redde quod accepisti: sed planè dicimus, Redde quod promisisti.

Aduenis.

Petrus secundo epitheto vocat eos, quibus Epistolam destinat, Παροπιθιμοις, *Aduenas*. i. qui domicilium habent in alieno solo. Hebræi dicunt *Gher*, qui non est ciuis, aut inquilinus, sed externus. Hunc titulum multi putant ad Iudæos tantum pertinere, quod huc illucque dispersi & palantes exulabant à patria, quam illis in perpetuam hæreditatem Dominus promiserat: Gentiles autem proprias sedes & domos incolebant. Rectius tamen videtur sub eodem nomine vnà cum Iudæis etiam Gentiles ad Christum conuersos comprehendere, quoniam & ipsi sanctique omnes reapse extranei & hospites sunt in hoc mundo, ac exules à vera domo, ciuitate, patriâque caelesti, quæ sola propria eorum habitatio est. Sumptus autem hic titulus est à moribus veterum, de quibus scribitur: *Duces Idumæos, i. filios huius sæculi habitasse in terra imperij sui: Iacob verò cum sanctis Patriarchis, in qua patres eius peregrinati fuerant. Hinc fratres Ioseph à Pharaone interrogati, responderunt. Pastores ouium sumus, ad peregrinandum in terram tuam venimus.* Et ipse Iacob ad eundem Regem dixit. *Dies peregrinationis meae 130. annorum sunt parui & mali.* Dixerat quippe Deus Abraham: *Scito quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra*

Gen. 36.

Gen. 47.

non

non sua. Dauid tametsi Rex potentissimus hanc sortem suam agnoscens, profitetur: *Ad. Psal. 138.* *Uena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Isthæc perpendens Apostolus, notat eos in *ca-* *Hebr. II.* *fulis*, id est, tentoriis, & contemptibilibus tabernaculis, non in castellis, aut in munitis vribus habitasse: *expectantes fundamenta in caelis habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Quinetiam de piis omnibus idem scribit: *Non habemus hîc manentem ciuitatem: sed futuram inquirimus.* Nam vnusquisque hîc, & in domo sua hospes est, ait Augustinus. Si non est hospes, non indè transeat. Si transiturus est, velit nolit, hospes est: nam dimittit illam filiis suis, hospes, hospitibus. Cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis. Nec mansurus manes, nec mansurus relinquis. Et idem alibi: *Omnis homo aduena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo. Nec possum B. Cypriani aurea certè, & martyris fortissimo pectore dignissima verba ista prætermittere, patriam nostram paradysum computamus: magnus nos illis charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, & adhuc de nostra salute sollicita. Quid igitur non properamus, vt patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Ad hos properemus, vt cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat optemus, &c. At quis est nunc temporis, qui hanc vitæ humanæ conditionem satis recogitet? Plerique omnes sic viuimus, sic acquirimus, sic possidemus, sic construimus in terris, vt si nunquam hîc morituri,*

Ser. 32. de verb. Dom.

Quest. 91. super Genitic.

Ser. de mortalitate. August. l. Medit. c. 23.

B

nunquam hinc effemus discessuri.

Eph. 2. Sed quo iure Petrus pios appellat *aduenas*, cum è contrario eis Paulus dicat: *Iam non estis hospites & aduena: sed ciues sanctorum, & domestici Dei?* Si iam ciues & domestici, quomodo aduenæ aut extranei? Respondeo, pios iuxta huius corporis, & mortalis vitæ sortem, verè peregrinos esse in hac lacrymarum valle, quoniam nondum corporibus suis repromissâ resurrectionis gloriam, nondum hereditatem cælestem re ipsa possident, sicut Dauid dicit Domino: *Peregrini sumus corâ te & aduena, sicut omnes patres nostri.* Et Petr^o paulo post ait: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos.* Quin & ipse Paulus fatetur, se vnâ cum cæteris exulem agere à regno Dei, beatissimâque felicitate, qua iam fruuntur beati Angeli, scribens: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Si terrestris domus nostra dissoluatur, adificationem habemus ex Deo, domum non manufactam in calis.* Alibi que præsentem conditionem omnium piorum comparat cum paruulo hærede, adhuc sub tutoribus, & actoribus constituto.

Sin verò ad certissimas Dei promissiones de nostra resurrectione, & glorificatione adicerimus animos, easdemque suo tempore & ordine in nobis adimplendas, qua decet constantia crediderimus: iam aliqua ex parte illas possidemus, iamque sumus conciuies sanctorum, & ascripti inter domesticos, filios, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Hoc autem tribus modis in nobis confirmatur. Primò, cælitus nobis infusa datâque virtute Spei, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis. De hac enim Paulus ad-

huc mortalis ait: *Gloriamur in spe filiorum Dei gloria. Spe salui facti sumus.* Secundò, conscientis, ac spiritibus nostris præsto adest Spiritus sanctus, qui sua gratia, & inspiratione fiduciam suggerit adoptionis nostræ, ad eò vt in cælû erecti, Deum vt verè patrem nostrum nominare, appellare, ac inuocare, nosque (tametsi adhuc in terris exules & peregrini) eiusdem filios reputare valeamus. Ait enim Apostolus doctor gentium: *Accipistis spiritû adoptionis filiorû Dei, in quo clamamus, Abba, Pater.* Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. *Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Tertiò, Christum caput nostrum habemus iam resuscitatum, glorificatum, & in Patris dextera regnantem in cælestibus, cui tanquam vera viuaque membra cohæremus: id eòque verè dicimur ei conresuscitati, conuiuificati, imò & cum eo sedentes in cælestibus. Hinc Paulus: *Si conresuxistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, &c.* *Nostra conuersatio in calis est.* Ea ergo consolatione sustentemur, quam AVGVSTINVS adhibet his suauissimis verbis. Hæc mihi tota est spes, omnisq; fiducia. Est in ipso IESV CHRISTO vniuscuiusque nostrum portio, caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse recognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio, &c. Et hæc de superioribus duobus titulis.

Dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asia, & Bithyniæ.

Tertiò, vocat eos *Dispersos*, per varias minoris

Asiæ, & mundi plagas, tum propter vetera Chaldæorum, Perlarum, Græcorum, & Romanorum bella: cum propter nouissimam persecutionem motam Ierosolymis contra Christianos, in qua lapidibus obrutus fuit primus martyr Stephanus, & alij omnes eiusdem religionis professores dispersi, præter Apostolos. Hi ergo ad quos primùm scribit Petrus, declinantes minas, & furores infidelium, propter Christum domos, agros, patriam dereliquerant, vt tanquam exules, inter Ethnicos habitarent.

Quantùm verò ad has regiones pertinet, omnes amplissimæ sunt Asiæ minoris prouinciæ, ad orientem sitæ. Pontus enim, vt tradit Strabo, clauditur ab Occidẽte Haly flumine: ab Oriente, Chalcide; à meridie, minori Armenia: à Septentrione, mari Euxino. Eius ciuitates magis insignes, sunt Chalcedon, Nicomedia, Prusa, Andiopolis, Diospolis, Heraclæa, Flauipolis, &c. In ea regnauerunt Mithridates, Eupator, &c. Ex Ponto fuit Medea Iasonis, Aquila veteris Testamenti interpres, Marcion hæresiarcha, &c.

Galatia, & ipsa minoris Asiæ regio, habet ab Oriente Cappadociã, ab Occidente Bithyniam, à Meridie Pamphyliam, & à Septentrione mare Euxinum. Hæc etiam Gallogræcia dicitur, & eius incolæ Gallogræci. Nam cum aliquando à Rege Bithyniæ, Galli & Græci simul euocati in auxilium venissent, partem regni pro mercede acceperunt, & Gallogræci dicti sunt.

Cappadocia à sinistris habet vtranque Armeniam, à dextris Phrygiam & Galatiam, ad Tauri

iuga, & Solis ortum attolitur. Euphrates eam ab Armenia maiore diuidit. Appianus minoris Armeniæ partem, Ptolemæus verò minorem Armeniam esse scribit. In hac quondam floruerunt clarissima Ecclesiæ Cath. lumina Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Gregorius Nissenus, &c.

Asia hîc specialiter dicitur totus ille terrarum & insularum tractus, qui est circa Ephesum, videlicet Troas, Phrygia, Lyda, Caria, Lycia, Ionia, Meonia, septem denique illæ celebres. Ecclesiæ, quas B. Ioannes describit in Apocalypsi.

Bithynia quoque minoris Asiæ prouincia, habet ab Oriente Constantinopolim ac Europam, à Septentrione partem maris Euxini, ab Oriente Phrygiam, à meridie Troadem & Mysiam. Huius ciuitates fuerunt Nicæa, primo vniuersali, sanctissimòque Christianorum concilio clarissima, & Lybissa vbi Annibal sepultus est, &c. Ex eadem prouincia orti sunt viri in disciplinis memorabiles, Xenocrates Philosophus, Dionysius Dialecticus, Hipparchus, & Theodosius mathematici, Cleophanes orator, Asclepiades medicus, &c.

Ex his autem primùm aduerte, quæ sit conditio Ecclesiæ Cath. id est, regni domini nostri IESU CHRISTI peregrinantis in hoc mundo: nimirum, vt nulli loco, nullique regioni, linguæ, aut genti sic alligetur, vt non toto orbe expandatur, & quocunque cælum patet, & Sol lucet, spargatur, & extendatur. Et vbique terrarum sint, qui in Christum credant, sperent, eundemque vt Saluatorem & iudicem viuorum &

Act. 7.

Act. 8.

Lib. 2. Geographia.

mortuorum inuocent, adorent, vereantur. Synagoga vix Palestinae, ac Syriae fines excessit: at verò Ecclesia Christiana incipiens à Ierosolymis, aut iam totum mundum peruasit, aut saltem peruadet antequam finiatur. Ait enim Dei filius: *Pradicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Pater quoque de hoc Filij sui regno & praestantia per Prophetas promisit: *Adorabunt eum omnes familia gentium. Adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes seruiunt ei.* Hic per lapidem replentem totum orbem signatur in Daniele. Eiusdem officariis & oratoribus dictum est: *Eritis mihi testes vsque ad ultimum terrae.* Et de horum praeconio Dauid cecinit: *In omnem terram exiit sonus eorum, &c.*

Verum, nobis omnibus vehementer dolendum est, quòd florentissimas quondam in his regionibus Ecclesias, tantis Apostolorum laboribus fundatas, tamque copioso Martyrum sanguine rigatas, propter peccata Christianorum, nunc terrae & immanes belluae, id est, Turcae possideant, deuaſtent, & Christo consecratas animas, spurcissimis Alchorani faecibus inquinant & perdant, vt vix in aliquot pagis, pauculi reperiantur Christiani, sub crudelissima gementes tyrannide. Atque hi fructus haereseon, & schismatum praecedentium. Orientis exemplo timeat Occidens. *Noli altum sapere, sed time.*

Cerne etiam eandem Ecclesiam, cruci perpetuò subiectam esse; Satanæque membra, organa, satellites nūquam illi pacem, & tranquillitatem relinquere; sed mutuò sibi subsequenteribus per-

secutionibus hanc de loco in locum propellere. Hanc adumbravit Arca Noë hinc inde iactata fluctibus, donec in monte Armeniae quiesceret. Hanc Arca testamenti, per diuersa desertorum loca, quousque Ierosolymis quieuerit. Hanc Isaac, & filia Iephte, à parentibus in holocaustū oblati. Sic enim Deus Ecclesiam suam quotidie sacrificat & immolat. Hæc est liliū inter spinas, nauis inter fluctus, ouis in medio luporum, frumentum cum paleis, & zizaniis, virgo prudens & casta, cū fatuis & procacibus, &c. Bono autem & presenti sit animo, quoniam nihil praeter scientiam & voluntatem sponsi accidit ei. Prædixit enim filiis eius: *In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem. Absque synagogis facient & vos. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, &c. Sed beati eritis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis.*

Confidera, & summo Ecclesiae pastore dignam de salute ouium suarum sollicitudinem: quando etiam absens, scriptis Epistolis illos populos in Christi fide, & obedientia studet retinere, quos antea & concionibus, & miraculis, & exemplis, eidem lucrificerat. Ex hoc enim loco D. Hieronymus colligit, verisimile esse hunc Apostolum, istas Asiae prouincias peragrassse, ac Ecclesiae Christianae coniunxisse. Nam alta mente repositum habebat, ad se factum hoc mandatum diuinum. *Pasce agnos meos. Pasce oues meas.* Item. *Bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis.* Nouerat & sanguinem pereuntium de manibus

Matth. 24.

Psal. 21.

Psal. 71.

Dan. 2.

Act. 1.

Psal. 18.

Rom. 11.

Gen. 7.

Exod.

Gen. 22.

Iudic. 11.

Cantic. 2.

Marc. 6.

Matth. 10.

Matth. 3.

Matth. 25.

Ioan. 14. 15.

16.

Matth. 5.

L. I. adu.

Ioan.

Ioan. 21.

Ioan. 10.

Ezech. 13.

eorum qui præfunt, aliquando requirendum: ideo his inuigilabat, vt rationem pro animabus eorū redditurus. Vtinam, iterum autem vtinam Pastores omnes hæc attenderent, atque sibi imitanda proponerent.

2. SECUNDVM PRÆSCIENTIAM

Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & asperionem sanguinis

IESU CHRISTI: Gratia vobis

& pax multipliciter.



VI A superius vocauit eos ad quos scribit, *Electos*, nimirum, ad veram veri Dei notitiam, obedientiam, gratiam denique, & gloriam, hoc versu secundo paucis quidem, sed grauissimis verbis assignat tres huius electionis causas præcipuas, videlicet efficiẽtem, finalem, atque meritoriam. Et primò quidem causam efficientem, id est, originem & fontem electionis omnium Sanctorum, non aliam agnoscit, quàm æternam Præscientiam Dei Patris. Ex hac enim fluit electio illa, qua reprobis in suis delictis & suppliciiis futuris derelictis, ab horum sorte massaque Deus alios segregat, distinguit, & seligit, quos caros habeat: tandẽmque gratia coronet atque gloria. Ab omni siquidem æternitate Deus apud se nouit, & recensuit, quos tam ex angelis quàm ex hominibus eligeret ad salutem: nec aliam extra hanc prænotionem Dei æternam, inuestigare causam oportet: cum ipse sibi sponte ad

nos eligendos auctor fuerit. In hoc autem Præscientia ab Electione differt, quod illa pertinet ad intellectum, sitque futurorū cùm bonorum tum malorum: hæc autem actus est voluntatis, & duntaxat bonorum.

Deum porrò ab æterno, ineffabili modo, infinitaque scientia, nouisse omnia cùm in generali tum in particulari, tam futura, quàm etiam possibilia, docet Apostolus, scribens: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.* Heb. 4. Et Salomon inquit. *Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum.* 3. Reg. 8. Et Dauid. *Ipse nouit abscondita cordis.* Psal. dis. *Tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* Su-Dan. 13. fanna quoque dicit: *Tu nosti omnia antequam fiant.* Igitur sicut verè dixit Ieremiæ, *Priusquam te formarem in utero, noui te:* ita indubitatum & clarum est, eum sua præscientia cuncta nosse: imò & acutissimo eius intellectui ac scientiæ veluti præsentis fuisse ab æterno cunctos filios hominum; & ex horum numero, quos voluit misericorditer elegit, futuros Vnigeniti sui cohæredes. Ita enim prædicat Paulus: *Quos præsciuit. & prædestinauit, fieri conformes imaginis Filij sui.* Rom. 8.

B. CYRILLVS scitè profectò & commo-
dè ex superioribus D. Petri verbis colligit, hanc
Patris de Christo, & de nostra per eum salute
præscientiam, & Iudaicum supercilium, qui legi
semper inhærent, maximè deprimere: & eos si-
mul euertere, qui virtutem nostri mysterij re-
centi Patris consilio excogitatam arbitrantur.
Quoniam Petrus dicit, præscitum quidem Chri-
stum ante constitutionem mundi, manifestatum

L. II. in 10.
c. 29.

autem in vltimis seculi temporibus.

L. de recta
in Deum fide
ad Reginas. Idem rursus alibi ex iisdem verbis probans, quod Deus sit Christus, quoniam credentes, in ipsum sanctificantur à spiritu eius, & purificantur eius sanguine. Deus enim erat in carne. Subiicit. Si Deus nos genuit in spem viuam & & manentem: fecit autem hoc per suam ex mortuis resurrectionem, Christus quomodo non esset Deus?

L. Soliloq.
cap. 14.

D. AVGVSTINVS reliquos huius de præscientia Dei doctrinæ fructus, in hunc modum persequitur.

Psal. 138.

Imperfectum meum viderunt oculi tui: oculi inquam, in multis lucidiores Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundû abyssi, & in omni loco contemplâtes semper bonos & malos. Sic gressus meos, semitâsque meas consideras, & diu noctûque super custodiam meâ, vigilias, omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si creaturæ tuæ cœli & terræ oblitus, tantum me solum consideres, & nihil tibi curæ sit de aliis, &c. Et in fine capituli addit: cum hoc diligenter considero, domine, timore pariter, & rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas iustè rectèque viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Præf. 15.

Secundus huius doctrinæ fructus omnium piolum animos eximia cōsolatione reficit, cum videlicet attentâ contemplatione meditantur, & identidem mente reuoluunt, se quantumlibet viles, abiectos, & coram mundo cōtempribiles, tamen in mente, intellectu & cogitatione diui-

na fuisse, etiam ante iacta huius mundi fundamenta.

Deinde, animaduertunt se nec temerè, nec fortuito: sed cœlesti diuinòque consilio segregatos fuisse, ab innumerabili damnandorum multitudine, ac impura colluue, ne cū illis perirent.

Meditantur rursus, electionem suam factam esse non arbitrio mortalium hominû, quorum voluntates incunstantes sunt ac mutabiles: sed omnipotentis ac viuentis Dei iudicio, infinitaque sapientia, quæ nunquam fallit vel mutatur. Quis autem hominum vel Angelorum, tantum Dei omnipotentis fauorem, tantam gratiam non miraretur ac suspiceret? Non cum Dauide exclamaret, *Domine, quid est homo, quod memor es eius: P sal. 8. aut filius hominis, quia reputas eum?*

In sanctificatione Spiritus,

Secundo nunc loco, exponit causam finalem nostræ electionis, quæ non est alia, quam vt sancti, iusti, penitensque puri ac innocentes corâ Deo tandem efficiamur, gratia & beneficio Spiritus sancti. Ideo scribit alius Apostolus: *Elegit Ephes. 1. nos ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Abiicientes omnem impietatem, iuste, piè, subriè viuamus in hoc seculo. Tit. 2. Et Zacharias in Cantico suo. Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

Hæc autem sanctificatio nostra primò fit per sacramentum Baptismi, in quo remittuntur & purgantur omnes sordes peccatorum, & quantum ad culpam & quantum ad pœnam: & iccirco vocatur à Paulo, *Lauacrum regenerationis & Tit. 3.*

Ephes. 5.

renouationionis Spiritus sancti. Christusque predicatur, Ecclesiam sponsam suam mundasse lauacro aquæ, in verbo vitæ. De hoc magnus ille Augustinus. Omnia prorsus delicta delet sanctum Baptisma & originalia, & propria: dicta, facta, cogitata, cognita, incognita omnia dimittuntur. Innouat hominem, qui fecit hominem: donat delicta, qui non quærit (baptizati) merita præuenit gratia etiam ipsam infantiam, vt sint liberi per Christum liberati, qui in Adam diabolo tenebantur antè captiui.

Secundò, eadem innouatur, & iteratur per eundem Spiritum sanctum toties, quoties veræ pœnitentiæ laboribus à peccatis actualibus purgamur & iustificamur: atque vetere homine spoliato, nouum induimus. Hinc enumeratis aliquot peccatorum speciebus, subiicit Apostolus. *Et hæc aliquando fuistis: sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.* Quid interest, scribit grauis ille Antistes Ambrosius, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius (remittendi peccata) sibi datum Sacerdotes vindicent? Vnum in vtroque ministeriũ est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nónne Dei nomen operatur? Idemque postea. Arbitror quod etiam Iudas poruisset tanta Dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiam non apud Iudæos, sed apud Christum egisset, &c. Ergo sancti præcogniti ac electi quidem sunt à Deo patre ante constitutionem mundi: sed suo tempore & ordine eductur in hanc lucem, natura quidem filij iræ. 1. im-

L. 3. de Sym.
bolo ad Ca.
rech. cap. 10.

1. Corint. 6.

L. 1. de pœni.
cap. 7.

Ierem. 20.

Lib. 2. de pz.
cap. 7.

puri, polluti & rei; verum, superueniente tandem Spiritus gratia, mundantur, sanctificantur, denique redduntur, vt tanquam filij Excelsi omnes, eius cœlesti consortio perfruantur. Itaque huic diuino Spiritui cum tota Ecclesia, fracto animo atque humili supplicemus: *Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, &c. Lana quod est sordidum, riga quod aridum, sana quod est saucium.* Cum pœnitente Propheta. *Spiritu principali confirma me. Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam, &c.* Denique cum Augustino: Veni mūdator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, releuator labentium. Veni humilium doctor, superborum destructor. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex, &c.

In obedientiam, & asperfusionem sanguinis Iesu Christi.

Hæc est causa media simulque meritoria totius salutis omnium nostrum, videlicet, meritũ obeditionis & passionis, sanguinis, & mortis domini nostri Iesu Christi. Vt enim primi parentis ambitus, perduellio, atque contumacia, vnà cum ipso nos omnes diræ, duræque morti subiecit: sic è contratio, Iesu Christi incredibilis summissio, & vsque ad mortem crucis obediencia meruit, vt omnes credentes & sperantes in eum eruerentur. Hoc Paulus disertè prædicat, d. *Sicut per inobediencia vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnus obediencia iusti constituuntur multi.* Et hoc mysterium amplificans, simulque ad imitandum proponens, ait: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cū in forma Dei esset, humiliavit semetipsum*

Psal. 50.

Psal. 142.

1. Meditat.

cap. 9.

Rom. 5.

Philip. 2.

factus obediens usque ad mortem, &c. Quando igitur præcipienti ac statuenti Deo Patri suo, ut ad tempus dissimulata, & abscondita forma Dei, gloriæque cælesti, non solum homo, sed & aliorum hominum seruus & obses fieret; & ex immortalis Creatore, vitæque Domino, mortalis esset, mortemque crudelissima & turpissima peccatorum nostrorum turpitudinem detergeret, omni demissione ac obtemperacione obediuit: tunc certè apud patrè suum, & omnem sui corporis glorificationem promeruit, & nobis credentibus, ac obtemperantibus omnium peccatorum veniam, corporum beatam resurrectionem, vitamque & gloriam sempiternam comparauit. Sic igitur Domini nostri Iesu patientia, nostram contumaciam: humilitas, nostram superbiam; mansuetudo, nostram ferociam, caritas, nostram crudelitatem: & obedientia, nostram rebellionem, & inobedientiam absterfit, atque deleuit. Hoc ipsum nobis omni cum asseueracione ille idem affirmauit, & cum ait, se non uenisse ut faceret uoluntatem suam, sed uoluntatem Patris: uoluntatem autem eiusdem Patris esse, ut omnis qui crediderit in filium, habeat uitam æternam. Item cum asseruit, sanguinem suum effundendam, & corpus in mortem tradendum esse in remissionem peccatorum. Paulus quoque idem, toto orbe prædicauit, Christum omnibus obtemperantibus sibi factum esse causam salutis æternæ. Nôsq; sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi semel in cruce factam. Sed de his copiosius infra.

Ioan. 6.

Math. 26.

Hebr. 5.
Hebr. 10.*Et asperisionem sanguinis Iesu Christi.*

Obedientiæ Christi uoluntariæ ac interiori, nunc adiicit Apostolus exteriorem manifestamque, ut toti mundo manifestum fiat, sanctissimis illius uotis argumenta, operaque nequaquam defuisse, nec solo affectu, uerum etiam affectu, patefactam esse illam obtemperacionem, quæ peccata nostra deleuit, & Deum Patrem nobis propitiam reddidit. Quasi d. Non tantum spiritu mentemque concepta, fuit illa incarnati filij Dei, pro peccatis hominum expiandis obedientia: sed rebus & factis ipsis tunc contestata, & comprobata est, quando sub mortem illius, capite, scapulis, manibus, latere, pedibus, uniuersis denique corporis sui partibus laceratis, totum sanguinem suum fudit, ut eodem ablueremur & sanctificaremur. Tunc enim factum est, quod Ioannes prædicat: *Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Omnes sancti lauerunt stollas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Apoc. 7. & 22.

Paulus de huius sanguinis aspericione, i. utilitate & fructu ita præclare loquitur. *Sanctificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.* Item. *Gratificauit nos Deus in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum in sanguine eius.* Rom. 5.

Et paulò post. *Nunc autem in Christo Iesu, (i. propter meritum passionum eius) uos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine eius.* Ephes. 2.

Et in alia Epistola. *Pacificauit per sanguinem crucis, quæ in terris, & quæ in cælis sunt, i. homines terrenos cum Deo, & angelis eius.* Ephes. 2. Coloss. 1.

Alibi rursus, pro eiusdem sanguinis efficacitate & uirtute, sic à minori ad maius argumentatur.

Heb. 9.

Si sanguis hircorum & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viventi? Et postmodum.

Heb. 13.

Iesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. &c. Prodest autem hæc sanctissima certè & grauissima de Christi sanguinis effusione, ac vtilitate, testimonia recitare, meditari, prædicare, & omni loco ac tempore omnibus inculcare, in primis vt causas salutis nostræ cognoscentes, sanctissimæ Trinitati & si non quantas debemus gratias, habeamus tamen quantas maximas animi nostri capere possunt. Deinde, vt calumnias planè diabolicas retundamus Hugnosticorum oblatantium, nos nec in scriptis, nec in concionibus sanguinis Christi meminisse, sed aliis quibusdam mediis salutem nostram acceptam ferre: cum tamen iidem ipsi, multis modis in eundem blasphemii sint & ingrati, vt alio scripto demonstrauimus & refutauimus, & strictim postmodum attingemus.

Dialogo 5. prioris hebdomadæ.

Cæterùm, ex superioribus primùm obserua, summam illam Christi obedientiam suo iure à nobis exigere, vt abnegatis propriis affectibus & desiderijs, nos, nostraque omnia Diuinis eius præceptis ex animo subiiciamus: etiam si pro eorum autoritate & reuerentia omnes opes, honores, possessiones, animi, parentes relinquendi, imò & ipsa vita ponenda esset. Illam enim præfert Deus cunctis sacrificijs illis, quæ sub lege Moïsi offerebantur, quemadmodum per ver-

ba Sa-

1. Reg. 15.

ba Samuëlis ad Saulem contestatur. Eiusdemque clarissima reliquerunt nobis exempla, Abraham in filij sui oblatione, Isaac in obeditione, Iacob in peregrinationibus, Iosèph in castitate, Moïses in Israelis gubernatione, Iosue in bellis, Aaron in sacrificijs, Dauid in exilio, Daniel in abstinentijs & orationibus, &c. Hi quippe mandata Diuina suis prætulerunt humanis affectibus atque desiderijs. Contrà verò, nihil in nobis Deus magis habet odio (ait D. Bernardus,) aut *Ser. 3. de re-surr.* luntas propria, & infernus non erit. In què enim ignis ille desæuiet, nisi in propriam voluntatem? Et idem rursum. Grande malum propria volun- *Ser. 71. in Cantic.* tas, quo fit, vt bona tua bona non sint. &c.

Secundò, attentè cogita, quàm magno præcellentique prætio sanctificationem, & redemptionem nostram Christus comparauerit, quando non corruptibilibus auro, argento, gemmis, quæ mundo omnium pretiosissima sunt, quæque tantopere diligit, quærit, complectitur, perfici non potuit: sed sola exinanitione, obeditione, morte, & atque aspersione sanguinis innocentissimi Christi hominis Dei. Nam impossibile fuit, sanguine nedum brutorum, sed neque Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, aut Martyrum, deleri peccata. Quid ergo retribuemus huic Christo, tam clementissimo & beneuolentissimo Deo ac Domino nostro, pro omnibus quæ tribuit nobis? Saltem igitur post *L. Meditat. cap. 35.* Domine, quia ex hoc quòd me fecisti, debeo tibi meipsum: & quia me redemisti, & pro me

C

homo factus es, deberem tibi plusquam meipsum, si haberem. &c.

Tertiò, aduersus omnes tentationes de ira Dei, terrore mortis, ac iudicij, desperatione, ac inferorum nunquam terminandis suppliciis, ad huius obedientiæ & aspersions virtutem, pro te factam profusionem sanguinis, tanquam ad tutissimum præsidium asilumque securè confugas. Hanc semper animo reuolue, hanc diu noctuque meditare, in hanc salutis tuæ omnem fiduciam tuam colloca, hanc Deo Patri cõstan-

L. Medit. c. 6.
 ter obiice, & cum piissimo Augustino sic eum alloquere: Aspice, pie Pater, piissimum Filium tuum pro me tam dira duraque passum. Respice quis patitur, & reminiscere pro quo patitur. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte scelera quæ patrauerunt manus meæ. Aspice dilectæ Sobolis humanitatem, & miserrere super infirmi plasmatis debilitatem. Conspicere Dei-hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum, &c. Hic attende quem genueris Filium, & quem redemeris seruum. Hic aspice factorem, & ne despicias facturam. Si me pro mea despicias iniquitate, respice in me saltem pro dilectæ Sobolis caritate. Attende in Filio, quo propitieris seruo. Vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum, &c.

Quartò, ne dubites hanc Christi sanguinis aspersione olim ad fidei, & spei tuæ robur adumbratam & præsignatam fuisse, per sanguinem Agni, cuius cruore pestes Hebræorum linitæ

fuerūt, vt ab exterminatore angelo liberi eorum seruariantur. Deinde in aspersione sanguinis *Exod. 12.* & omnium animalium, quo altare, liber legis, sacra vestes, omnes Israëlita, Deo præceptore, *Leu. 13. 4. 8. 9. & 16.* Mose autem & quolibet succedente summo Pontifice, ministro perfundebantur. Eandem *Num. 19.* aspersione significauit & vaccæ rufæ sanguis, contra fores tabernaculi respersus in lege: vt Paulus & copiosè & eleganter docet in Epistola ad Hebræos. Nam & ipse Dominus, nostrum *Cap. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.* altare & hostia, in passione, totus proprio sanguine conspersus est: & eiusdem efficacitate credentes & pœnitentes omnes emundat ab omni peccato. Ad has enim & similes aspersiones respexit Petrus, dum hæc de aspersione sanguinis Christi pro nostra sanctificatione, scriptis mandauit.

Obserua denique, D. Petrum hoc loco, etiam totius sanctissimæ Trinitatis mysterium prædicare, quando Dei Patris omnia præsentis, Spiritus omnia sanctificantis, & filij sanguinis sui aspersione omnia mundantis, tam scitè quàm sanctè meminit. Nouerat hoc fundamento totam fidem & religionem Christianam niti: ac ideò Christum in primis sibi & coapostolis mandasse, vt tingerent omnes gentes in nomine Patris & *Matth. 28.* Filij & Spiritus sancti, qua verborum forma, eiusdem sanctissimæ Trinitatis personarum, & vnitatis earum fides à cunctis præstenda proponitur. Nec minus apertè eadem scripsit Euangelistarum aquila. *Tres sunt* (nimirum, personæ) *qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres, unum sunt.* *1. Ioan. 5.* Summa ergo *Athanas.*

fidēi Catholicae hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitāte veneremur. An non ergo homo pestifer ac funestus Calvinus, qui hæc nomina, sepulta esse desiderat? Proiecti quoque ad quiduis audendum & patrādū aduersus Deum Calviniani Polonici, qui in synodo sua Viliensi, anno 1589. mensis Maij 11. publico decreto prohibuerunt ministris, illa nomina vsurpare in concionibus? Inrepet dominus satanas istos, eosdēque Ecclesiæ suæ pedibus, de sceleribus pœnitentes, subiiciat.

Gratia vobis & pax multiplicetur.

Hæc est pars secunda inscriptionis, seu tituli, breui quidam, sed sanctissima precatōne. Ostulat autem illis non honores, non opes, non voluptates huius sæculi: sed quod maximum est, gratiam Dei, remissionem peccatorum, iustitiā, pacem cum Deo, tranquillitatem animorum, & omne bonum spirituale. Nam quicumque hæc habuerit, etiā si in hoc sæculo cunctōrum mortalium pauperrimus & abiectissimus sit, omnium ditissimus & fœlicissimus est: qui verò his caruerit, quantūuis inter homines floreat & splendeat, nihilominus coram Deo, & re ipsa, miserabilis & infœlicissimus erit. Quia verò similes preces iam explanauimus in titulis Com. in Epist. ad Philemonem, in Epist. D. Iudæ, & in Epist. D. Iacobi, hic non erimus prolixiores.

Tantum monebimus obseruandum, primò, quæ nobis, deinde proximis nostris ante omnia desiderare, ac præcari debeamus à Deo.

Secundò, piam mutuo salutandi consuetudinem à Christo, & Apostolis eius dimanasse: &

ideo nec prætermittendam, nec contemendam esse à nobis.

Tertiò, gratiam Dei præcedentem in nobis, bonorum operum exercitiis & meritis, per diuersas accessiones augeri & multiplicari: atque idcirco eam non esse aliquem externum Dei fauorem, aut imaginariam imputationem quemadmodum Huguostici comminiscuntur, &c.

3. *BENEDICTVS DEVS ET PATER Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem vitam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.*

Ab hoc versu tertio, vsque ad tertium decimum, exordium huius Epistolæ continetur, tanta rerum magnitudine, verborum proprietate, & compositionis ordine contextum, vt (absit inuidia dicto) cum vniuersis Epistolarum D. Pauli exordiis certare possit, quin etiam eadem superare videatur. Tractat enim de summis Dei in totum genus humanum beneficiis; per Christi aduentum, ac doctrinam Euangelicam huic mundo allatis, oblatis, & collatis: nimirum de Regeneratione per Baptismum, de spe beatæ ac immortalis vitæ, de conseruatione hominum credentium inter maxima continuæ mortis pericula, de interiori animi consolatione, atque lætitia in summis angustiis, de probatione sanctorum, de fide, de salute eorum qui fidem Christianam in finem vsque piè sanctèque seruarunt. Probat denique, hanc religio-

nem non esse nouam, aut inuentum hominum artificio : sed à Deo mundi conditore & rectore decenti ordine, sensimque Patriarchis & Prophetis reuelatam : consummatam verò nonissimis temporibus, planèque reuelatam per aduentum Christi, & descensum Spiritus sancti super Apostolos, horumque prædicatione cunctis gentibus promulgatum. Atque hæ sunt præcipuæ partes exordij, quarum dispositio, simulque explicatio attentos sanè & dociles requirit auditores atque lectores.

Itaque Petrus veluti ex diuinorum secretorum perquisitione, atque cœlestium thesaurorum contemplatione ad nos egressus, de iisdemque concionaturus, magno totius animi feruore exclamat, & à diuinis laudibus percommodè rem sic aggreditur. *Benedictus Deus & Pater domini, &c.* quasi dicat. Ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omni mente mea, & ex totis viribus meis, laudo, glorifico, benedico, & adoro, simulque cupio ab vniuersis hominibus agnosci & celebrari eum, qui immensa beneficia toti hominum generi per aduentum Christi contulit. Is autem non est primus ille generis nostri pater & perditor, non Abraham pater Patriarcharum & Prophetarum, non Moses legislator Hebræorum, non Dauid aut alius quisquam Regum terræ : sed Deus ipse optimus & maximus huius orbis creator : insuper, Domini nostri Iesu Christi secundum Deitatem æternus genitor : & secundum assumptam ex tempore humanitatem, verus pater atque creator. &c.

Initio autè huius apostolicæ Doxologiæ no-

tandum, vocem *Benedictionis*, in sacris litteris tribus præsertim modis vsurpari. Primò enim homo homini benedicere dicitur, quando illi cuncta fausta & felicia precatur à Domino : eoque sensu Melchisedec dicitur benedixisse Abrahæ, *Gen. 14. 28. & 49.* Isaac, Iacob filio suo, ipse denique Iacob moriturus liberis suis. Et in Euangelio dicitur, quod senex Simeon benedixit parentibus Christi : iubemurque benedicere his qui oderunt nos, sicut Paulus se fecisse scribit : *Maledicimur, & benedicimus.* Secundò, Deus hominibus benedicit, cum vel spiritalibus, vel terrenis beneficiis suis illos exornat & ditat, sicut initio benedixit cuncta quæ fecerat, deinde benedixit Noè, Abraham, Dauid, Israël, &c. Tertiò, Deum ipsum benedicunt homines, vt hoc loco D. Petrus, quando eum toto corde & ore celebrant, simulque agnoscunt & profitètur, ipsum natura sua verè, summèque sanctum, iustum, bonum, misericordem, sapientem, omnipotentè, omnium bonorum auctorem, fontemque vberriimè hominum amatorem : atque ideo dignissimum, qui à cunctis creaturis suis cum omni gratiarum actione laudetur & adoretur. Hoc autem est sacrificium laudis, quod iure suo Deus à nobis repetit; simulque magna autoritate præcipit, vt illud sibi reddamus & persoluamus. *Non accipiam*, inquit, *Psal. 49.* *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sacrificium laudis honorificabit me. Immola Deo sacrificium laudis, &c.* Hoc sanè debetur illi tam propter summam sanctitatem, bonitatem, potestatem, cæterasque naturales perfectiões; quam propter accepta à nobis ab illo beneficia creatio-

nis, redemptionis, vocationis, iustificationis. &c. Debetur inquam, velut iustum tributum, quod summò Regi nostro persoluimus: insuper, tanquam cultus & adoratio suprema, quæ Deo viuenti, omnipotenti, & immortalis redditur. Ad hoc, exemplo suo cunctos hortatur Psaltes scribens: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude: & placebit ei super vitulum noueluum, &c.* Et rursum: *Tibi sacrificabo hostiam laudis. Benedicam Dominum omni tempore, semper laus eius in ore meo. Magnificate Dominum mecum, &c. Benedic anima Dominum, &c.*

Deinde, ad idem laudis Deo persoluendum sacrificium, non modò D. Petrus hoc loco verbis ac exemplis prouocat & docet, verùm, & omnes sanctorum angelorum, & cœlestium, spirituum ordines vt idem præstemus nos inuitant & accendunt, cum sancti Seraphini, thronum Dei circumstantes, sine intermissione canunt, *sanctus, &c.* Et in Euangelio, multitudo cœlestis exercitus cantat, *Gloria in altissimis Deo.* Ioannes quoque audiuit vocem angelorum multorum, & seniorum, dicentium. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, &c.* Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra; & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiuit dicentes: *Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula seculorum, &c.*

Adhæc, patres tam veteris Testamenti post accepta exitia quædam à Deo beneficia, psalmos & cantica ob eam rem edita, corde, ore, & nonnumquam etiam super instrumenta musica

eadem continentes, Diuinamque prouidèriam, potentiam, & bonitatem celebrantes: factis docuerunt, vt pro virili, sortèque nostra tantundem præstemus. Ergo Debbora, Anna, Maria Moïsis soror, sanctissima Deipara, sacris canticis suis ad id nos inuitant: sicut & beati viri Moyses, Dauid, Ezechias, & Zacharias, suis psalmis.

Prouocant quoque omnes creaturarum rerum ordines atque species, quæ suo more Creatorem suum agnoscunt, audiunt, & obedientia factisq; celebrant. Cæli namque suis motibus & influentiis enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Laudant eum sol & luna, stellæ & lumen, cœli cœlorum, aquæ quæ super cœlos sunt, terra, dracones, & omnes abyssi. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & omnes volucres pennatæ. Summa, omnia opera Domini, ipsum Dominum benedicunt, laudant, & superexaltant eum in sæcula. Solus homo eheu! Deum suum blasphematur, despicit, afficit dedecore & iniuria, dum sanctissimum nomen eius in vanū, vel etiam in falsum assumit: verbis illius non credit, aspernatur præcepta: minas paruipendit: voluntatem, sapiusque voluptatem suam illius beneplacito audacter præfert; potius quoque seruit creaturæ, quàm Creatori, qui est benedictus in sæcula. Nonne ergo iure optimo nunc potest multis Christianis exprobrari, quod Iudæis quondam obiecit Isaias, *Per vos nomen Dei blasphematur inter gentes?*

Psal. 68.

Psal. 115.

Psal. 33.
Psal. 102.
103. &c.Isa. 6.
Apoc. 4.

Luc. 2.

Apoc. 5. 7.
12. & 19.

Psal. 18.

Psal. 148.

Dan. 3.

Isa. 52.

Notandum postremò, quod sicut in veteri Testamento Deus se nominabat, Deum Abrahamæ, Deum Isaac, Deum Iacob, vt hoc signo & cognomine seipsum à falsis diis Gentium discerneret: ita sub Euangelio voluit præsertim appellari *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*, quoniam in ipso, & per ipsum se omnino, quantum à viatoribus vult agnosci & coli mundo reuelauit & manifestauit. Itaque Turcæ, Iudæi, Mauri, Tartari, Arriani, Ethnici, quantuncunque fidem suam in vnum verum Deum iactitèt, vera tamen Dei cognitione & religione destituti, in damnabilibus tenebris ac erroribus versantur, quando illum sine coæterno filio suo Iesu, mentibus suis concipiunt. Enimuero, nemo nouit patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Et qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. *Ait namque: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego enim sum via, veritas, & vita.* Sequitur.

Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem domini nostri Iesu Christi.

Postquam Diuinæ maiestati benedixit, ac exemplo suo docuit eam nunquam satis à nobis posse celebrari: nunc aliquot eius in nos beneficia recitat, & causas eorum describit, vt horum omnium consideratione, ad tantum Benefactorem laudandum & benedicendum nos impellat. Primum autem beneficium est regeneratio, seu renouatio nostra per sacramentum Baptismi, quo loti & perfusi toti renouamur, & spiritali metamorphosi transmutamur, effici-

múrque ex filiis adæ per naturam, filij Dei per gratiam: ex vasis iræ ac contumeliæ aptatis interitum, vasa gratiæ destinata ad æternam vitam & gloriam: & ex mancipiis diaboli, membra, fratres, & cohæredes Christi. Hæc autem regeneratio tam mirabilis & suspicienda est, vt verè censeatur noua creatio: & idcirco sic renouatus, dicitur à Paulo, *Nouus homo, nouaque creatura.* Ait namque. *In Christo Iesu neque circumciso aliquid valet, neque præputium,* i. nihil nunc ad salutem prodest Iudaismus, & Paganismus: *sed noua creatura.* Et alibi. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Rursumque. *Expoliantes veterem hominem, induite nouum, qui renouatur in agnitionem imaginis eius, qui creauit illum.*

Eadem insuper regeneratione, etiam anima cum vniuersis facultatibus suis renouatur, quando intellectus illustratur fidei infusione, voluntas decoratur, speret charitate, sanctissimo perpetuoque caractere anima consignatur, elegantissimè domum veri ac viuientis Dei tota cohonestatur imagine. De his quippe dicitur: *sicut portauimus imaginem terreni hominis,* videlicet, peccatum originis, quo tota vitatur & deformatur anima) *ita portemus & imaginem celestis,* id est, Christi. Rursumque, dicimur saluari per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, qui effunditur in nos abundè per Iesum Christum.

Pertinet quoque eadem regeneratio suo modo ad salutem corporum nostrorum, quando illius virtute ac beneficio à condemnatione per-

Exod. 3. & 4
3. Reg. 18.
1. Pet. 2.
Iob. 7.

Matth. 11.

Jo. 5.
Eph. 3.

Tit. 3.

Eph. 2.
Ioan. 1.
Rom. 9.
Rom. 8.

Gal. 6.

Eph. 4.

Coloss. 3.

1. Cor. 15.

Tit. 3.

petuæ mortis, & incinerationis soluuntur: ius verò beatissimæ resurrectionis, ac beatae cælestisque vitæ recipiunt certissimum. Etenim, *ut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Hic pro certo *resormabit corpus infirmitatis nostræ, & illud configurabit corpori claritatis suæ.* Ac huius beneficij firma spe dicimur iam conuiuificati in Christo, & conresuscitati, & confedentes cum illo in cælestibus. Hoc igitur sensu scribit B. Petrus, Deum Patrem domini nostri, nos ingenti bonitate sua sibi regerasse.

Tanti vero beneficij primùm, causam designat efficientem, nimirum, *solam Dei misericordiam magnam, i. copiosam, inexhaustam, ineffabilem ac infinitam.* Maxima enim & multiplex peccatorum humanorum sæditas, non nisi maxima Dei misericordia deleri, ac vetus homo in nouum transire potuit. Hoc autem misericordiæ Dei epitheton desumptum est è scriptis veterum Prophetarum, vt è Dauide exclamante. *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Misericors & miserator dominus, longanimis, & multo misericors.* Similiter moyses & Ionas: *Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, & c.*

Vsum autem, seu finem huius regenerationis nostræ significat dicens, *regenerauit nos in spem viuam.* Id est, vt cordibus & mentibus nostris infigamus certissimam & indubitaram expectationem illius cælestis & immortalis vitæ, qua cum Deo versabimur, & qua Christus iam secundum corpus & animam perfruitur; item, illi

Matth. 27. sancti viri qui cum Christo surrexerunt & in-

trouerunt in sanctam ciuitatem. Ita enim hebraica dialecto *spes viuæ* dicitur, pro spe vitæ, seu vita sperata: licet vas electionis, pro vase electo & pretioso. De hac spe viuæ scribit Apostolus: *Coloss. 3. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et discipulus prædictus: *1. Io. 3. Nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.*

Tandem adiicit eiusdem regenerationis causam mediam seu exemplarem, nempe, *per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Ille etenim sua quidem passione & morte, cum resurrectionem suam gloriosam, tum omnium in se credentium promeruit: nihilominus resurrectioni tribuitur, quoniam per illam toti mundo declarata fuit, quando ex loco numeroque mortuorum, propria virtute sua immortalis, omni gloria & honore coronatus, & sic in æternum victurus resurrexit. Eius itaque resurrectio, verum viuumque exemplar & pignus nostræ resurrectionis est, dicente Apostolo: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quoniam quidè per hominè mors, per hominè resurrectio mortuorū.* Nam cum caput nostrū sit, nosque mēbra corporis eius, imò & os de ossibus, & caro de carne eius; membra verò caput sequuntur, sicutque cum illo eiusdem naturæ & conditionis, oportet vt cum eodem resurgant atque glorificentur. Hoc confirmatum est resurrectione eorum, qui eadem die cum illo surrexerunt: &

1. Cor. 15.

Philipp. 3.

Eph. 2.

Psal. 50.

Psal. 102.

Exod. 33.

Ionæ. 4.

Coloss. 3.

1. Io. 3.

1. Cor. 15.

Matth. 27

in nobis adimplebitur tandem aliquando, vt hęc docet Apostolorum corypheus & princeps. Atque hęc de huius loci interpretatione. Nunc quæ sint in his obseruanda signemus.

In primis autem apparet, cunctorum hominum conceptionem & natiuitatem aded impuram & contaminatam esse coram Deo, & Angelis eius, vt nisi noua mirabilique regeneratione iterum nascamur, de nostra omnium salute penitus actum esse. Ideo enim Christus ait. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Hinc Origenes notat sanctissimos homines, cuiusmodi fuerunt Iob & Ieremias, non tantum lamentis & lachrymis, verum etiam probris & maledictis profecuros esse noctem suæ conceptionis, diemque natiuitatis suæ. Deinde Ecclesiam Cath. non celebrare festiuitatibus suis natalem Sanctorum, sed diem mortis. Estque memorabile, cælum nunquam visum fuisse apertum, antequam Christus à Ioanne baptizaretur, & nobis suscipiendi Baptismi relinqueret exemplum. *Natura igitur omnes nascemur filij ira: & cum Propheta verè dicere possumus: Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Nemo mundus à sordè, nec infans cuius est vnus diei vita super terram: Toto igitur cælo aberrant à veritate Pelagiani, & qui eorum hæresim nunc instaurare nituntur Caluiniani & Zuingliani, dicentes, pueros fidelium ex uteris matrum sanctificatos & puros esse, ac proinde sine*

Ioan. 3.

Com. inc. 2.
Ioan. & in
Psal. 36.Matth. 3.
Marc. 1.
Luc. 3.Eph. 2.
Psal. 50.

salutaris Lauacri susceptione ex hac vita recedentes saluari. Pereunt enim non minus quàm Iudæorum, Turcarum, ac Ethnicorum paruuli, qui solo peccato originali contaminati decedunt: quoniam non sunt in Christo renati, vt doctè & catholicè differit D. Augustinus cunctis libris & disputationibus suis aduersus Iulianum, & reliquos hæresicon Pelagij sectatores.

Colligendum secundò, istam omnium nostrum regenerationem, ex nullis præcedentibus meritis hominum pendere: sed à sola magna sanè atque gratuita Dei misericordia, & benevolentissima caritate. Quid enim mereri, aut iustè agere posset paruulus, antequam natus sit? Adultus quidem nondum baptizatus, potest officii virtutum moralium incumbere, iisque tanquam dispositionibus & præparationibus operam dare, sicut Eunuchus Æthiops, & Cornelius centurio fecisse leguntur: sed illa opera verè non sunt meritoria, quandoquidem extra fidem in Christum, & Ecclesiæ illius vnitatem facta sunt. Paulus quoque discretè ait: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & cat.* Vnde Augustinus. Nobis vt ex aqua & Spiritu sancto renascemur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum: & si nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid vt retribueretur nobis regeneratio salutaris.

Tom. 7.

A. 2. &
10.

Tit. 3.

L. de prædest. sanct. c. 15.

Rom. 11.

Tertiò, meditandum & credendum, hanc Dei nostri misericordiam adeo magnam, immentam, & infinitam esse, vt ipsa Dei natura & propria substantia: quandoquidem re cum illa profus est eadem, non quid alienum vel aduentitium. *Deus*, inquit Apostolus, *dices est in misericordia super omnes, qui inuocant illum.* Magna est altitudine, quoniam & bonos Angelos præseruauit à lapsu, & gratia prima sanctificauit. Magna est profunditate, quoniam ex ipsis inferorum locis, & Patres quondam eripuit, & ex Purgatorio multos in dies liberat, quin & ipsos reprobos citra condignum plectit. Magna est latitudine, quoniam & misericordia Domini plena est terra, & vsque ad cælos misericordia. Magna est duratione, quoniam in æternum misericordia eius. Magna est, quoniam frequenter eruit nos ex inferno inferiori. Magna est, quoniam omnem cuiuscunque peccati grauitatem superat. Magna est, quia nulla vnquam sui effusione & communicatione minui, aut exhauriri potest. Magna denique misericordia Dei, quot modis & ipse Deus magnus est, &c. De hac æquè piè ac scitè Bernardus: Non artatur numero, non clauditur fine, nullas omnino metas habet. Et idem rursus: *Maior est, ait Cain, iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Absit, absit. Maior est Dei pietas, quàm quæuis iniquitas. Reuera benignus & misericors est, suavis & mitis est, copiosæ misericordiæ, præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Miserationes eius super

Eph. 2.

Psal. 37.
Psal. 61.Ser. 11. &
36. in Cant.

Gen. 4.

super omnia opera eius. Rectè non pater iudiciorum, vel vltionum dicitur, sed pater misericordiarum: quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio: iudicandi vel vlciscendi ex nostro. Augustinus de eadem. *Tantum quicquid sum, Domine, de misericordia tua est. Vt enim essem, quid feci? Vt essem qui te inuocarè, quid egi? Quia ergo nemo te in misericordia largior, à quo accepi vt essem, ab illo accepi vt bonus essem, Deus meus, misericordia mea.* Et idè alibi. *Respira ô peccator, respira, ne desperes. Spera in eo, quem times, fuge ad eum à quo aufugisti, inuoca humiliter què superbè prouocasti, dicque ei. Iesu obliuiscere superbum te prouocantè, respice miserum te inuocantem. Noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Iesu, & si ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles. Si castitatem meam mihi ademi, non misericordiam tuam peremi. Conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quòd misericordia tua superat omnem offensionè, &c.*

Quartò notandù, vniuersos homines quãdiu superfuerint, inter graues tentationes, certissima pericula, & præsentissimas mortes, in spe tamen viua, caritate firmata & bonis cœlestibus innixa, præsertim viuere debere. Tametsi enim fide cõstanter credamus, seruis Dei in cœlis summam felicitatem & gloriam repositam conseruari, illam tamèn necdum oculis conspiciamus, nec manibus te-

Conc. 2. in
Psal. 58.L. de contr.
cordis. c. 5. &L. Meditar.
cap. 39.

nemus, aut possidemus: sed omni fiducia speramus. Nobis ergo dicendum cum Dauide. *Domine, singulariter in spe constituisti me. In te Domine speravi non confundar in aeternum. In verbum tuum super speravi. Speravi in sermonibus tuis.* Et cum beato Iob omnibus aduersis exposito & afflicto: *Scio quod in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum. Reposita est hac spes mea in sinu meo.* Appositè ad hæc D. Bernardus. In spe viuimus, ne deficiamus in tribulatione præsentis, eo quod in expectatione simus indefectibilium gaudiorum. Et idem postea. Propter te Domine, omnia detrimentum feci, & ut stercora arbitror, quoniam tu es Domine, spes mea. Si mihi præmia promittuntur per te certè obtinenda sperabo. Si insurgant aduersum me prælia, si sauiat mundus, si fremat malignus, si caro ipsa aduersus spiritum concupiscat, ego in te sperabo. Prætendat alter meritum, sustinere se iacet pondus diei & æstus, ieiunare bis in sabbato dicat, non esse sicut cæteros hominū gloriatur: mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Ut quid, si hæc sapimus, ut quid cunctamur abiicere spes miseras inutiles, seductorias, & huic tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spiritus inhærere, &c.

Quintò denique obseruandum, quàm utilis & fructuosa fuerit vniuerso generi humano Christi resurrectio, quamque piè meditanda, & cunctis prædicanda sit: quando per hanc maiora bona receperimus, quàm per Adam

Psalm. 4.
Psalm. 30.

Psalm. 118.

Iob. 19.

Sermo. 7. in
Psalm. 90.

Sermo. 9. in
Psalm. 90.

perdidimus. Ille quidem peccans & moriens, nihil aliud posteris suis reliquit, præter condemnationem mortis vtriusque, id est, corporis & animæ: Christus autem sua resurrectione aded certam & euidentem vtriusque immortalitatem & glorificationem in vita cælesti, velut si iam cum illo immortales & gloriosi resurrexissimus. Ille à peccato & diabolo leui momento superatus, omnes liberos, & posteros suos in parem seruitutem adduxit: Christus sua resurrectione omnia peccata aboleuit, mortem superauit, & diaboli tyrannide totū genus hominum liberauit. Non quod non sint, aut nos non obsideat, infestent, & & hostiliter impugnent, ut in pristinam seruitutem miseriamque deducant: sed quod illorum vires ac furores aded repressit, ut nobis non præualeant, nisi quantum spontè ac libere eis permiserimus & consenserimus. Bono igitur nos omnes animo esse præcipiens dixit.

Confidite, ego vici mundum. Nunc princeps mundi ei- *Ioan. 16.*

cietur foras. Quæ velut explicans Paulus scribit: *Ioan. 11.*

Cum mortui essemus delictis, Deus conuincit nos cum Christo, donans omnia delicta, delens quod aduer- *Coloss. 2.*

sum nos erat chirographum decreti: & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. Et ideo cū magna fiducia idem sic morti insultat, & eandem ridendam

1. Cor. 15.

& contemnendam omnibus Christi membris *1. Cor. 15.*

proponit: *Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria videlicet, resurrectionis primò Christi, deinde & nostræ. Vbi est mors victoria tua? Vbi est*

mors stimulus tuus? Deo autē gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum.

4. *In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis.*

HO c quarto versu subnectit Apostolus nostrā regenerationis causam finalē, videlicet, vitam æternam, morte Christi cōparatam, resurrectione autem exhibitam, communicatā verò nobis in spe, veluti membri capiti suo adhærentibus per lauacrum regenerationis & renouationis. Hanc porrò vt nulli vnquam hominum, tanquam aliquid vile contemnerent, sed è contrario, summis votis diligerēt, optarent, & quærerent, quinque nobilibus titulis planēque diuinis epithetis exornat atque describit.

Ac primò quidem appellat eam *hereditatem*: propterea quòd ipsa quodam iure ad nos pertineat, veluti Dei patris nostri hæredibus, & vnigeniti filij eius, fratris autem nostri Iesu Christi cohæredibus. Hæreditas enim est possessio rei immobilis, à parentibus in liberos iure naturæ descendens. Ius autem ad eam accipimus, quando per Baptismum regenerati, adoptamur in filios Dei: Christi autem vera viuæque membra efficitur. Id Paulus explicat & corroborat scribens: *Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, quòd filij Dei sumus. Quòd si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & glorificemur.* Et rursus. *Saluos nos fecit per lau-*

crum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem, vita æterna. Et alibi, confert Christianū adhuc mortalem, & nobiscum peregrinātem in terris, cum paruulo hærede sub tutoribus constituto, qui tamen ipso iure naturæ, hæres est, & dominus omnium paternarum facultatum. Psaltes quoque passim ipsam vitam æternam nomine hereditatis intelligit, vt Psalmo 15. *Dominus pars hereditatis mea, &c.* Hinc A V G V S T I N V S, Vnam cum sanctis Angelis ciuitatem habebimus, à domino possidebimur, hæreditas eius erimus, & ipse hæreditas nostra erit, quoniam ei modò dicimus: *Dominus pars hereditatis meæ: & de nobis dictum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.*

Hanc porrò Patris nostri cœlestis cœlestem hereditatem, à qualibet terrena hereditate plurimùm distare tradit idem A V G V S T I N V S, primò quòd pater habens vnicum filiū gaudet, quia solus possessurus est omnia, & non habebit qui cum illo diuidat hereditatem, vt pauperior remaneat. Deus autem vnicum Filium suum misit in mundum, vt non esset vnicus, sed multos haberet fratres adoptatos & cohæredes. Non timuit iste habere cohæredes, quia hereditas eius non sit minor, si multi eam possederint.

Secundò, in eo etiam illam differre idem adfirmat, quòd pater non possidet hereditatem suam cum filijs suis, sed moriens quia non potest secum auferre eam, possidendam relinquit. Hæredes autem Dei sic sunt, vt

Com. in psal.
136.

54 COMMENTARIA IN CAP. I.
ipse Deus sit hæreditas nostra. Nam cum possidemus, & ille nos possidet. Et idem alibi. Vnde ne perdas cæleste patrimonium, ne amittas Christum coheredem, quia victurus es in æternum cum eo, qui te fecit hæredem. Non enim talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum viuas. Et rursum. Tanta est caritas in illo hærede, vt voluerit habere coheredes. Hæc autem hæreditas non minuitur copia possessorum, non fit angustiior numerositate coheredum: sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus, & c.

Com. in psal.
149.

Incorruptibilem.

Secundo titulo vocat cælestem hæreditatē & gloriā, *incorruptibilem*, id est nulli defectiōni, vicissitudini, aut alterationi subiectā. Nam cælestis beatitudo secunda, æterna, atque permanens est in omnibus Sanctis, & ab eadē nūquam excidet: sed vt animæ beatę immortales sunt, sic Dei visione atque fruitione in perpetuum gaudebunt: horūque corpora semel resuscitata, erunt immortalia, impatibilia, & in æternum incorruptibilia. *Abserget namque Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor.* Sensus igitur huius loci est. Meritō benedicendus, & à multis superexaltandus, & laudandus est Deus noster, qui nos per peccatum primi parentis nostri exhæredatos, proscriptos, quinimō & morti sempiternæ adiudicatos, per Christum filium suum reuocauit, adoptauit, & parti hæreditatis (quam vt

1. Cor. 15.

Isa. 25.

Apor. 21.

flij prodigi perdididerunt) restituit, atque etiā totius hereditatis & gloriæ suę nos fecit participes. Hæc autem hæreditas non est aliqua Palesina aut Syria, non regnum aut imperium temporale corruptioni subiectum: sed gloria, vitæque cælestis, quæ nec senio, nec morbo, nec bello, nec morte tangetur, vel tolletur in æternum.

Quid autem habet totus hic mundus tam excellens, tam rarum, tam pretiosum, quod possit huic comparari? An non omnia regna, omnia imperia, omnes opes, omnes honores? omnes delitiæ eius, interitui subiiciuntur, citò citius pereunt? Etenim omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Transit autem mundus, & concupiscentia eius, sed de hoc cælesti regno, de hac felici vita Isaias & Paulus viri Dei protestantur: *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus preparauit diligentibus se.* Quis ergo hæc perpendes, non cū Paulo & aliis Apostolis, omnia sua relinqueret imò & arbitraretur stercora, vt ad hanc perueniret? Thesaurus est absconditus in agro, quem qui inuenenerit, præ gaudio vadet, & vendet omnia sua, vt cõparet illum. Terrena substantia huic comparata, pondus est, non subsidium, & c. Væ igitur hominum focordiæ, qui luto terreno infixi atque demersi, de hac felicitate vel raro, vel nunquam seriò recogitant.

Isa. 64.

1. Cor. 2.

Math. 19.

Math. 23.

Incontaminatam.

Tertio titulo, cælestis hereditas dicitur *incorrupta*

minata, i. tam pura sancta, & munda, vt nullas sordes, nullas maculas admittat: sed & nullum aliqua labe coinquinatum recipiat, nulla impuritas culpæ originalis, mortalis, aut venialis huic inferri valeat. Nullus præfatam hæreditatem caput, nullus illa gloria cœlesti frui potest, nullus beatissimum hoc regnū ingreditur, nisi plenè planèq; mundus ac expurgatus fuerit, siue in hoc sæculo per Baptismū, & pœnitentiam, siue in altero per ignem expiatorium.

Nobis igitur omnibus studendum est puritati, innocentie, & sanctitati tam corporum quam animarum, vt hanc hæreditatem adeamus. *Sancti estote*, ait pater cœlestis, *quoniam ego sanctus sum*. Et Dauid inuestigans, quis habitaret in diuino monte & tabernaculo, audiuit: *Qui ingreditur sine macula, &c. Innocens manibus & mundo corde, &c.* In Apocalypsi dicuntur illius ciues & possessores, indui stollis albis, quas lauerunt in sanguine Agni. Rursūmque, comparantur cum auro mundo, lapidibus pretiosis ac pellucidis, quæ sordes non admittunt. Ab illa ergo longè arcebuntur, qui superbia, ambitu, auaritia, vsuris, rapinis sacrilegiis, aliisque vitiorum sordibus commaculati de vita exierint.

Et immarcescibilem,

Quartò, hæreditas nostra cœlestis dicitur, *immarcescibilis*, sumpta similitudine à floribus, qui quantumlibet speciosi, grati, ac odoriferi sint, breuissimo tamen spatio arescunt, marcescunt, decidunt, putrescunt. His autem vi-

ta humana cum omni gloria sua, cum honoribus & pompis suis aptissima comparatur, vt potè cum Propheta clamare iubeatur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exsiccatum est enim, & cecidit flos.* *Iob* istā mundi & carnis vanitatē expertus ait. *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Nam senescentes tam viri quam fœminæ, formā ac vires amittimus, cani, morosi, rugosi, vieti, inamœni, & inamabiles euadimus. Vita verò æterna nunquam marcescit, nunquā senescit, nulla sentit detrimenta. Non à furibus rapi, non ab homicidis tolli, non senio confici, non igne absumi potest. Quæ igitur gazæ, quæ delitiæ, huic conferri possunt?

Nolite ergo thesaurizare vobis thesauros in terra, suo iure, nostro autem commodo, inquit Christus, *vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate verò in cœlo, &c.* Delitiæ porrò huius cœlestis vitæ in hoc etiā à terrenis delitiis differunt, (ait B E D A) quòd illæ ex longo vsu in beatorum mentibus nunquam vilescere possunt, nunquam in fastidio erunt: præsentis autem sæculi luxus ac delitiæ solent diuturna consuetudine fastidiū nauseamque parere. Quæ desumpta videntur à B. GREGORIO scribente: Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quòd corporales delitiæ, cum non habentur, graue desiderium in se accendunt, cum habentur, in fastidium vertuntur. At contrà, spirituales delitiæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum habentur, in desiderio, &c.

Isa. 40.

Iob. 14.

Math. 6.

Homel. 36. in Euangel.

Leuit. 11.

Deuter. 10.

Psal. 14.

Apocal. 5.

& 21.

Conseruatam in cælis.

Postremò, hæc cœlestis hæreditas ad quã regeneramur & adoptamur, dicitur, *nobis conseruari in cælis*, quod ad eius præstantiã & securitatem pertinet. Nam in terris constituta faisset, ab illa nos iterũ posset Sathanas suis fraudib⁹ deturbare: sicut olim Adamum de paradiso expulit terrestri. Possunt & tyrãni dũ sinũtur, armis nos inuadere, & proprio solo, dominiõque nos expellere, quẽadmodũ Israëlitic⁹ populus è terra Palestinæ per Chaldæos eiectus est. Itaque vt sciamus verã hereditatẽ filiorũ Dei esse extra omne periculũ, omniqu; trepidatione liberemur, docet hoc loco Apostolus, eã *in cælis conseruari*, & inter manus Dei retineri: proinde nos eã tam securè expectare, & sperare debere, ac si è cælis Deus ipse ad nos clamaret: en salus, en vita, en gloria, en summũ bonum vestrũ pueri mei, in manu mea est: vobis omnia ista cõseruo: tantũ properate vt accipiatis. Et si impij terrenas domunculas vestras deripiant, exurant, subuertãt, possessiunculas rapiant, corpora deniq; torqueãt & occidant; cœlestẽ tamen domum vestrã, ciuitatẽ vestrã, hæreditatem vestrã occupare nunquã poterunt: quandoquidẽ à Deo inuicẽto custode in cælis seruatur, quò nunquam perueniẽt impij. Confidite ergo, quoniam & si aliquot dies hic in laboribus & ærumnis trãsigatis, & hanc hæreditatem nondũ reipsã possideatis; non tamen amissa est, sed ad tempus seruata & dilata. Hanc pro certo è mortalibus excedentes reposita comperietis in cælis. Ob eam

rem Christus Apostolis dixit: *Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis*. Et Paulus cum omni constãtia & securitate prædicat: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd edificatiõnem ex Deo habemus, Domum non manufactam in cælis*. Et idem alibi pios omnes ad quãuis adeunda pro Deo certamina sic animat: *Mortui estis, sed vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo*.

Quomodo autem terrena hominum corpora vel super cœlos, vel in ipsis cælis immortalia, clara, sultilia, pellucida, agilia, & impatibilia, perpetuò subsistere poterunt, multis argumentis disputat & probat Augustinus aduersus inficiationes Ethnicorum & hæreticorum, libro II. de Ciuitate Dei, à capite secundo, vsque ad duodecimum.

5. *Qui in virtute Dei custodimini, per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.*

Post primum Dei in nos beneficium descriptum & explicatum, videlicet, regenerationis, subiungit nunc secundum, nimirum, conseruationis & protectionis Diuinæ, qua pij viri inter frequentissima maximãque pericula, quibus omni loco & tempore incolatus eorum expositus est, diuinitus seruantur, & nonnunquam miraculis liberantur, Hoc autem fit, vt hinc sibi constanter persuadeant, & corpora, & animas, & vitam suam esse curæ Deo omnipotenti, ac eundem

plusquam paterna sollicitudine pro nobis vigilare. Huius custodiae diuinæ causam efficiētem ac præcipuam adfirmat esse *Virtutem Dei*, id est, summam illam ac insuperabilem omnipotentiam, qua quæcunque vult efficaciter operatur in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis: cuique nulli tyranni, nulli exercitus, nulli demones, nulli inferi, possunt resistere. Siquidem *non est prudentia, non est consilium, non est fortitudo contra dominum.*

Prover. 27.

Secundam & mediam causam tradit esse, *Fidem nostram*, qua virtute Diuinis verbis & promissis innitentes, cum Abraham patre fidei nostræ corde credimus, & ore profite-mur: eum omnia posse, & *quæcunque promissit, potens est & facere.*

Ess. 4.

Causam finalem docet esse *salutem* animarum ac vitam illam cælestem, æternam, & beatam quæ suo tempore, id est, post completum electorum numerum reuelabitur, & & manifestabitur coram toto mundo, in perfecta Sanctorum glorificatione. Vult itaque Apostolus. Iure à vobis cunctisque filiis hominum laudandus & benedicendus est ille Deus optimus & maximus, non solum quod nos iræ ac mortis æternæ filios regeneravit in beatam ac cælestem vitam: sed & quod tot periculis, tot hostibus, tot certaminibus (quibus impar est imbecillitas humana) in terris expositos, suæ protectionis præsidiiis illætos custodit. Nam cum tot insidiæ à cæcodæmonibus salutis vestræ invidentibus, vobis parentur, cum tot aduersarij visibiles &

Apo. 6.

inuisibiles, à fronte & à tergo, à dextris & à sinistris immineant, qui conantur vobis præpedire cælestis hæreditatis aditum, & possessionem, hæc spes vestra tantis malis excideret, ni præsto vobis semper adessent diuina præsidia. Vestram igitur constantiam & perseverantiam Diuinæ protectioni ferte acceptam, non propriis viribus: quandoquidem nisi dominus custodierit civitatem, nisi ædificauerit domum, frustra laborant custodes ac ædificantes. Experto mihi credite, qui de propriis viribus confusus, magnifica promissi: sed mihi relictus nihil eorum, sed potius contraria & pugnancia præstiti. A domino quoque dictum est mihi: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ergo in negotio fidei & salutis vestræ non oportet vos esse otiosos ac desides: sed præstare quæcunque poteritis. Verbis diuinis constanter credite, promissis confidite, mandatis morem gerite, & vobis iam per Christum cælestem hæreditatem, tandem aliquando pro certo accipietis.

Psal. 125.

Mat. 25.

Luc. 22.

In his autem primùm considera, quàm misera & calamitosa sit vita hominum super terram, quæ innumeris hostibus continuo sit exposita: & ideo merito à beato Iob censetur iugis militia. Qui & de seipso scribit: *Cunctis diebus quibus nunc milito, expetto donec veniat immutatio mea.* Christus quoque in Evangelio, tanquam omnia aduersariorum & delictorum plena essent, suæ vocis clangore nos excitans personat: *Videte, vigilate, orate.* Paulus quoque in hac militia exercitatissimus

Iob. 7.

Iob. 14.

Mat. 13.

Eph. 6.

dux classicum canit. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare aduersus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersarios domesticos & visibiles, cum quibus inducias vel pacem inire possumus, quique aliquando quiescant, vel fatigentur; sed aduersus principes, potestates, mundi rectores tenebrarum harum.* Clamemus ergo iugiter ad Dominum! *Resistentibus dextera tua custodi me, ut pupillam oculi. Domine, ad adiuuandum me, festina. Libera nos a malo. De ore leonis libera me Domine, &c.*

Summa deinde cum benignitate audi, quo sis bono & presenti animo, si in Dominum IESUM CHRISTUM toto animo credideris & speraueris. Summus ac omnipotens Deus sua virtute custodit te, omni tempore, & loco parata sunt tibi custodiae illius praesidia. Non finit daemones, tyrannos, homicidas sequere quantum possent & vellent: sed horum rabiei & furori metas ponit, ut seruis suis non tam noceant quam cupiunt. *In virtute Dei eius custodimini, qui Satanæ aduersum Iob insurgenti & furenti, primò dixit. Vniuersa quae habet in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Et secundo, In manu tua est, verumtamen animam illius serua.* Aliis quoque malis Angelis ad nocendum paratis dicitur. *Nolite nocere terræ, neque arboribus, quoadusque si gnemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Hinc vir Apostolicorum temporum Tertullianus. Nihil Satanæ in seruos Dei viui licet, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem

Iob 1. & 2.

Apo. 7.

L. de fuga in
pesc. c. 2.

electorum in tentatione victricem: aut homines eius fuisse traducatur, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Iob, &c. Et in Apostolos facultatem tentationis postulauit, non habens eam nisi ex permisso. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam à Deo impetrasset, tantum abest ut in oues Dei habeat. Est igitur diuinæ custodiae erga nos tanta sollicitudo, ut verè dicat: *Ego ero murus ignis in circuitu. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei, &c.*

Luc. 21.

Marc. 5.

Zach. 2.

Nec praetermittendum, huius custodiae effectus frequenter per bonos Angelos, qui vbique nobis adsunt, custodiuntque in omnibus viis nostris, frequenter administrari. *Sunt enim omnes spiritus administratorij in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Enimuerò tres pueros inter flammam seruauerunt, adfuerunt Danieli ne à leonibus discerperetur, Susannæ ne lapidatione periret. Mosem, Dauidem, Eliam, Elisæum, Petrum, Paulum, &c. Non deseruerunt in summis periculis, &c. Nihil ergo dubitemus cum beatis Patriarchis Abraham, Loth, & Iob, Angelos suppliciter venerari, & in auxilium nostrum appellare: nihil cunctemur post lectissimos prophetas Danielem & Zachariam ad eorum confugere patricinium, etsi Vigilantium, Hugnesticorum, & reliquorum Hagiomachorumumperentur illa. Cum piissimo & sapientissimo patre Augustino dicamus: Sancte

Psal. 90.

Ecb. 1.

Psal. 33.

Gen. 18. &
19.

Iob 5. & 19.

Dan. 10.

Zach. 1.

L. Medi.
cap. 40.

Michaël, Sancte Gabriel, Sancte Raphaël, Sancti chori, Angelorum atque Archangelorum, per illū qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis vos rogare præsumo, vt pro me supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari, &c.

Attende præterea verā fidei summam nobis esse necessitatem, quando etiam dicimur, *custodiri in salutem*, i. vera viuāque fide peruenire ad salutem. Docet enim hæc fides nos sine Dei virtute non posse subsistere: & idcirco ad auxiliū eius semper cōfugiendū, omnīq; loco & tēpore Deum inuocandū esse. *Quomodo inuocabunt*, inquit Paulus, *in quem nō crediderunt?* Idem alibi multis & grauiſſimis exēplis veterum confirmat, istius fidei necessitatē & utilitatem: & demū subnectit: *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti sunt retributiones, &c.*

Obserua quoque, diuina sanctorum præmia hoc quidem tempore nos latere, cōsque insipientium oculis, & carnis iudicio, a deo derelictos videri, dum ab improbis opprimuntur, vexantur, crudeliter occiduntur. Sed coram Deo in cœlis sunt liberi, viuētes, victores, & triūphantes: vt in resurrectionis die huius sæculi nouissimo palā omnib⁹ declarabitur. Nobis interim fati sit, quod hæreditas æternæ felicitatis nobis promissa, est in tuto. Hanc nullus hominū & dæmonum intercipient, modo ne deficiat fides & spes nostra, sed contemptis hostium minis, soli è cœlo, & prouidentia protectionēque diuina pendeamus.

Disca-

Discamus postremò, perfectam beatitudinem felicitatēque Christianorum differri vsque ad nouissimū ac postremum tempus, quo per gloriosum Christi aduentum cum corporibus è puluere excitatis, reformatis, & glorificatis Sancti omnes cum ipso rapiuntur in nubibus, deinde in cælis: & sic semper cū Domino erimus. Præsens igitur tempus est laborum & certaminum, futurum autem, præmiorum & coronarum. Ad hoc Christus suorum spem remittebat, d. *Vos qui reliquistis omnia, &c. in regeneratione sedebitis super sedes, &c.* Animis quoque Martyrū vindictam de Tyrannis poscentibus, dicitur: *Expectate adhuc modicum tempus donec impleatur numerus fratrum vestrorum, &c.* Et in Euangelio scribitur: *Venit hora & nunc est, quando omnes qui in momentis sunt, &c.*

6. *In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus.*

Hoc est tertium beneficium Dei, per aduentum Christi, & prædicationem Euangelij datum huic mundo, nimirum, quoddam internum gaudium, in super externa quædam exultatio Sanctis proueniens de certa consolatione, & visitatione Diuina in rebus aduersis. Gaudium enim est passio voluntatem afficiens lætitia, ob præsens ali- quod bonum, veluti de Magis scriptum est. *Videntes stellam quam viderant in oriente, antecedentem eos, & stantem supra domum ubi erat puer, gauisi sunt gaudio magno valde.* Zachæus quoque audiens Christum semetipsum inuitantem in domum suam, *cepit illum gaudens. Discipuli, gauisi sunt*

I. Cor. 15.

Math. 19.

Apo. 6.

Ioan. 6.

Math. 2.

Luc. 19.

Ioan. 20.

Luc. 24.

E

visi Domino, iam mortis & inferorum victore. Superiorum itaque verborum Apostolicorum sensus est. Non solum vobis magno gaudio lætandum est, Carissimi, verum & voce, & gestibus est exultandum, quod certissima salus, cælestis hæreditas, & vita æterna, non tantum vobis in cælis parta, sed etiam seruata sit à Deo patre nostro clementissimo, & liberalissimo. Nondum quidem, fateor illa re ipsa frui datum est, adhuc latet in Deo: adhuc fide credendum, adhuc spe præstolandum, caritate amandum, & ardentè optandum est, summum illud bonum. Adhuc per multiplices afflictiones, ad illud contendendum & properandum est. Etenim *non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*. Sedere ad dexteram Christi non datur, nisi his qui calicem passionum eius Biberint, & crucem baiulauerint. Verum, bono animo vos esse, & sub hoc crucis onere gaudere, & exultare oportet: quandoquidem vobis tot consolationes, & diuinæ visitationes aderunt quod cum illustrissimo Rege & propheta dicere poteritis: *secundum multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ latificauerunt animam meam*. Propter Christianam religionem, variæ vos circundabunt molestiæ, vt mundi odia, minæ, facultatum direptiones, exilia, carceres, cruces, ignes, bestię, & reliqua suppliciorum genera. At verò, Pater cælestis laborantes pro nomine filios suos nunquam deseret: Christus militibus suis aderat: Spiritus sanctus templa sua non derelinquet. Dabit vires sub cruce, animos vestros confortabit, vt cum gaudio & alacritate hos labores perferatis. De-

2. Tim. 2.

Math. 10.

Psal. 93.

indè, breues erunt vestræ molestiæ, breuissimæque certamina, coronæ autem perpetuæ ac interminabiles, &c.

Græci quidem legunt *ἐν ᾧ ἀγαλλιάσθε*, *Exultatis*; præsentì tempore, atque sic reddit interpret Oecumenij, & omnes noui interpretes. Sed bene habet, quod etiam Erasmus fatetur, præsens tempus vsurpari pro futuro. Certè interpret Syrus per futurum reddidit. *Lætabimini in æternum*. Latini omnes quos legere contigit, vt Beda, Thomas, Lyranus, Hugo, Carthusianus, Folengius, Catharinus, & quod mihi præcipuum est, Romæ nuper recognita ac emendata sacrorum Bibliorum editio vulgata, constanter efferrunt per futurum. Itaque vetus noster interpret non malè legit *ἀγαλλιάσθε*, *exultabitis*. In paraphrasi ad vtramque lectionem respeximus.

1593.

Notandum itaque duplex esse gaudium, aliamque exultationem piorum in hoc sæculo, ab ea quæ illos manet in futuro. Gaudium præsentis vitæ consistit in spe, multasque molestias admittit: gaudium futuræ, in re est; nullisque aduersis rebus interturbatur. Gaudent ergo, imò etiam vultus hilaritate, exclamationibus, canticis spiritalibus, & manuum complofione, internam animorum lætitiã & exultationem, pij viri palam manifestant, quando conscientiarum pacem, diuinique Spiritus visitationes, & consolationes sentiunt; tametsi secundum carnem, cum huius mundi calamitatibus & aduersis, sit eis adhuc colluctandum. Idèd Christus Apostolis: *In me pacem habeatis. In mundo pressio-* Ioan. 16:

68 COMMENTARIA IN CAP. I.
ram habebitis. Et alio in loco. Cum vos oderint ho-
mines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne
malum aduersum vos mentientes, propter me, gaudete
& exultate, & car. Itaque adhuc peregrinan-
 tes & afflicti secundum carnem, pij & possunt
 & debent animis exultare. Quocirca de primis
 Christianis inter Iudæorum minas Ierosolymis
 degentibus dicitur: *Quotidie perdurantes eratis*
unanimitè in templo, & frangentes circa domos pa-
nem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate
cordis, collaudantes Deum. Postea, cæsis Apосто-
 lis denunciatur, ne omninò loquantur in nomi-
 ne Iesu. At illi ibant gaudentes, quoniam digni ha-
 biti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Paulus
 refert hoc gaudium inter fructus donaque Spi-
 ritus sancti: & Romanis bene precatur. *Deus*
autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo.
 De hoc Dauid in Psalmis. *Exultabunt labia mea*
cum cantauero tibi. Cor meum & caro mea exultaue-
runt in Deum uiuum. Repletum est gaudium os nostrum,
& lingua nostra exultatione, &c.

Gaudium verò quod in vita futura & cælesti
 Sanctos Dei seruos excipiet, quis non dicam
 complecti orando, sed percensere numerando
 possit? Profectò nec summi viri Isayas, vel Pau-
 lus: quandoquidem vterque illorum scribat,
 quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor ho-
 minis ascendit, quæ preparauit Deus iis, qui diligunt
 illum. Quanta lætitia perfruentur, quibus gau-
 diis exultabunt, quanta in voluptate bacchabun-
 tur in nouissimo die, quando cum corporibus
 gloriosis, agilibus, immortalibus, omni luce
 clarioribus, à beatis Angelis rapiuntur in nubi-

bus obuiam Christo in aëra? Reuelata facie glo-
 riam Domini speculabuntur? Cum eo regna-
 bunt in perpetuum? Videbunt eum sicuti est? *Beati æuo sempiterno fruuntur in cælis? Exulta-*
bunt in gloria, & lacrabuntur in cubilibus suis, &c. In
 hanc ergo spei & futuræ exultationis gratiam,
 oportet veros Christianos propter Dei nomen,
 omne afflictionum genus æquis & gratis animis
 ferre: siquidem breue est quod cruciat, æternum
 quod delectat: modica passio, gloria infinita.

Obseruandum deinde, Deum illos nunquam
 deserere, qui propter doctrinam ac Ecclesiam
 filij sui affliguntur, præsertim cum ad eius præ-
 sidium feruentissimis precibus confugiunt: Tum
 enim vel secretis gratiæ suæ subsidiis illos con-
 fortat; vel cum gloriæ suæ, vel illorum saluti
 expedierit, manifestis miraculis eos ab omnibus
 periculis & angustiis potenter asserit & liberat.
 Promittit enim: *Cum ipso sum in tribulatione, eri-*
piam eum, & glorificabo eum. Et per Isaiam: *Noli*
timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus
es tu. Cum transferis per aquam, tecum ero, & flumina
non operiet te: cum ambulaueris in igne, non combure-
ris, & flamma non ardebit in te. Moli trepidanti,
 & ad Pharaonem pergere recusanti, dixit: *ego*
ero tecum. Et ad Iosue: *Confortare & esto robustus.*
Sicut fui cum Mose, ita ero tecum: non dimittam, ne-
que derelinquam te. Nec vana promissa, sed in-
 significis miraculis & factis comparata, in Iacob,
 Ioseph, Dauide, Daniele, Petro, Paulò, & aliis
 innumeris. Hinc Paulus gratias agens exclamat:
Benedictus Deus & Pater Domini Iesu Christi, pater
misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui con-

solatur nos in omni tribulatione nostra. Et paulò post. Sicur abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.

Quod si postrema dies, vitæ nostræ mortalis adfuerit, & nos ad se Dominus aliquibus suppliciis euocare voluerit, tunc omnium maximè & gloriosissimè, & ab omni hominum tyrannide, & à cunctis mundi huius calamitatibus clementissimè liberat, vt cum Angelis in cælestibus muneret atque coronet. Ita enim Ioannem præcurforem suum Herodis gladio, Iacobum fratrem Ioannis, alterius Herodis ferro, Stephanum Iudeorum lapidibus, Petrum & Andream cruce, Ignatium dentibus leonum, Polycarpum flammis, Clementem aquis potenter ereptos, ad martyrij triumphos & palmas euocauit; Beati qui sic pro Domino moriuntur. Requiescunt enim à laboribus suis.

Præterea, videmus oportere, ita Deo sapienter disponente & volente, seruos suos in hoc mundo, & secundum carnis sensum affligi, & hinc inde mœroribus affici, tam propter varia vitæ præsentis incommoda, quam futuræ atque felicioris flagrans desiderium. De vtroque Paulus dicit: *Coartor è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Frequenter quoque ingerit Scriptura, ferendum esse crucem, abnegandos nos ipsos, commoriendum esse cum Christo, vt cum ipso resurgamus: crucifigendam esse carnem nostram, cum vitiis & concupiscentiis suis: per multas tribulationes intrandum in regnum Dei: omnes qui

piè volunt viuere in Christo persecutiones passuros, & plurima alia carni valdè molesta & difficilia. Ideo, continuò certandum aduersus propriae carnis nostræ propensiones, malignorum spirituum continuos impetus, & innumera mundi huius scandala: cum quibus assidua pugna, & rara victoria. Quis ergo pius, tormentarum pertæsus non exclamaret, *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. Tibe in pace suscipi animam, &c.*

Accedit, quod & hæc piorum tentationes, id est, afflictiones, ærumnæ, calamitates, variæ sunt, & multiplices. Nam vt fluctus fluctum tradit, sic calamitas calamitatem trahit, alia aliam euocat. Nulla calamitas sola. De his scribit & grauius conqueritur Paulus. *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, &c. Nos periclitamur omni hora, &c.* Augustinus vehementer deplorat varias tentationes à dæmone nobis obiectas in diuitiis, in paupertate, in somno & vigilia, in verbis, in cogitationibus, in operibus, in otio, & vbique gènum & rerum: quodque insigni fraude hostis ille antiquus nunc agnum, mox lupum, nunc lucem mox tenebras se fingit, vt incautis imponat, omnes autem damnet & perdat.

Sed bene res haber, quòd istiusmodi tentationes & afflictiones piorum quantumlibet acerbæ, & longæ carnis iudicio censeantur, re ipsa tamen breues, leues, & modicæ à Spiritu

Apo. 14.

Philip. 2.

Math. 10.

E 16.

2. Cor. 7.

2. Tim. 2.

Gal. 5.

Act. 14.

2. Tim. 3.

Gal. 5.

Rom. 8.

Eph. 6.

Psal. 120.

Psal. 149.

Tob. 3.

2. Cor. 11.

1. Cor. 15.

Soliloq. c. 16.

E 17.

sancto hîc & alibi non rarò iudicantur : & ὀλι-
 γον ἄρτι, paululum nunc, modicum nunc, vel vt
 Syrus habet, & si in hoc tempore paululum, appella-
 nantur. Enimvero si eas cum æterna felicitate,
 cælesti gloria, ac vita sempiterna quæ his repo-
 sita est apud Deum, comparauerimus, plus-
 quam momentaneæ proculdubio censebuntur.
 Hinc Paulus, *Id quod in presenti est momentaneum
 & leue tribulationis nostræ, supra modum in subli-
 mitate aternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Et
 Sapiens ait: *Iusti in paucis vexati, in multis
 benè disponentur.* Rursum, si easdem cum sup-
 pliciiis pœnisque criminibus nostris debitis con-
 tuleris, plusquam exiguæ modicæque appare-
 bunt. Nam quicquid famis, morborum, ærum-
 narum, dolorum, & calamitatum in hac vita
 nobis inferri potest, prope nihil est æternorum
 gehennæ tormentorum, quæ peccatis nostris
 mortalibus debetur, comparatione. Hinc Psal-
 tes totus tremens rogat: *Domine, ne in furore tuo
 arguas me, neque in ira tua corripis me. Domine,
 non secundum peccata nostra quæ fecimus nos, ne-
 que secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* Et
 post Augustinum, Gregorius quoque sup-
 plicat. Hîc vre, hîc seca, vt in æternum par-
 cas.

Addens autem conditionem εἰ θεὸς ἐθέλῃ, si o-
 porret, si opus est, si Deus velit, docet non temerè
 adeunda esse pericula, multominùs vltro accer-
 sendas in capita sua tyrannorum iras & perfe-
 cutiones: sed patienter expectandam Dei voca-
 tionem & voluntatem. Nam vt boni ciuis non
 est, bellum non necessarium ciere, sic pij non ir-

ritant persecutores, non accendunt eorum fu-
 rores, non spontè prouocant, vel acunt eorum
 gladios: sed potius declinant & cauent si pos-
 sunt. Prudètiâ serpentis caput pro viribus ser-
 uantis, adiungunt simplicitati columbæ. Probè
 sciunt D. Petri se se insolentius efferentis iacta-
 tiones, miserabili lapsu repressas fuisse. Nec
 ignorant Marcellini, Origenis, & aliquot alio-
 rû flebiles casus. Idcirco de propriis viribus dis-
 fidentes nonnumquam exemplo Christi, Apo-
 stolorum, Prophetarum, & sanctorum Patrum
 fugiunt de ciuitate in ciuitatem, expectâtes quid
 Deus immittere ac imponere velit. Siquidem
 persecutoribus eos tradens, crucem imposue-
 rit, tum fortiter ferunt, ac salutis æternæ expe-
 ctatione sese consolantur: sin aliter decreuerit,
 expectant donec veniat immutatio sua.

Quod autem Hugnostici hinc colligere ni-
 tuntur, ieiunia, vigiliâs, abstinentias, cilicia, &
 similes lasciuientis carnis castigationes à Mona-
 chis spontè assumptas, ab Apostolo reprehendi
 & damnari, rursus hallucinantur, totoq; aber-
 rant orbe. De his namque hîc nulla prorsus di-
 sputatio: sed de variis per infideles & tyrannos
 excitatis aduersus Christianos persecutionibus;
 vt & proximè sequens versus patenter indicat.
 Deinde, coargueretur Paulus, sine pæuio expres-
 soque Dei mandato, castigans corpus suum; &
 in seruitutem redigens. Reprehenderetur & S.
 Timotheus, carnem suam à vino abstrahens, vt
 illam transfertet ad sapientiam. Denique, vni-
 uersa natio filiorum Dei, id est, omnium ferè
 sanctorum chorus, quorum pars spontaneam

2. Cor. 4.

Sap. 3.

Psal. 6. & 37.

Psal. 71.

In psal. 6.

Math. 10.
Math. 26.Athanas.
apolog. pro
fuga sua.

1. Cor. 9.

1. Tim. 5.

Eccle. 3.

Psal. 72.

castitatem, pars solitudinem, pars perpetua ieiunia coluit, vt in cælum perueniret, superstitionis damnaretur atque reprobaretur. Nec cæco impetu illud inuadere, aut illicò in illud irrupere (vt maledici homines calumniantur) conati sunt: verùm, crucè à Christo prædicatâ & suam tulerūt, & ipsum pro virili sunt sequuti. Hæretici autem sanctissimis illis exercitiis aduersantes, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium: nigrâque tartara petunt.

Matth. 10.

16.

Luc. 9. & 14.

Rom. 15.

7. *Vt probatio vestra fidei, multò pretiosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi.*

Quartum istud Dei in nos beneficium est, Probatio fidei nostræ, per eas tentationes & calamitates, quæ vt plurimum, sanctis & electis in hac vita contingunt: non vt frangatur & deficiat: sed vt purior & clarior euadens, in maiorem laudè & mercedem cedat illis coram Deo, & angelis eius. Probat autem Dominus, id est, explorat & examinat fidem nostram, non quòd enim aliquid lateat, qui scrutatur corda & renes, nouit omnia antequam fiant, & cuius oculis omnia nuda & aperta sunt.: sed vt nobis ipsis primò, deinde toti mundo palam manifestet, syncerane sit vel ficta, constans vel infirma, vera vel hypocritica. Prauum enim est cor hominis, & inscrutabile, in eoque sunt multæ latebræ, multique recessus. Tantaque imbecillitas & inconstantia nostra, vt eam nec ipsi

Apo. 2.

Heb. 4.

Ierem. 17.

probè cognoscamus, nisi Dominus de eadem nos omnino conuicerit. Hoc apparuit in discipulis, qui abierunt retrorsum, quando audierunt de sanctiss. carnis & sang. sui esu atque Sacramento Iesu differentem. Manifestatum & in Petro, aliisque Apostolis, qui omnem animi constantiam & perseuerantiam Christo pollicentes, mox eo relicto, omnes fugerunt. Sunt enim qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sunt etiam, adhuc hodie multi Iudæ, Nicolai, Simones, Hermogenes, Philetij, Ebiones, Cetinthi, Ecebolij, Peregrini, Luciani, illisque similes apostatæ, exeuntes ex nobis, quia non sunt de nobis.

Io. 6.

Matth. 16.

Mar. 14.

Luc. 8.

Probat autem Dominus fidem nostram duobus modis atque medijs. Primo, cum occulto iudicio suo, iusto tamen, concedit tyrannis, homicidis, & improbis huius sæculi Principibus, seruorum suorum famam, confictis criminibus lacere, facultates diripere, propriis edibus eos pellere, cum malefactoribus in carceres, & ad furcas, gladios, aliaque supplicia crudeliter pertrahere. Quæ omnia tametsi coram hominibus ignominiosa, & carni sint grauissima, tamen si constanti fide & patientia tolerantur in terris, incredibili honore & gloria compensabuntur in cælis. Illos namque coæternus Dei filius pro suis agnoscet, & confitebitur coram Patre suo, & angelis eius. Vt compassi sunt, & conglorificabuntur ei, cum in postremo aduentu suo veniet reddere unicuique secundum opera sua.

Matth. 12.

Rom. 8.

Psal. 61.

Secundo modo, Deus probat fidem nostram, quâdo peccatis hominû exigentibus, sinit pseu-

doprophetas, seductores, & hæresiarchas in mundum exire, & aduersus illius sinceritatem & veritatem insurgere, scribere, prædicare. Tunc verè probantur & explorârur hominum corda, & discernantur verè credentes à desertoribus & hypocritis, vt à granis paleæ, & oues ab hædis.

Math. 3. 25. *1. Cor. 11.* Hoc Paulus docet cùm scribit. *Necesse est hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Ex his enim hominibus hæretici fiunt, inquit Augustinus, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cùm autem foris sunt, plurimū profunt, nō verum docendo, quod nesciunt: sed ad verum quærédum carnales, & ad verum aperiendum spiritales Catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quādiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus, quā lucem veritatis intueri, &c. Et Tertulianus, vt antiquissimus, sic acutissimus & grauissimus Theologus, ad hunc D. Petri locū respiciens scribit. Ad hoc enim sunt hæreses, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem. Hæreses non nisi apud eos valent, qui in fide non valent. Et aliquantò post. Dominus intuetur cor. Nouit qui sunt eius. Plantam eradicat, quam non plantauit Pater. De primis nouissimos ostendit. Purgat aream suam. Aduolent quātum volent paleæ leuis fidei, eò purior massa frumenti in horrea domini reponetur, &c.

Huius autem diuini consilij de probanda electorum fide, summam æquitatem declarat Apostolus aptissimo exemplo aurifabrorum, qui aurum metallorum pretiosissimum, non solum

examinant per corticulam seu lapidem lydium, sed etiam per ardorem & vim ignis, vt adulterinum discernant à vero, & ipsum verum atque syncerum, ab omni scoria sordèque repurgatum, longè pretiosius & clarius à cunctis habeatur. Nihil ergo absurdum, nihil indignum Deo, si vult animum fidemque filiorum hominū experimentis probare & manifestare cunctis, vt & alij nostro exemplo ad pietatem inuitentur, & nos denique angustius in cælis coronemur.

In his autem primū attendamus, homines pios ac electos in sacris frequēter cum argento, & auro ignis ardoribus explorato & probato conferri. Aiunt enim omnes sancti apud Dauidem: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Et Sapiens scribit, *Tanquam aurum in fornace, probauit electos Dominus.* Salomon quoque ait. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita probat corda hominum Deus.* Iob denique de seipso loquitur. *Deus scit viam meam, & probabit me quasi aurum quod per ignem transit.* Cætera vide Eccli. 2. Zach. 13. Malachia 3. 1. Cor. 3. Apoc. 3. &c. Itaque vt inter omnia metalla, aurum primas habet, illudque præsertim mirantur & exardescunt homines, eiusdemque gratia nihil non tentant & faciunt, ita piorum fides & religio, ante omnia quæ ad salutem pertinent, præcipua & potissima est. Nam sine ea nec Deum agnoscere, nec inuocare, nec diligere, nec timere, nec audire, nec in eum sperare possibile est. Hinc Apostolus. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Sine fide impossibile est placere Deo.* Hanc Christus in

Math. 3. 25.

1. Cor. 11.

L. de vere relig. cap. 8.

L. præst. cap. 1.

Psal. 63. 1

Sap. 3.

Prou. 17.

Iob. 23.

Rom. 10.

Heb. 11.

principio beneficiorum & miraculorum ab hominibus postulâs dicebat. *Credis hoc? Creditis quia hoc possum prestare vobis? Si potes credere, omnia possible sunt credenti.* Rectissimè igitur scribit Iustinus martyr. Credendum est hunc mundum alienum esse à nobis, & in eo nihil sanctis relictum, præter fidem & religionē. Lactantius quoque multis contendit, hominem solius religionis gratia natū esse: eâq; sola distare à belluis, atq; in eadē summi boni rationem consistere. Et itaque fides & religio, ut Petrus ait, *multo pretiosior omni auro.*

Meditemur hîc, res omnes aduersas, & inter has etiâ hæreses & schismata, à Deo permitti, ut electorū fides probetur, eluceat, augeatur, & potiore gloria in cælo præmiatur. Ac de aduersis quidē, exemplo sunt nobis Iobi calamitates, Iosephi carceres, Tobix excæcatio, Davidis exilia & pericula, cunctorumq; Patriarcharū, Prophetarū, & Sanctorum afflictiones. *Quia iustus eras, inquebat angelus ad Tobiam, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Et David de seipso ait: *Probasti cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti, &c.* Appositè ad hæc scribit B. Ambrosius. Tætationū experimento virtus iusti magis cōspicua clariorq; elucescit. Maiorem etiâ per illud acquirit gratiâ: idè in libro Sapientiæ scriptū est: *Probatâ autē virtus corripit insipientes.* Sincerior bonitas è tētationibus prodit, sicut purius argentum è camino ignis. Inquit enim Scriptura. *Quoniam in igne probatur argentum, & homines receptibiles camino humilitatis.*

Quod autē etiam per hæreticos, seductores, & schismaticos exploretur fides nostra, apertissimè

est B. Pauli sermo: *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Deo quidē & angelis ei⁹ manifesti sunt, etiâ antequâ hæreses emergât: sed illorū peritia, constantiaq; necdū nobis perspecta est. Ideòque Diuina prouidentia, inquit *L. 1. de G. Augustinus, multos diuersi erroris hæreticos esse cont. M. permittit, ut cū insultât nobis, & interrogant cap. 1. nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiâ, Item Epj. & diuinas scripturas nosse cupiamus. Propterea 105. & Apostolus dicit. Ut probati, manifesti fiant inter vos.* Hi enim Deo probati sunt, qui benè possunt docere; sed manifesti hominibus esse nō possunt, nisi cū benè docent. Itémque Moses ait. *Si surrexit in medio tui propheta, & prædixerit signum atque euenerit, dixeritque tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba illius, quia tentat vos Dominus Deus uester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non.* Quem locum copiosè ac eleganter explicans Vincentius Lirinensis, verè adfirmat grauissimam fuisse propositam populo Catholico tentionem, quãdo Nestorius, Photinus, Apollinaris, Origenes, Tertullianus, Montanus, ex ouibus, imò ex sacerdotibus & pastoribus in Ecclesiam celeberrimus, subito conuersi sunt in lupos, ac tetrus erroribus gregem Christi lacerare cœperunt: atque in his adimpletum esse, quod Moses scribit. *Tentat vos Dominus, &c.* Tandem concludit. Si quando aliquis ecclesiasticus Magister, à fide aberrauerit, ad tentionem nostram id fieri prouidentia diuina patitur: *utrum diligamus Deum, an non.* Ob hoc, hæreses non statim diuinitus eradicantur authores, ut probati manifesti fiant,

Ioan. 11.
Matth. 9.
Mat. 5.

L. ad Zenam
& Seren.

L. 3. cap. 9.
C. 10.

Tob. 12.
Psal. 15.

L. de 40.
mans. Mat.
30.

Sap. 1.

Ecli. 2.

L. 1. de G.
cont. M.
cap. 1.
Item Epj.
105.

Deut. 32.
rexit in medio tui propheta, & prædixerit signum atque euenerit, dixeritque tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba illius, quia tentat vos Dominus Deus uester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non.

L. adn. pve-
fatus hære-
seon nostram
net, cap. 1
16. 17. C

Cap. 24. 1
25.

id est, vnusquique quàm tenax, & fidelis, & fixus Catholicæ fidei sit amator, appareat, &c. Itaque, quod auro sunt ignis crepitantes flammæ & ardores, hoc sunt piis & electis Christianis persecutiones, hæreses, & schismata. Aurum ignibus non perditur, sed exploratur & mundatur: sic pij afflictionibus examinatur, hæresibusque multos turbantibus & deicientibus, in fide & pietate non parum proficiunt.

Interea quoque hic monemur, Christianorū sortem esse, vt in dies examinentur, purgentur, & proficiant: quandoquidē in hoc seculo nunquam ad summum innocentiæ & sanctitatis gradum perueniant. *Omniem palmitem ferentem fructū,* ait Dominus, *Pater purgabit, vt fructum plus afferat.* Et Paulus de seipso ait. *Nō quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem si quomodo comprehendam.* Pergant ergo pij viri de virtute in virtutē: sancti, sanctificētur adhuc: intelligamus Spiritum sanctum, scribit Augustinus, eum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo, plus diligit.

Proponit exinde amplissima præmia, eis apud Deum seruata, qui in his tentationibus constantes permanferint. Quid enim pretiosius & gloriosius, quàm Dei ore proprio laudari, & probari coram angelis & omnibus sanctis? *Confitebor eum,* inquit, *coram Patre meo, & angelis eius?* Dicitque. *Euge, serue bone, & fidelis, &c.* Quid etiam magnificentius, quàm à Deo omnipotente honorari, & in consortium gloriæ, & filij eius vni geniti regni ac hæreditatis recipi? Ait enim. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus*

qui est

qui est in cælis. Et iterum. *Volo Pater, vt ubi ego sum, Ioan. 17. ibi sit & minister meus.* Probata (inquit) fides vestra, erit vobis in laudem, gloriam & honorem, dum Christus glorioso aduentu suo sese cunctis reuelauerit. Ergo piorum constantia fidei & patientia in aduersis, nec peccatum est, nec præmiis suis carebit apud Deum, nec sancti iam in cælis regnantes quos Deus ipse laudat & honorat, sunt sibi debitis honoribus priuandi: quicquid in contrarium oblatrent Hugnostici.

Nec tandem prætereundum, quòd postremus gloriosissimusque aduentus Christi hic appellatur *Reuelatus eius*: quoniam veniet aspectabilis cunctis gentibus ante thronum eius congregandis. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum purpurerunt.*

Ex quo colligitur, præcipuam perfectamque gloriam sanctorum in diem illam differti, quæ animis simulque corporibus beatis, cum Christo, veluti duplici stola gloriæ circumdati in æternum regnabunt. *Cum apparuerit, similes ei erimus in gloria. Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus mortalitatis nostræ, &c.* In cunctis ergo tentationibus & aduersis, adeoque in ipsa morte, quorūque modo contingat, in Christum oculos mentesque coniciamus, in quo vita nostra nunc abscondita est, suo autem tempore pro certo reuelabitur, & nobis communicabitur, cum incredibile laude & gloria. Dicit enim: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Promisit qui non mentitur Deus: *Qui credit in me, non morietur in aeternum. Si quis sermonem meum seruauerit*

Ioan. 15.

Philip. 3.

Psal. 83.

Apoc. 22.

Tract. 74^o
in 10.

Matth. 12.

Matth. 15.

Ioan. 12.

Matth. 25.

Zach. 12.

Ioan. 19.

Apoc. 6.

1. Io. 3.

Philip. 3.

Coloss. 3.

Matth. 25.

Ioan. 5.

Ioan. 8.

rit, mortem non videbit in aeternum.

8. *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quòque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata.*

Quintum Dei beneficium generi humano per aduentum Christi collatum, hîc describitur. Illud autem est fides illa, qua non solum res latentes, sed & à sensu rationeque humana omninò remotas & alienas, tam firmo constantique consensu credimus, vt pro illarum adfer-tione nullum genus tormentorum, nullamque mortis speciem perhorrescamus. Harum item amorem & desiderium vniuersis huius mundi opibus, honoribus, delitiis, omnibus modis antefecimus. Earundem ratione & animis, & corporibus adedò gaudemus & exultamus in Domino, vt hanc conscientiarum lætitiã nulla vnquam lingua, nulla oratio exprimere aut comprehendere valeat. Vult itaque hoc loco Apostolus. Pependite, viri Christiani, & vobiscum alta mente recogitate, quantum sit donum ac beneficium fidei, infusum mentibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis. In eo enim consistit præcipua laus omnium piorum hominum, quandoquidem huius fidei lumine collustrati, etiam ipsissimum Christum æternum, ac omnipotentem Deum Filium, Patris expressam imaginem, totius salutis nostræ authorem, quem corporeis oculis non vidistis in terris nobiscum

Rom. 5.

agentem, concionantem, omnes morbos curantem, mortuos suscitantem, super omnes cælos gloriose ascendentem, iamiamque in dextera eiusdem Patris sedentē & regnantem, nò solum mente cernitis, sed & toto corde vestro, tota anima & totis viribus vestris diligitis. Insuper, tamen si vos excrucient odia impiorū, vrgeant persecutiones, angustie circudent, mortes denique immineant, & præmia his laboribus reposita nondum appareant: tanta tamen est supra commemorata fidei virtus, & non tantum ista propter Christum patienter & constanter toleretis, verum etiam in mediis afflictionibus exultetis gaudio ineffabili, & tam gloriosa lætitia, vt cum venturi sæculi beatitudine possit aliquo modo comparari.

His autem primo loco docet Apostolus, fidem Christianam esse omninò de rebus inuisibilibus, & quæ sensuum externorum experientiam pœnitus fugiunt. Hoc & Paulus apertius ita tradit: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Et aliàs scribit: *Nos ambulare per fidem, non per speciem,* id est, non per aspectum rerum cælestium & diuinarum. Christus denique dixit Thomæ: *Beati qui non viderunt,* cuiusmodi fuerunt Adam, Abel, Enoch, Abraham, Dauid, &c. *& crediderunt.* Iudicium quidem carnis nititur experimētis, Philosophia euidentes demonstrationes quærit: fidei autem natura est, ea constanter sibi persuadere verissima & certissima esse, quæ nec sensu experientia, nec vlla ratiocinatione possunt demonstrari.

Heb. 11.

2. Cor. 5.

Ioan. 20.

Hom. 26.

Tract. 40.
in Io.

sed ab omnipotēti deo reuelata sunt demonstrari. Hinc Gregorius. Fides non habet meritū, cui humana ratio præbet experimentum. Augustinus: Credimus, ut cognoscamus: non cognoscimus, ut credamus. Quid est enim Fides, nisi credere quod non vides? Hæc ille. Ea igitur persuasione credimus sanctissimam personarum Trinitatē, in vnitatē. Deitatis: ex nihilo omnia facta: à priuatione vitæ per mortem, ad vitam reditum esse per resurrectionem: Filium Dei inuisibilem, incorporeum, immortalem, immutabilem, æternum, sine Diuinitatis suæ vlla mutatione, reuera factum esse hominem mortalem, mutabilem, & in tempore mortuum ac sepultum: Virginē pœnitentis intactam concepisse, peperisse, lactasseque proprium filium, Deum & hominem. Denique, vitam æternam, morientes: resurrectionē perfectam, computrescentes: æternam beatitudinem, miseris: cælum supremum, in terris exultantes, non tantum credimus & exoptamus, sed & nobis donandum constanter speramus.

Edocet secundò Apostolus, Dominum Iesum tamen adhuc sola fide nobis notum, ex toto corde ac ex tota anima non diligere atque colere solum, sed etiã amare nos debere. Hoc autem licet primo loco à B. Petro positum sit, à fide tamen proficiscitur. Nam fides ostendens quantus & qualis sit, quotque beneficiis nos affecerit, eū à nobis redamandum satis ostendit. Inuisa namque possumus diligere, incognita nequaquam. Hæc porro fides si otiosa fuerit, non est viua vel perfecta: corda igitur nostra in dilectionem & obediētionem Christi rapiat & accendat ne-

cesse est. Ideò Paulus scribit: *In Christo Iesu nec circumciso valet aliquid, nec praputium: sed fides qua per dilectionem operatur.* Et dilectus Discipulus: *Si quis dicit, Diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Hinc Augustinus. Fidei opus est dilectio. Et Basilus. Credere, intelligere, & facere consequuntur.

Multæ porro & grauissimæ & sanctissimæ rationes, nos ad hanc Domini Iesu dilectionem accendere debent. Primò enim natura Deus est infinitæ maiestatis, potestatis, clementiæ, gratiæ, atque liberalitatis: Deum autem præcipimur amare ex toto corde, &c. Secundò, iuxta assumptam humanitatem, & summa sanctitate, sapientia, iustitia, & virtute, plenus est. Requieuit in eo Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. Plenus est gratia & veritate. Non est ei Spiritus datus ad mensuram. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ reconditi, &c. Igitur, etiam quatenus homo est, perfectissimo amore à nobis est prosequendus. Tertiò, totum sibi genus humanum in vno hominis individuo, arctissima cognatione copulauit, adeo ut intimè perfectèque dicamur & simus membra corporis eius, atque ossa de ossibus, & caro de carne illius. Quartò, summis beneficiis nos sibi deuinxit, quando euangelica doctrina fidem edocuit, spem confirmavit, miraculis probauit, accendit caritatem, innocentissimæ vitæ exemplis mores formauit, sanguine peccata purgavit, perpeffionibus pro nobis Patri satisfecit, propria morte mortem nostram vitæ, resurrectione denique & ascensione sua in

Gal. 5.

1. Io. 4.

In Psal. 31.

Orat. de Baptif.

Exod. 20.

Matth. 22.

Isa. 11.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Coloss. 1.

Eph. 5.

cælos, æternæ vitæ aditum nobis referauit. Quis enim hæc apud se seriò recogitans, in amorem eius non totus raperetur & inflammaretur? Postremò, autoritate sua, quæ certè maxima est; id sanctissimè nobis omnibus non semel præcepit dicens: *si diligereis Patrem, diligereis utique me. Si diligitis me, mandata mea seruare. Qui diligit me, diligitur à Patre meo.* Et tertio petit à Petro: *Simon Ioannis, diligis me plus iis?* Hinc Paulus: *si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, Maranatha. Maran* Chald. Dominus noster. *Atha.* Chald. *I.* Iam venit, propter homines, ideo amandus. Vel, veniet ad iudicium, ideo timendus.

Tertio, repetit fructum huius viæ fidei de quo dictum est vers. 6. videlicet, Gaudium spirituale, lætitiâ Sanctis prouenientem ex cogitatione Christi: *Credentes iniquiens, exultabit, lætitia inenarrabili & glorificata.* Arguentatur autem à minori ad maius hoc modo. Si eum quem non vidistis, adeò nunc diligitis, ut pro illius nomine omnia pati non reformidetis: quantò magis tunc exultabitis, cum pro mercede huius pietatis & persuasionis eum videbitis facie ad faciem sicuti est? Certè lætitia illa tam gloriosa erit & magnifica, ut nullo sermone possit exprimi, nulla mente creata comprehendì. Hæc est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum. Hoc gaudium completum & perfectum, quod nemo à Sanctis tollere aut inturbare poterit. Gaudium mundi fluxum est & instabile, extremâque illius frequenter luctus occupat: gaudium autem cæli solidum, sta-

stabile, æternum, extra omne periculum. Hinc ad omnem pietatem omnes Christianos excitans B. Effren Syrus scribit. Has promissiones habentes ineffabiles, exultemus exultatione inenarrabili & gloriosa. Abluamus frequenter animas nostras lacrymis, ne radix amaritudinis rursus germinans impediât. &c.

Irenæus martyr hæc paulò aliter legens, ex iisdem probat Sanctos in vita futura non alium Patrem, aut alium Christum, aut Spiritum sanctum visuros, quàm qui à Prophetis & Apostolis nunciatus est. Neque alium Christum, inquit, & Dei filium expectabimus: sed hunc qui ex Maria virgine, qui & passus est in quem & credimus, quem & diligimus. Quemadmodum Esaias ait. *Ecce, Dominus Deus noster in quem sperauimus, & exultauimus in salute nostra.* Et Petrus ait. *Quem non videntes, diligitis: in quem nunc non videntes credidistis, gaudebitis gaudio inenarrabili.*

Clemens Alex. ex iisdem D. Petri verbis describit virum perfectum, eum nimirum, qui per Christum, quem non vidit, & tamen in eum credit, & eum diligit, pro eodémque patitur, is reportabit finem fidei suæ, salutem animæ. Quamobrem Paulus quoque gloriatur se propter Christum fuisse in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

9. Reportantes finem fidei vestra, salutem animarum vestrarum.

Io. 8.
Ioan. 14.

Ioan. 21.

1. Cor. 16.

L. 1. de resur.
& iudic. c. 2.

Heb. 12.

L. 4. cap. 22.

Isa. 26.

L. 4. Strom.

1. Cor. 15.

Philip. 4.
Ioan. 16.
Erom. 14.

Sextum est hoc Dei in nos beneficiū, in Christo repromissum & exhibitum mortalibus: videlicet, sine fidei, & scopum totius religionis Christianæ, in æterna salute animarum consistere. Hic est fructus omnium laborum humanorum, mercesque fidei, spei, caritatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum Christianarum.

Non ergo credas in Deum, in religionemque profitearis, ut huius mundi opibus abundes, consequaris honores, voluptatibus effluas, ingentes thesauros congreges: quoniam maiorem horum partem impij possident, atque etiam belluis ista conueniunt. Denique nihil horum explere ac satiari potest immortalitatis animæ desiderium. Idè scribit Augustinus. Domine, quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Rursum. Satis ostendis, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quicquid te minus est: ac per hoc, non ipsa sibi. Omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Rursumque, Nihil est quod animam impleat, nisi tu Deus, ad cuius imaginem est creata, &c. Omnium itaque rerum mundanarum detrimentum susque deque ferendum est, modò saluæ sint animæ nostræ. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucreretur, animæ verò detrimentum patiatur?

Sed mirum forsitan alicui videbitur, quòd Apostolus tantum Animæ salutis meminerit, non autem & corporum. Respondeo, à potiori parte totius hominis fit denominatio. Certum est enim animam esse plusquam corpus, ut corpus

est plusquam vestimentum. Proinde, sub animarum salute, corporum etiam quibus cum incredibili amore iunguntur salutem comprehendam esse. Deinde, quoniam animæ nostræ solæ natura immortales, non corpora: salus illis magis propriè, imprimisque tribuitur, Paulo scribente: *Dedi ad interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Quod autem & ad corpora humana salus per Christum pertineat, disertissimè prædicat Paulus dicens: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile induere incorruptibilitatem. Refert & unusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Reformabit corpus humilitatis nostræ, conformatum corpori claritatis suæ.* Christus id ipsum multis confirmat, Io. 5. 6. 8. & 11. exemplòque propriæ resurrectionis, & multorum qui cum eo surrexerunt, luculentissimè comprobauit.

Ex his quoque patet, solam religionem Christianam huius salutis sempiternæ viam aperire & munire: ac omnes sectas extra hanc aberrantes pro certo perituras esse. Quocirca Iudex viuorum & mortuorū asseruit: *Qui non credit, iam iudicatus est.* Christus solus est via, veritas, & vita: ergo qui ei non adhærent, aberrant; in mendacijs & morte æterna versantur, Solus est ostiū, per quod ad Patrem pateat aditus. *Non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo saluentur credentes. Non est in alio aliquo salus, &c.* Gratias ergo quantum maximas poterimus, habere debemus Diuinæ misericordiæ & bonitati, quæ præter merita nostra, ad huius tam sanctæ fidei & castæ salutarisque religionis notitiam atque

I. I. conf.

cap. 1.

I. 13. conf.

cap. 8.

I. soliloquior. cap. 13. Psal.

soliloq. cap.

30.

Matth. 16.

Matth. 6.

I. Cor. 5.

I. Cor. 15.

I. Cor. 5.

Philip. 3.

Matth. 27.

Io. 3.

Io. 14.

Io. 12.

A. 4.

confortium nos perduxerit.

Perspicuum quoque & indubitatum est, B. Petrum hîc non loqui de sola fide, de qua & Simon Magus, & Valentiniani, vt est apud D. Irenæum: & Eunomius, vt tradunt Theodoretus, Epiphanius, & Augustinus: deinde, Lutherani, Caluiniani, Anabaptistæ, Ariani, Deistæ, hoc sæculo tantoperè gloriantur: sed de ea fide, quæ per caritatem operatur. Siquidem particulam exclusiuam *sola*, nunquam addidit: peperam igitur illam hæretici adiiciunt. Deinde, expressè exigit dilectionem, patientiam, exultationem, quæ sunt opera bona. Postea quoque à Christianis requirit spem, obedientiam, castitatem, hospitalitatem, fraternam dilectionem: & vt per bona opera certam nostrâ electionem & vocationem faciamus. De his copiosius disseruimus Com. in c. 2. diui Iacobi, & secunda hebdomada Dialog. dialog. primo.

10. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.*

Tribus istis versibus, 10. 11. & 12. Apostolus docet, religionem fidemque Christianam (cuius finis est salus animarum) non esse nouam, sicque dubiam, sicut possunt esse inuenta humana & philosophica: sed prorsus cælestem, æternam, & Diuinam, vt potè, quæ ab initio mundi reuelata fuerit patriarchis atque prophetis: atque nihil metuendum esse, si propter eius professionem aliquid perperendum sit, sed tutò in huius verbis & promissis acquiescendum.

Primò itaque describit Apostolus eximiam Prophetarum diligentiam, quippe incredibili studio & cura intenti fuerunt in perscrutatione eorum, quæ ad Christi saluatoris aduentum; deinde, salutem totius generis humani pertinebāt. *Exquisierunt* autem assiduis cogitationibus, altissimis meditationibus, ardentissimisque precibus apud Deum, cum ieiuniis & suspiriis eidem supplicantes, vt ipsis dignaretur de Messia aduentu & mysteriis aliqua reuelare. Nā vir desideriorum scribit: *Posui faciem meam ad Dominum Deum Dan. 9. nostrum rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere. Et aravi Dom. Deum meum, & confessus sum peccata mea, & peccata populi mei, &c.* Tandem apparens illi Gabriel Angelus, manifestauit ei tempus, mortem, & fructus mortis Christi. Non dissimili affectu & pietate dixerat Iacob: *Salutare tuum expectabo Domine. Orauerat Moses: Obsecro, mitte quem missurus es. Postulauerat Dauid: Ostende nobis Domine, misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Deus, iudicium tuum Regi da. Optauerat Isaias: Vtinam dirumperes celos & descenderes. Rorate cali desuper, id est, descendat Spiritus sancti virtus & gratia in Virginem: & nubes pluant iustum. Filium Dei, qui iustificabit nos: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, i. Virgo pariat Emmanuëlem. Et non nisi post longarum precū instantiā, reuelatū est seni Simeóni, quòd non moreretur, nisi prius videret Christum Domini. Luc. 2.*

Secundò, posteriores *prophetae exquisierunt*, de mysteriis Messia in libris præcedentium se prophetarum, eosdem versantes nocturna manu atque diurna, vt Dauid in libris Mosaicis: idèoque

L. 1. c. 1. &
20.

L. de her.

Gal. 5.

Gen. 49.

Exod. 4.

Psal. 84.

Psal. 71.

Isa. 64.

Isa. 45.

Luc. 2.

Pfal. 1.
Pfal. 118.

DAN. 9.

LUC. 16.

Io. 5.

ROM. 1.

scribit: Beatum esse virum, qui in lege Domini meditatatur die ac nocte. Alibi que exclamat: Quomodo dilexi legem tuam Domine! Totā die meditatio mea est. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Daniel quoque proficitur, se diu multumque inquisiuisse in narrationibus Ieremie, quando solueda esset captiuitas Babylonica, per quam generis humani redemptio significabatur. Sanctissimus Abraham remisit fratres Epulonis ad audiendum Moïsem & prophetas, qui passim in Synagogis legebantur & exponebantur. De iisdem quoque Christus ait: *Scrutamini scripturas, &c.* Et Paulus adfirmat, Deum doctrinam euangelicam promississe per prophetas suos.

Constat ergo in primis religionem Christianam, omnium antiquissimam ac excellentissimam esse, tam ex eo quod in eius vestigatione seipfos tanto studio exercuerunt tot viri sanctissimi, tam quod iis quadā ex parte etiam ab ortu mundi patefacta fuerit. Etenim Adam, Abel, Noë, Melchisedec, alique patres legis naturæ: Moses, Samuel, Dauid, Isaias, & reliqui prophetæ, reipsa Christiani, quandoquidem vnā nobiscum crediderunt, & sperauerunt remissionem peccatorū & salutem se consequuturos esse per Christum redemptorem. Insuper, in eius exquirendis, meditandis, & prædicandis, tam operibus quam scriptis religiosissimis laborauerunt. Hac de re scribit Eusebius Sacerdotes, Prophetas, & Reges Hebræorum, sacro oleo delibutos, in sacris Christos nuncupari, eod quod imaginem Christi præferrent, eiusdemque religione initiati

L. 1. hist. c. 1.

esset. Et paulo post ait. Omnes illos qui ab Abraham, sursum versus vsque ad primum hominem generationis ordine conscribuntur, & etiam si non nomine, rebus tamen & religione Christianos fuisse, si quis dicat, non mihi videtur errare. Consentit D. Irenæus, imò & idem probat ex eo quod dicitur Abraham vidisse diem Christi, indeque gaudio exultasse. Astipulantur Epiphanius initio lib. contra hæreses, & D. Augustinus, l. 19. adu. Faustum, c. 13. 16. 17. Com. in Pl. 73. 77. Tract. 45. in Io. & lib. 2. contra liter. Petiliani, c. 37.

L. 4. c. 13.
Io. 8.

Secundò perspicuum est, summam esse veteris & noui Testamenti concordiam, præsertim in rebus Diuinis, & que ad substantiā fidei, & salutis humanæ pertinent, tametsi ceremoniarum ritusque diuersi fuerint. Nam prisca illi cultores Dei viuētis summo studio atque diligentia perscrutati sunt de mediis ad salutem necessariis, simulque de iis vaticinati sunt ad posteros, quātum eis datū est, vt ex horum scriptis luculenter apparet. Etenim ab eodē Spiritu sancto, qui secum dissidere nunquam potest, reuelatam & dictatam est vtrūque Testamentum. Et quemadmodum pari ordine duo Seraphin obumbrant atcam fœderis, pari que voce Deum sanctum vnum & trinum celebrant: ita duo Testamenta de vno eodēque Deo immortalī, vnoque Christo mundi iudice & redemptore testificantur. Hoc falsissimè tractant Tertullianus libris quinque aduersus Marcionem, Augustinus triginta tribus adu. Faustum: & libris adu. Adimantum, veteris instrumenti improbissimos insectatores.

Exod. 25.
1. Reg. 6.
Heb. 9.
Isa. 6.

Attēdamus etiam, quā vberior in nos effusa

94 COMMENTARIA IN CAP. I.

fit gratia Dei, præ illis. Vtrò nobis offeruntur, quæ illi scrutâdo vix inuenerunt. Nobis sole manifestus, Christus cum suo Euangelio, suis miraculis, sua morte, suis denique meritis & sacramentis illuxit, quem *multi reges & prophetae voluerunt videre & non viderunt, audire & non audierunt.* Illi per vmbra & figuras adumbratam veritatem didicerunt: nobis apertè disertèque reuelata est. Defuncti omnes illi, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes: Deo pro nobis melius aliquid prouidère, vt non sine nobis consummarentur. Ad hoc spectat ista B. Ioannis verba: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Oportet igitur Christo & Patri nos magis reddere gratos: iustitiâque nostram magis abundare quàm Scribarum & Phariseorum.

Matth. 10.
Luc. 10.

Hebr. 11.

Ioan. 7.

Matth. 5.

L. de Trinit.
c. 8.

Novatianus Ecclesiæ Romanæ Presbyter ex superioribus B. Petri verbis certissimum Christi aduentû comprobans, ait. Deus prophetas Spiritu instruxit, & per hos omnes filiû suû Christû repromisit: & quando daturum se sponderat, misit, per què nobis in notitiâ venire voluit: & in nos indulgètiæ suæ sinus largos profudit, egenis & abiectis locupletem Spiritum conferendo.

ii. *Scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænunciâs eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.*

Hoc versu primùm docet Apostolus, quo Spiritu incitati & inspirati fuerint prophetae, ad inquirenda & scrutanda salutis humanæ mysteria: nimirum Spiritu Christi, id est, Spiritu sancto

æterno ac vero Deo, qui æquè à Filio, atque à Patre ineffabili & incomprehensibili modo procedit, & in Christi humanitate, vt in sanctissimo templo suo requiescit: quinetiam eiusdem meritis & precibus Sanctis vtriusque Testamèti precibus secundùm mensuram promissus & datus fuit. *Rogabo Patrem, inquit, & alium Paraclitum dabit vobis.* Nam passim in scripturis ob has causas dicitur Spiritus Christi. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, &c.*

1sa. 11.
Ioan. 3.
Psal. 44.
Heb. 1.

Ioan. 14.

Rom. 8.

Gal. 4.

Hunc itaque Spiritum Christi habuerunt prophetae, non tantùm per gratiam iustificationis, sanctitatis & multarû virtutû: sed etiam per singulares visitationes & reuelationes futurorum mysteriorû, quæ ad eundem Christû, nouûque Testamentû pertinent. Præterea, fuit in eis Spiritus Christi, dū verbis & scriptis, publicè aliis cū omni cōstantia prædicauerunt quæ Spiritus ille reuelabat: ideòque hîc dicitur eis significasse & prænunciâsse quæcûque de illius passionibus, & gloria annūciauerunt. Rectè itaq; B. Zacharias cecinit in Cantico suo: *Sicut locutus est per os san-*

Luc. 1.

Psal. 44.

Symbol. Nic.

& Constantinop.

ctorû, qui à sæculo sunt prophetarû eius. Postea quoq; scribit Apostolus. *Non nisi in Spiritu sancto locutus esse, sanctos Dei homines.* Dauid etiâ linguam suam propheticam, calamû vocat scribæ velociter scribentis, i. Spiritus sancti. Denique in Symbolo profiteamur, eundè Spiritum sanctû locutum esse per prophetas. Hæc autè tam solidè quàm apertè refellunt errores Manichæorum, & recentium Anabaptistarum, qui hos sacros vates vt lymphaticos calumniantur atque reiciunt.

Deinde, refert Apostolus, quid inuestigaerint prophetae. In primis circumstantiam temporis, quo Messias, saluator mundi venturus esset, videlicet, quo anno, qua ætate, quo sæculo, nasciturus, predicaturus, moriturus, resurrecturus, & opus redemptionis adimpleturus. An sub lege, an sub Mosaïca: an tempore Abraham, an Davidis, &c. Accellerari quidem ipsum tempus, quo eis illud ipsum cernere liceret, summis votis exoptabant, patienter nihilominus sustinebant, quandiu illum aduentû Deo differre visum erat.

Abacuc 2. Apparebit in finem, & non mentietur. Si morè fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et per aliû prophetâ sic Deus ipse loquitur! *Adhuc unum modicum, & ego mouebo calum & terram: & veniet Desideratus cunctis gētibus.* Et per Malachiã: *Statim veniet ad templû sanctum suû Dominator, quẽ vos queritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Daniëli quoq; ab Angelo dictum est: *Septuaginta hebdomades & abbreviata sunt super populû tuum, ut consumetur prauaricatio, & finem accipiet peccatum, deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & ungetur Sanctus sanctorum, &c.*

Altera temporis circumstantia de qua exquisierunt prophetae; est quasi tempore Messias venturus esset, videlicet, pacis aut belli, captiuitatis aut libertatis, qualisque tunc esset Synagogæ ac totius Reipublicæ Hebræorum status. Dauid namque post piam multamque huius temporis inquisitionem, scribit quod sibi Spiritus Christi reuelauerat: *Orietur in diebus iustitia & abundantia pacis.* Subscribit his verbis Isaias:

Conflabunt

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in Isa. 2. falces, nec exercebuntur ultra ad pralium. Ieremias *Jerem. 33.* quoque de eadem circumstantia vaticinatur: *In diebus illis saluabitur Iudas, & Israël habitabit confidenter, &c.*

Quantum verò ad statum regni ac reipublicæ pertinet, prædixerat beatus pater Iacob, Sceptrum auferendum de tribu Iudæ, quæ regalis erat, & Ducem de femore eius, cum aduentaret Schilo, id est felicitas, seu author felicitatis, Christus, vt etiam Chaldæus Paraphrastes reddidit. Magnò igitur studio atque diligentia scrutati sunt Patres illi circumcisi temporum redemptionis humanæ circumstantias sapissimè intra se dicentes. Putas quando veniet Christus? Adhuc ne in terris agam? Putas ne videbo illum? O sapiëntia, que ex ore Altissimi prodiisti, veni ad docendum nos! O clausi Dauid, veni, & educ vincos, &c. Huiusmodi enim fuisse illorum desideria docet in diuinis officiis Ecclesia catholica. Isthec verò non curiositate aut temeritate humana inuestigabant, sed maximo eiusdem Christi desiderio amorèque flagrantes. De hoc autem plurima Spiritu reuelante didicerunt, & veteri populo suo tam vocibus, quàm scriptis, gestisq; annunciauerunt, vt omnes salutis suæ fidem & spem in eundem Christû reponerent.

Audiuimus quid scrutati sunt Prophetae: sequitur quid reuelatum sit illis. Primò, Spiritus ille Christi hos manifestauit, & per hos pronuncianit venturas in Christum passiones. Id est, quod Rex Messias grauisimas & plurimas ab

ingratissimis hominibus passurus esset contumelias & afflictiones, vitamque in terris contemptui, ægestati, ærumnis, laboribus, denique crudelissimæ ac ignominiosissimæ morti fore subditam. Sed cur hoc tam studiosè reuelatū prophetis, aliisque fidelibus populis? Primum, ne terrenū aliquē Regē quales fuerint Chaldeorum, Assyriorum, Persarum, Medorum, Grecorum, Ægyptiorum, Romanorū, sibi promitterent. Secundò, ut discerēt & docerēt Christum hac demissione, obedi-tione, tolerātia, & perpe-ssione pro peccatis humanis satisfacturum, & Patrem cælestē placaturum, nobisque propitium redditurum esse. Has porro Messie passiones sibi reuelatas non solum verbis & scriptis, sed etiam rebus gestis cæteris præ-nūciauerunt ab initio & deinceps. Ait enim graui-ssimus theologus Tertullianus. Prophetarū est, non tantū verbis, sed & operibus. Et Augustinus. Priscorum non tantū lingua, sed & vita prophetica fuit. Primi hominis siquidē obdormitio, lateris eius apertio, & Eua matris omnium uiuentium ex eiusdem latere conformatio ac educitio, Abelis martyr-ium, Noë à filio subsannatio, Isaac oblatio, Iosephi venditio, filia Iephte & Samsonis voluntaria mors, serpentis in eremo exaltatio, agni Paschalis immolatio, legalium hostiarū oblatio, Ionæ in pelagus demersio, deglutitio, & innumerabiles alij typi, Christi passiones, supplicia, crucem denique & mortem adumbrarunt, & huic veteri populo significarunt. Dauid sacram passionis historiam grauius de-

scribit, quàm ullus veterum tragicorum potuisset. *Ommes videntes me (ait in persona Messie) deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. Foderunt manus meas & pedes meos, di-* *Psal. 21.*
numerauerunt omnia ossa mea. Diuiserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Dederunt in escam meam fel, & potauerunt me aceto. &c. Isaias quoque (authore Hieronymo) *Isa. 7. 35-53.*
 potiùs Euangelium quàm prophetiam tenuisse videtur, tam clarè difertēque Christi conceptionem & natiuitatem ex Virgine, conciones, miracula, passiones, contumelias, mortem & sepulturam præ-nūciat. Hanc ob rem antequam Dominus ipse isthæc pateretur, Discipulis referabat, prædicabat quæ se perpe-ssurum: *Ecce inquit, ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt in prophetis de filio de hominis. Tradetur enim gentibus, &c.* Et postea quàm passus, mortuusque *Luc. 10.*
 resurrexit, rursus affirmabat, oportuisse sic impleri omnia, quæ scripta erant in lege, prophetis, & psalmis de se, &c. *Luc. 14.*

Obserua obiter, quantum maiestatis & ro- *Philip. 2.*
 boris fidei nostræ, de Christi exinanitione (ut Paulus loquitur) labore, & passione accedat, ex eo quod hæc sanctis Prophetis longè antea per Spiritum diuinum reuelatum, & ab eisdem præ-nūciata fuerint.

Deinde, isthæc prædici debuisse, ne de tanta Dei hominis demissione offenderemur. Nam si post tot tantisque prædictiones, etiam Apostoli omnes in eum scādalizati sunt: quid futurum erat, si horum nunquam Christus,

nunquam Prophetæ meminissent?

Cæterum, hæc etiam ad Christi membra debent extendi, & non ad solam eius personam restringit. Etenim hic non solummodo differtur, quid de Christo reuelatum, & prænunciatum sit à Spiritu sancto per Prophetas: verum etiam de toto regno eius, id est, Ecclesiæ Christianæ curriculo atque, successibus. Caput namque à corpore & membris suis non est separandum. Itaque, quod Apostolus dicit de futuris passionibus, de vtrisque debet intelligi, videlicet, tam de his quas ipse per tulit, quam quas Apostoli, discipuli, martyres, omnésque serui eius vel quondam passi sunt, vel ad finem vsque sæculi sustinebunt. Siquidem Sauli professores religionis suæ persequenti, Christus dixit: *Quid me persequeris?* Et iam effectus Apostolus, & Paulus, afflictiones & persecutiones suas Christi passionibus securus appellat. Ergo quotquot iusti ab initio mundi passi sunt pro iustitia & pietate, tantundem passuros esse ad finem vsque Dei seruos præsignarunt, & regnum MESSIAE sic à Deo Patre constitutum esse, vt perpetuæ cruci subiiciatur: eadémque crux sit ei præparatio ad triumphum, & mors transitus ad vitam sempiternam. Quare non est cur nos afflictiones ultra modum deiciant, quasi in illis essemus miseri: quandoquidem Spiritus Christi hæc prænunciauit, simulque beatos eos esse qui pertulerint constanter, affirmat. Erit igitur hæc consolatio non vulgaris, quòd certissimum cunctas afflictiones nostras, non

Act. 9.

Coloss. 1.

Math. 5.

secus à Domino saluatore nostro, quam proprias reputari. Atque hæc de passionibus, quas per prophetas Spiritus sanctus prædixit esse futuras tam Christo, quam Apostolis & reliquis seruis eius.

Secundò, Prophetis reuelauit Spiritus diuinus Christi *posteriores gloriosus*. Id est, quod propter summam eius demissionem, obedientiam, & patientiam in passionibus & morte sumè glorificaretur: idque secundum corpus & animam, & coram Deo, & coram Angelis, & coram vniuerso mundo. Nam anima eius post mortem nullis amplius angustiis, nullaque tristitia (vt antea) poterat affici. Deinde, per resurrectionem corpus non solum ab omni plaga & contumelia vindicatum est, verum & dotibus excellentissimis, vt potè immortalitatis, agilitatis, claritatis, subtilitatis, & impatibilitatis, glorificatum. Præterea totus homo assumptus mirabili gloria & honore coronatus fuit, quando spectantibus Apostolis, discipulis, & plusquam quingentis fratribus, ascendit super omnes cælos, super-
uit omnes Angelorum ordines, seditque ad dexteram Patris, super omnem Principatum, & potestatem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecta sunt sub pedibus eius. Datæque est illi omnis potestas in cælo & in terra. Glorificabitur denique, cum in fine sæculorum veniet in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, sedebitque super sedem
maiestatis suæ, & cõgregatis ante se omnibus

Act. 1.

1. Cor. 15.

Ephes. 1.

Psal. 8.

Math. 28.

Math. 25.

gentibus, dicet cultoribus & seruis suis: *Veni-
te benedicti patris me, &c.*

Has verò Christi exaltationes vocat Aposto-
lus *ἡ τὰς μετὰ τὰ ἔθνη δόξας, & post hæc, seu, pos-
teriores glorias*, quandoquidem prius oportuit
illa Christum pati, & sic intrare in gloriam
suam. *Humiliauit semetipsum*, ait Paulus, *factus
Patris obediens usque ad mortem crucis. Propter quod
Deus exaltauit illum, &c.* Vbi B. Anselmus. Ipse
tantum se humiliavit, vt ultra non posset: pro-
pterea Deus exaltauit eum vt ultra nõ posset.
Alibi Apostolus has omnes meritis hominis
Christi tribuens glorias, scribit. *Videmus Iesum
propter ignominiam mortis gloria & honore corona-
tum.* Vbi Cyrillus. Ob eam mortem & per-
pessionem summæ gloriæ coronam prome-
ruit. Humilitas passionis, est meritum exalta-
tionis. Et Augustinus. Humilitas claritatis
est meritum: claritas est humilitatis præmiũ.
Atque hic locus diligenter obseruandus est
aduersus Hugnosticos, negantes Christũ quic-
quam sibi potuisse mereri: quorũ errorem co-
piosè & diligenter cõsultauimus cũ in Appẽ-
dice, tũ in priore Dialogorũ hebdomada.

Obseruandum præterea, Apostolũ statuere
passiones priore loco, posteriore autẽ glorias.
Nam multis ærũnis premi Christianos oportet
prius quã felici & beato æuo sempiterno
fruantur. *Non coronabitur, nisi qui prius legitime cer-
tauerit.* Aduersa ergo omnia, vt odium & con-
temptũ huius mundi, proscriptioes, exilia,
carceres, cruces, pro regno Christi quod est
Ecclesia Cath. fortiter & cõstanter toleremus,

Luc. 24.
Philip. 2.

Heb. 2.
L. de recta fi-
de ad Regi-
nas.

2. Timos. 2.

vt capiti coaptemur. Vult enim nos Deus cõ-
formes fieri imaginis filij sui. Recogitemus eũ,
qui maximam sustinuit à peccatoribus aduer-
sus semetipsum contradictionem, vt ne fati-
gemur animis nostris deficientes.

Præterea docet Apostolus non esse miseras
Sanctorum pro pietate susceptas & toleratas
afflictiones, quãdoquidẽ proximam sibi apud
Deum gloriã feruatam & promptam habent.
*Gaudete, inquit, quia vestrum est regnũ calorũ. No-
mina vestra scripta sunt in calis. Id quod est leue &
momentaneum tribulationis nostræ, magnum pondus
gloria operatur in nobis.*

Postremò, ex his D. Petri verbis rectè scitẽ-
que colligit. B. Cyrillus. Christũ verè ac pro-
priẽ Deũ esse. Ecce iterũ, inquit, in illis Christi
dicitur sanctus Spiritus, & diuinitas: Deus igitur
Christus, vt potè propriũ habes Spiritum.

12 *Vobis autẽ ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt
vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu
sancto misso de celo, in quem (vel, quæ) desiderant
Angeli prospicere.*

Præoccupatio est, qua respondet occurritq;
illis, qui prophetarũ scripta & vaticinia nihil
ad christianos, sed tãtũ ad Iudeos dicebãt per-
tinere, sensus autẽ est. Eo prophetis reuelata
sunt salutis humanæ futura mysteria, quo non
sibi ipsis solũ proficeret, aut solis coætaneis ac
popularibus suis Hebræis, quibus verbis & fa-
ctis illa prædicabant, vt crederent & speraret
in vêturum redẽptorẽ: verum etiã in nostram
vtilitatem & salutem scriptis mandauerunt,

vt ab ipsis velut pædagogis & præceptoribus ad Christum summum Magistrum duceremur. Illi inquam, veluti præcones & ministri Dei prænuñciauerunt ea mysteria conceptionis, natiuitatis, vitæ, mortis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, quæ nos Apostoli & discipuli eiusdem Domini nostri denunciamus nunc toti mundo adimpleta fuisse in terra Palestina: ad id munus nos inspiante & docente eodem Spiritu sancto, qui quondam per illos loquutus est: ad nos verò, nõ ita pridem visibilibus signis, in monte Sion, in ipso die sacro Pentecostes, mirabiliter transmissus.

Ex his autem primùm discimus, veteres Synagogæ Prophetas, & Apostolos noui Testamenti doctores eodem Spiritu diuino inspiratos, afflatos, ac eruditos fuisse: atque eadẽ Christi mysteria huic mundo annũcialse, eandẽque salutem hominibus proposuisse: Hoc solo discrimine inter eos constituto, quod illi futura prædicebant, hi facta nunciauerunt: & quod illi variis figuris & typis representabant, (vt Moyses in agno, serpente aëneo mamma, petra, virga, mari: Jonas in nauì demersione, glutitione, emersione, prædicatione, &c.) isti palam & manifeste docuerint. Idcirco inter præcipuos fidei nostræ articulos, Symbolo comprehensos profite-mur, *Spiritum sanctum loquutum esse per Prophetas*, Hinc scribit BEDA. Idem Spiritus Christi erat in prophetis prius, qui postmodum in Apostolis: ideoque eandem fidem vtrique populis prædicauerunt: illi adhuc venturũ,

isti iam venisse: ac per hoc vnam Ecclesiam, cuius pars carnalem Domini aduentum præcesserit, pars altera sit sequuta. In huius rei figura & adumbratione, duo Cherubim alis suis circũplectebantur Arcam propitiatorij Christum significatam: & duo exploratores in veste palmitem vitis, cum vuis suis portauerunt. De his enim ait Isidorus. Botrus in ligno, Christus in cruce: duo bajuli, duo populi: prior vnã cernens, Iudaicus: posterior eã oculis videns, Christianis. Hæc duo vbera sponsæ descripta in canticis Salomonis, ex quibus lac fidei, spei, & caritatis suggimus. Hæc duo luminaria magna posita in firmamento Ecclesie, quorum alterum nocti, i. Synagogæ, alterum diei, id est Ecclesie Christianæ præsidet. Hæc duo animalia, quæ Christum Ierosolymis triumphantem portauerunt.

Secundò, Didymus Alex. hinc notare iubet aduersus illos, qui salutem patriarcharum atque prophetarum minorem existimauerunt salute Apostolorum & Christianorum, duos esse Christi saluatoris aduentus. Primum spiritalem ac intelligibilem, secundum quem omni fide, spe, & obedientia in animis Christus recipitur vt Deus, Verbum orbis redemptor, & iudex. Alterum verò sensibilem, secundum quẽ carne nostra indutus ex virgine Maria progressus est ad nos visibilis & mortalis. Priorẽ autem longè diuiniorem ac vtiliorem esse posteriore, eo quod hic sine illo nobis parũ proficit. Deinde, quod hic etiã a prauis hominibus cognitus sit, ille tantũ a piis & sanctis admit-

Exod. 25.
Num. 7.
3. Reg. 6.

Cap. 4. & 7.

Gen. I.

Matth. I.

tatur. Sic Abraham dicitur cognouisse diem Christi, indèque magno gaudio exultasse: Moyses & Elias gloriam transfigurati I E S V, non sine incredibili læticia cõspexerunt. Concludit autem. Sicut hi qui circa finem mundi consistent, & videbunt secundã & gloriosam Christi præsentia, quã Apostoli tantũ crediderunt, & annunciauerunt futurã, iisdem Apostolis nõ erunt beatiore: sic neque nos sumus feliciores sanctis patriarchis ac prophetis, qui Christi aduentũ in carnem præcesserũt. Quinimo beati erimus, si datũ nobis fuerit recũbere cum Abraham, Isaac, & Iacob regno celorum.

Tertio, hinc manifestum est, scopum omnium prophetarum fuisse Christum, aduentum eius, & mysteria per illum adimplenda, ad hæc quæ illos omnes suas conciones & scriptiones, vt ad propositũ sibi finẽ collimasse. Ideò Paulus dicit se ad eius prædicationem Euangelij segregatum, quod Deus ante promiserat per prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo. Et postea: *Iustitia Dei nunc manifestata est, olim testificata a lege & prophetis.* Et D. Petrus ait in Actis. *Moses & omnes propheta à Samuel, & deinceps, annunciauerunt dies istos.* Et iterum. *Hic, i. Christo, omnes propheta testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.*

Attendamus & Dei summam perpetuamq; de nostra salute sollicitudinem, quando non solum Angelos suos omnes curæ nostræ deputauit: verum & cunctos prophetas amicos & fideles seruos suos nobis inuigilare atque ministrare voluit. *Angelus Domini* (ait Dauid) in

circuitu timentium eum. Angelis suis mandauit de te, Psal. 90. vt custodient te in omnibus viis tuis. Omnes sunt ad- Hebr. I.
ministratori spiritus, &c. Et hoc loco D. Petrus scribit de prophetis: *Vobis ministrabant, scribendo, prædicando, signando, ea quæ nunciata sunt vobis, &c.* Gratias igitur animis tantã Dei beneuolentiam amplectamur. Ante oculos versetur sanctorum prophetarum industria: ne nos in recipiẽda gratia Dei exhibita ignauiores simus, quàm ipsi erga promissam fuerunt.

Quod si ea quæ ab Euangelij prædicatoribus nunciantur, olim etiam propheta tradiderunt: illaq; impleta esse docent isti, quæ promissa per illos fuerant: certè non est noua vestra & christiana religio: sed æternum Dei cum filiis hominũ testamẽtum, decẽti ordine ac serie reuelatũ & manifestatum. Quanta ergo certitudine huic inherendũ, & omnino acquiescendum est? Etiam si Paulus ipse, aut Angelus de cælo descendens, aliud vobis euangelizaret, anathema sit, &c.

Rursum, si doctrinã Apostolicã scriptis suis prænuciarunt propheta, in horũ igitur libris diligẽter est versandũ atq; studendũ. Nec enim aspernari aut negligi possunt, quin simul contènatur Euãgeliũ: imò etiã diuinus ille spiritus qui vt manũ chartis admouerent author fuit. *Sapientiã omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit.* Quanta ergo esset ingratitude, si ea nihil faceremus; quæ cõfirmada fidei nostræ cã, tãto antea tẽpore sunt literis cõsignata, & inter tot tãtaq; mudi ruinas diuinitus cõseruata? Magni profectò etiã facere debet auditores

Ioan. 8.
Matth. 17.

Matth. 3.

Rom. 1.

Rom. 3.

Act. 3.

Act. 10.

Psal. 33.

& discipuli suos Pastores, Euangelistas, & doctores, quippe qui sanctorum prophetarum & Apostolorum salutarem doctrinam perpetuantes, horum loco & ordine succedant, suamque auctoritatem accipiant à Spiritu sancto missò de caelis. Licet enim magnifica illa dona, quae Apostolis & discipulis initio concessa sunt, & ad tempus aliquod in Ecclesia perseverarunt, his nouissimis saeculis cessarint: nihilominus idem Spiritus eiusdem Ecclesiae sanctificator & rector sempiternus quos in ea posuit pastores & doctores donis ad ministerium necessariis nunquam destituit. *Manebit vobiscum* (ait Dei filius) *Spiritus veritatis. Docebit vos omnem veritatem.* &c. Licet ergo peccatores, & humano generi communibus infirmitatibus circumdati, atque ideo contemptibiles illi videantur, attamen diuinæ mentis sunt interpretes, summi ac omnipotentis Dei legati, quibus dictum est: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Et rursus. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Ideoque hic scribitur, Euangelium Ponticis annunciatum quidem fuisse ab hominibus: sed missis instructis, & potestatem habentibus à Spiritu sancto, signis visibilibus de caelo hoc ipsum manifestante atque declarante.

In quem (vel in quem) desiderant Angeli proficere. Huius loci varia lectio varias quidem peperit interpretationes: sed illas omnes pias & utiles. Aded namque grauida foecundaque sunt ista diuini Spiritus oracula, ut multiplices in his lateant intelligentiae. Nam Biblia latina, Romæ etiam nuper iussu summorum Pontificum

recognita, post Abrosium, Gregorium, Bedam, Bernardum, & alios classicos auctores, constanter leguntur *in quem desiderant*, ut vel de Spiritu sancto, vel de Christo, vel de Deo ipso, locus intelligatur. Græci verò omnes habent, *eis & in quem*, ut referatur ad mysteria salutis humanæ prædicta per prophetas, & mundo annunciata per Apostolos: vel ad horum pro hac pietate suscepta, vel à successoribus tandem suscipienda in nouissimis diebus certamina. Atque sic contextum Apostolicum seruant Irenæus martyr libr. 2. cap. 29. & lib. 4. cap. 67. licet cum latinis *in quem*, habeat, lib. 5. cap. 36. Cyrillus Alex. tomo 2. lib. de incarnat. Vnigeniti, c. 28. Ecumenij interpres, & alij. Syrus his consentit, legens, *in quibus concupiscunt etiam Angeli proficere.* Suffragatur B. Effrem & ipse Syrus, lib. de armatura spirituali, cap. 1. Atque sic utraque lectio summis viris probata, nobis superest amplectenda, ordinemque suo nunc explicanda.

Primum igitur venerab. Beda particulam *in quem* refert ad Spiritum sanctum, de quo immediatè dictum est. *Spiritu sancto missò de caelo*, quem Pater in nomine filij, id est, propter merita, præcelsaque Christi, iam gloriosè regnantis, & in dextera Patris sedentis, è caelestibus, per signa visibilia sonitus vehementis & linguarum ignis, pauld antea miserat super Apostolos & discipulos, iuxta id quod idem Christus promiserat: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Nisi abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam vobis enim*

Sermo. 4. in festo omnium Sanctorum.

Act. 2.

1. 4. 15. & 16.

Act. 1.

Act. 20.

Io. 14 & 16.

Hebr. 5.

Math. 10.

Luc. 10.

Li. de Ista.

cap. 5.

1. 18. Moral.

cap. 28.

Com. in hunc locum.

manete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto, etc.
 In hunc autem vt æternum, infinitæque potentem, sapientem, bonum, iustum, misericordemque Deum, ac præcipuum suæ beatitudinis & gloriæ obiectū, beatissimi Angeli in cælis cōspicere gestiunt, & in eius Deitatis (quæ etiam Patris & Filij est) perpetua visione ac fruitione conquiescere. Quoniam B. Epiphanius postquam multis Scripturis confirmauit Spiritum sanctum esse natura Deum, Patri & Filio coæternū & consubstantialem, aduersus Eunomij, Macedonij, & Semiarianorū hèresim, alludens ad hunc B. Petri locū concludit. Est Spiritus sanctus vnicus, qui ab omnibus adoratur, & ab omnibus creaturis desideratur & nulli adæquatur, nō Angelo, non alij spiritui, sed vnico est. Inde quoq; B. Athanasius, aduersus eos qui dicebat Spiritū sanctū creaturā esse, probat etiā oēs Angelos Spiritus sancti participes esse, vt creatura creatoris sui: itaq; Spiritum sanctū personā diuinā esse Patri & Filio æqualē in omnibus. Consentitū Basilij magni & Didymi Alex. libris de spiritu sancto. Insuper, idē ven. Beda voces *in quem*, refert ad Christū: cuius in cælis tanta est gloria. vt beati Angeli non solū immortalē Deitatis eius magnificentiā, sed & assumptæ humanitatis claritatē, tanquā beatitatis accidentariæ iucundissimū speculū gaudeāt intueri. Ecquid mirum cū propter eiusdē Christi præuisum passionē ab exordio suæ cōditionis fuerint præseruati à lapsu, cōfirmati in gratia, & suprema felicitate donati: Paulus ideo Christū appellat *caput*

Cont. heres.

74

Epist. ad Serapionem.

Coloss. 2.

omnis principatus & potestatis. Igitur vt caput in Coloss. 1.
 mēbra sua, sic Christus & in Angelos gratiæ & gloriæ motus spirituales influit: ipsi verò illum vt caput suū attendunt, suspiciūt, & reuerēter adorāt. Hac de re idē iterū Apostolus scribit, *Christum per sanguinē crucis suæ pacificasse omnia quæ in terris, & in quæ in cælis sunt, id est, Angelos in primis cū Deo, deinde cū hominibus.* Nam Origenes docet Christū non solū pro terrenis, sed etiam pro cælestibus Dei ministris, hostiā immolatā fuisse. Hoc idē affirmat & Clemens, cū scribit: Angelos & homines ex vno, & per vnū saluari. Deniq; & B. Bernadus ait. Qui crexit hominē lapsum, dedit angelo stāti ne caderet: sic illū de captiuitate eruens, sicut hunc de captiuitate defendens. Et hac ratione fuit æquē vtrique redēptio, solūēs illū, & seruās istū. Idē rursus vocat Christū, delicias Angelorū, quippe qui iuxta Apostolū, *desiderent in eū prospicere.* B. Gregorius totū d. Petri locū refert ad beatam clarāq; Dei vnus & trini visionē, qua refecti Angeli, semper eundem videre ac intueri summo desiderio cōcupiscunt. Quia de Deo (inquit) per primū Ecclesiæ prædicatōrē, dicitur: *in quem desiderant Angeli prospicere, sunt nonnulli qui suspicantur Angelos nequaquā Deum videre, cū tamen alibi apertē dictum sit, Angeli semper vident faciem Patris.* Deum itaque Angeli & vident, & videre desiderant: & sitiunt intueri, & intuentur. Ne autem sit in desiderio anxietas, desiderantes fatiantur: & ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant sine labore, quia

Hom. I. Et 2. in Leuit.

L. 7. Strom.

Serm. 22. in Cant.

Ser. I. in festo omn. sanct.

L. 1b. 18. mor. cap. 28.

Matth. 18.

desiderium satiatas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ peruenerimus: erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas. Et B. Thomas in hunc locum scribit. Est desiderium Dei habendi, scilicet ut habeatur, & istud defectum importat. Est & desiderium rei habitæ, ut continetur, & tale nec defectum, nec fastidium importat. Ecclesia denique, de his beatis Angelis canit: Mirantur nec deficiunt, in illum quem prospiciunt, fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt, &c.

Lib. 4. c. 67. B. Irenæus martyr Apostoli verba intelligit de mysteriis ac miraculis, quæ per aduentum Christi mundo cõtigerunt. Respondens enim eis qui quærebant, Quid noui veniens attulit Christus? ait. Seipsum attulit, & ea quæ prædicta sunt bona, in quæ concupiscebant Angeli intendere, & donauit hominibus. Eumenius ita subscribit. Cùm hæc Christi mysteria fieri inciperent, ex abundanti gaudio Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra hominibus pax & bona voluntas.* Ergo Christi filij Dei conceptio, natiuitas ex Virgine incunabula panni, præsepe, vagitus pueriles, adoratio à magis & pastoribus, circumcisio, oblatio, fuga in Ægyptum, baptismus, ieiunia, peregrinationes, conciones, miracula, preces, crux, mors, descensus ad inferos, resurrectio, & ascensio super omnes cælos, etiã Angelis & Archægelis tam grata, tam iracunda, tamque miranda fuerunt spectacula, ut in his contemplandis supra

Luc. 2.

præquam dici potest, fuerint delectati: & huius delectationis ac lætitiæ nunquam illos reduit aut piguit. Nam cùm gaudio magno exultent in cælis, *super uno peccatore penitentiam agente*, quanto maius gaudium conceperunt in rotius generis humani reconciliatione atque redemptione? Ineffabili certè lætitia illos exultasse in Christi ascensione, satis ostendunt hi clamores, in quos præ stupore & admiratione omnes erumpebant, & dulcissima miscebant colloquia: *Quis est iste Rex gloriæ?* Et cùm vel Christus ipse, vel alij felices spiritus responderent: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*: cùm Angelos superiorum ordinum hortabantur: *Aperite portas, Principes, vestras, & introibit Rex gloriæ.* Sic enim hunc Psalmi locum interpretantur. Ambrosius & Gregorius Nyssenus. Hunc quoque Isaïæ: *Quis est iste, qui venit de Edom, &c.* Dionysius Areopagita, & Hieronymus ad idem mysterium & colloquium referunt. Hinc Paulus docet vocationem Gentium, *mysterium in Deo absconditum à sæculis*, Angelis innotuisse cum summa horum exultatione, per suas & coapostolorum prædicationes: quod suis interpretationibus comprobant Hieron. Ambros. Chrysost. & Theophylactus.

Psal. 23.

L. de instit. viii. c. 5. Isa. 63.

Eph. 3.

L. de armat. spirit. c. 1.

S. Effrem, & post hunc Didymus Alex. quo præceptore D. Hieronymus gloriatur, & hanc addunt interpretationem, nimirum, quod & Angeli, & alij omnes beatorum spiritus percipiunt intueri opera miranda, quæ per aduentum vltimum Christi contingent in hoc, & in futuro sæculo: utpotè, eundem Christum cum summa,

Math. 25.

maiestate & gloria venientem ad iudicium, omnia pedibus suis subiicientem, regnum suum capessentem, omnes homines è mortuis suscitantem, ante se omnes congregantē, diiudicantē, sanctisque designantem & conferentem ea bona cælestia, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* His enim aderunt omnes beatissimi Angeli regem, & caput suum Christum stipantes, ad omne illius obsequium paratissimi. Siquidem personabunt tubis, omnes ad iudicium euocabunt, colligentque electos à summis cælorum, vsque ad terminos eorum, tandēque rapient obuiam & Christo in aëra, impiis prius missis in caminum ignis. Tunc cum stupore (ait Hypolitus martyr) procedent Angeli. Throni, Potestates, Cherubim & Seraphim, clamantes:

*Orat. de An-
nich. & conf.
s. culi.* *Sanctus, sanctus, sanctus, &c.* Alios quoque ab Angelis spiritus, ad eundem aduentum Christi flagrantissimis votis aspirare, docet D. Ioannes Apocal. c. 6. & 21 Paulus quoque coronam iustitiæ reddi non solum sibi proptat, sed & his omnibus, qui hunc aduentum diligunt. Ad hocque pertinere non malè putant istam à Christo traditum nobis precem: *Adueniat regnum tuum.*

2. Tim. 4.

Matth. 6.

Nec desunt, qui illud, *in qua desiderant*, referant ad certamina, martyria, & labores, quibus suos athletas. 1. Apostolos & discipulos toto orbe Euangelium prædicantes Christus exercuit. Cum enim pro veri Dei gloria, euangelij veritate afferēda, illi aduersus huius mundi potestates, sapientes, & tyrannos decertarent, atque diabolicas munitiones expugnarent, denique ignes, cruces, bestias, cæteraque tormentorum

genera, in fragili carne fortiter sustinerent, & constanter superarent, etiā ipsis Angelis mirabile & delectabile præbuerunt spectaculum. Hinc Paulus scribit: *Puto quod nos Apostolos Deus ostēdit tanquam morti destinatos: quia spectaculū facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* Enimuerò si piorum preces, eleemosynas, & lacrymas, Angeli coram Deo referunt: si spectatores sunt eorum, quæ in sacris Ecclesiarum cœtibus geruntur, multo magis profectò conspexerunt Petrum, Andræam, Philippum, & Simeonē alacriter pergentes ad crucem; Iacobum & Paulum ad gladios: Stephanum lætanter susipientem lapides: Ignatium ad leonē, Polycarpum ad ignem, Clementem ad naufragium, Dionysium ad craticulam, Thæclā ad omnia genera tormentorū, &c. eademque infracto animo superantem. Nam de his, omnibusque pro religione Christi certantibus, ait B. martyr Cyprianus. Preliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant Angeli eius, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quāta felicitas, præsentē Deo congregari, & Christo iudice coronari: &c.

Isthec quoque perpendens Ambrosius scribit: *L. 1. de Isaac* Multi sunt qui in otio quærunt Christū, & non inueniunt: & quærūt in persecutionibus, & citò inueniunt. Et ideo quasi post tentationes, quia in periculis fidelium suorum adest.

Quanta ergo sunt per Christum nobis oblata beneficia, cum in sui desiderium etiam ipsos rapiant Angelos? Et quomodo effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Si tanto gaudio efferruntur super misericordia quæ nobis contingit:

Isa. 64.

1. Cor. 2.

Matth. 13.

24. & 25.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

2. Thess. 4.

1. Cor. 4.

Tob. 12.

Act. 10.

Apoc. 8.

Enseb.

Niceph.

Epist. ad

Thibarnia-

nos.

116 COMMENTARIA IN CAP. I.
quantò magis nos tantam Dei clemètiã agnoscere, amplecti, & prædicare debemus?

Ecquis etiam immortalium & beatorum istorum spirituum maximam in nos adhuc mortales & miseros terræ vermiculos, benevolentiam & charitatem non suspiciet, & attonitus mirabitur, quòd tantoperè nos diligant? De salute nostra, de vno peccatore pœnitentiam agente, ineffabili gaudio in cœlis collætentur?

Quod cum bona cuncta nobis, velut conferuis & conciuibus suis percipiunt, proculdubiò & eadem nobis comprecantur. Et de propria salute securi, de nostra sunt solliciti. Hactenus de ista sententia, totòque huius Epistolæ exordio.

13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam, in reuelatione Iesu Christi.*

Hæc est propositio principalis, ac velut Status totius huius epistolæ, 1. cuius ista summa est: Veros Christianæ fidei & religionis professores, cunctis carnis & mundi obstaculis relictis, sibi per Christum proposito oblatòque salutis negotio incumbere, & constanter intendere debere. Verborum enim apostolicorū hic sensus est. Cum tam cælestes, diuinòsque thesauros contineat vobis per nos prædicata Christi doctrina & religio, vt nò solùm prophete in his cognoscendis seipfos exercuetint, verùm etiam beati Angeli mysteria ei⁹ partim iam facta, partim adhuc adimplenda prospicere desiderent: quid vobis fratres mei, in terris agendum putatis, vt iam cælestia bona possitis tandem adipisci? Non vide-

tis quanto ardore ad auri & argenti thesauros cumulosos ferantur auari? Quantis laboribus ad honores sæculi aspirent homines ambitiosi? Quanta sollicitudine ac diligentia ad voluptates inhient homines libidini dediti? Quantò igitur & magis & melius decet vos à Deo per Christum adoptatos, ad illam *hereditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcescibilem, & conseruatam vobis in cælis*, aspirare atque contendere? Ad hanc, quæ iam aduentante ad iudicandum orbem Christo, palam reuelabitur, vos omni mentis & corporis castitate, omni sobrietate & moderatione, oportet accingi & præparari? Hæc contemptis omnibus huius mundi illecebris, opibus, minis, odiis, & persecutionibus, debetis sperare & expectare? &c.

Partes porrò huius generalis propositi sunt tres, ordine nunc prosequendæ. Prima, secundùm Hieronymi, Augustini, Gregorij, ac Bedæ interpretationem, docemur corporis & animi castitatem summo perè necessariam esse, vt Christo de cælis venturò læti occurrentes, cum ipso vitæ æterna perfruamur. Istud comprobat D. Hieronymus ex eo quòd paulò post subditur: *In Iouin. omni conuersatione sancti sitis, quoniam ego sanctus sum.* Item: *Castificantes animas vestras, &c.* Gregorius autem scribit. Lumbos mentis carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos verò mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere. Rursumque idem ait: *Hom. 13. in Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxu- Euang. riam per continentiam coarctamus.* Augustinus *L. de Cont. c. 7.* ab hac sententia non recedit scribens. Quid est

Serm. 23. de
verb. Dom.

lumbos accingere? Libidines coercere, quod est opus continentiae. Et idem alibi: In lumbis accinctis virginitas, in lucernis ardentibus opera bona significantur. Bedæ autem ista verba sunt. Succingit lumbos mentis, qui hanc ab impura cogitatione restringit. Et qui mente & corpore castus Domini aduentum expectat, merito quando reuelatur, sperat. Notat autem B. Thomas, hominem interiorē, id est, animā, suo modo exteriori homini proportionari. Dicitur enim, habere pedem, id est, affectionē: oculum, id est, rationem, manum, id est, operationem: narem, id est, discretionē: lumbos & renes, id est, delectationes. Sic animarū Lazari ac Epulonis spirituales effectus ac inuisibiles operationes, per oculos, digitos, linguas, corporū membra visibilia significantur. Hoc igitur loco ducta metaphora à lumbis corporeis, in quibus duo renes libidinū incitamenta sedēsque consistunt: itēque, ab his qui longioribus vestimentis induti, vel itineri, vel operi ut alacrius & liberius insistant, sese accingunt: animæ mentēsque hominum lumbos habere dicuntur, id est, intellectum & voluntatem. Hi verò lumbi præcinguntur, quando ab impurarū cogitationum fluxu, morosa delectatione, inordinatisque desideriis coarctantur & custodiuntur. Atque hoc ipsum est, quod ab omnibus Christianis hoc in primis loco, princeps Apostolorum exigit, nimirum ut per puram, castam sanctamque vitam, quasi aliquod iter, ad cælestem hæreditatem properemus.

At verò, quis hodie tantam virtutem satis pro dignitate colit? An non utiq; ferè regnat maxi-

Luc. 16.

ma corporum & animum impuritas? Hæreticorum præcipui Ministri, voti continentiae desertores, monachi monachas incestuose Lutherus sibi copulant, & cōmixtionem equè necessariam prædicant, atq; edere, bibere, scire? Si nolit uxor (inquirit) veniat ancilla. Sicut necesse est ut sim mas, sic nō possum sine muliere esse. Alij etiā septuagenarij & octogenerarij, adhuc se vri libidine dicitāt, & sextam septimamq; fœminā superducūt. Alij scortationes raptus, adulteria, imò (referēs horresco) sodomiticas veneres suas poematibus celebrāt, & petulanti iuuentē ad legendū & imitandum proponunt, &c. Inter hos etiam, qui ab hæresibus se abhorret iactitant, quot fornicationes, quot adulteria, quod stupra, quod concubinatus? Timendum certè, ne Holofernus exemplo, periant exercitus cum imperatoribus. Exemplo Heli & filiorum eius, profani cum sacris malè intereant, &c.

Sobrijs, (vel, ut legit *Ecumenius*) sobrijs perfectè, Hæc est secunda pars generalis Propositionis, qua princeps Apostolorum omnis hortatur ad perfectam sobrietatem, id est, moderationem seruandam in cibo & potu. Hæc enim virtus non solum propter se amabilis & desiderabilis est, sed etiam quod parens sit & custos castitatis, de qua nunc dicebat. Nam vina parant animos veneri. Contrà verò: Sine Cerere & Libero friget venus. Hinc D. Hieronymus. Venter mero æstuans facilè despumat in libidinem. Et alibi. Ventris ingluuies, & ebrietas, tam animæ quam corporis causam materiāque infirmitatis tri-

buunt. Noë ex ebrietate femora nudans, à filio irridetur. Lot vina vicerunt, & ad horrenda stupra prouocauerunt. Ergo buccæ, noscenda est mensura tuæ.

Cætera gulæ, ac ebrietatis incommoda his verbis colligit effertque Innocentius tertius. Gula paradysum hominibus clausit: primogenita Esau cum sacrilegio vendidit: Balthasar cum imperio perdidit: Israël em ad adorandum idolum vituli impulit: suspendit pincernam Pharaonis: decolauit Baptistam: & diuitem quotidie splendide epulantem in inferno sepeliuit. Quid turpius ebrioso, cui fetor in ore, tremor in corpore; qui promittit multa, prodit occulta: cui mens alienatur, facies transformatur? &c.

Contrà verò: Sobrietas est salubrium consiliorum parens: nec enim vinosi ad consultandum sunt idonei. Monet quoque postea vnumquemque nostrum hic Apostolus: *Frates, sobrii estote, & vigilate. &c.* Nam qui nec sobrii sunt, nec vigilantes, facile cadunt in laqueos diaboli superatur autem, & è domibus corporibusque hominum propellitur oratione & ieiunio.

Commendatur etiam mentis sobrietas, vt videlicet omnes sensus nostros contineamus, ne se huius mundi illecebris inebrient. Nam si vel minimus earum gustus furtim nos à Deo abducit, quisquis se illis ingurgitat, necesse est vt sopitus & stupidus, Deum, & quæ Dei sunt obliuiscatur. Philosophorum mentes inebriatæ carnali sapientia, in rebus diuinis turpissime sunt hallucinatæ. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: &c.* vt loquitur Terrullianus, hæreticorum

Patriarchæ. Horum enim inuentis, vt & alibi *L. de resur.* docet, innituntur, ab his errorum suorum partibus. hæreticinia quærun, & aduersus veritatem hauriunt argumenta. Oportet ergo sapere ad sobrietatem, hanc humanæ sapientiæ crapulam *1. Cor. 1. &* edormire, & cogitationes curiosas continere, *2.* ne ultra Christianæ moderationis terminos cumpant.

Sperate in eam, que offertur vobis gratiam in reuelatione Iesu Christi.

Hac tertia generalis propositionis parte, iubet Apostolus perfecte constantèq; sperare à Christo, omnium bonorum fonte & largitore, ea gratiæ dona in præsentem tempore, & gloriæ in futuro, quibus coronabuntur corporibus & animis serui eius, cum venerit in maiestate sua, & gloriam regni sui omnibus manifestabit. Nam spes Christiana firmissimis promissionibus Dei tota nititur, securè se illis committit, & quæcunque pollicitus est confidenter expectat, cum patre fidei nostræ Abraham dicens: *Quæcunque Rom. 4. promisit, potens est & facere.*

Primò itaque docemur tam securo infractòq; animo diuinis promissis de resurrectione & glorificatione nostra, deque cælesti hæreditate per Christum nobis parata & oblata, adhærere, vt nulla vnquam desperatione frangamur. *Gloriamur Rom. 5. in spe filiorum Dei, inquit Paulus, nec solium: sed & gloriamur in tribulationibus scientes quod tribulationem patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et postea. *Spe salui facti sumus, &c.* Grauiissime igitur deliquerunt Cain, Achitophel, Iudas, turbæque despe-

L. de contemptu mundi, c. 18. 19. 20.

1. Petr. 5.

Matth. 17.

Rom. 1.

L. adu. Heremog.

rantium, cum de promissa pœnitentibus venia diffusi, diuinam clementiam & misericordiam delictis suis minorem esse reputauerunt. Vana quoque est Iudæorum, Turcarum, Persarum, Maurorum, Tartarorum fiducia, cum sine Christi meritis beatam sibi resurrectionem promittent. Inanis quoque hæreticorum spes, vel potius diabolica præsumptio, qua sola fide, eandem sibi pollicentur. Enimvero, *qui vult ad vitam ingredi, mandata seruet necesse est.* Soli qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ. Nam his solum Christus diciturus est, *Venite benedicti Patris mei, qui bonis operibus incubuerint.*

Secundò, vitam æternam nobis oblatam meritò iurèque *Gratiam* appellat Apostolus, non *ut omne humanum meritum evertat*, quemadmodum Marloratus furcifer ausus est comminisci; sed quoniam nihil de ea quærentibus, ac etiam curantibus filiis hominum, Christus veniens eam prædicauit, & Apostolis eandem annunciare ac offerre mandauit. Deinde, quia prima gratia qua vocamur ad baptismum, ad Dei agnitionem per fidem, ad pœnitentiam & iustificationem, omninò gratis confertur. Postremò, quoniam & ipsa merita, atque bona opera, quibus pro mercede redditur vita cælestis, omninò pendent à gratia præcedente, comitante, cooperante, ac coronante. Hoc & Paulus Petro subscribens sic astruit. *Gratia saluati estis per fidem, idque non ex vobis, ne quis gloriëtur.* Et alibi. *Gratia Dei vita æterna. Reliquia secundum electionem gratia salua facta sunt. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit, &c.* Scitè ergo

Matth. 19.

Ioan. 5.

Matth. 25.

Mar. 16.

Matth. 28.

Eph. 2.

Rom. 6.

Rom. 11.

1. Tim. 3.

ac piè Augustinus ait ad Dominum: quisquis *L. 9. conf.*
enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat *cap. 13.*
nisi dona tua?

Tertiò, docet Apostolus perfectam consummatamque gloriam sanctorum potissimamque seruatorum Dei præmia differri vsque ad vltimum huius sæculi diē, quo Christus semeripsum quātus & qualis sit, vniuersis mortalibus manifestabit. Patienter ergo tantisper ferendum nobis est, si aliquando esurimus & sitimus, si nudi in frigore & nuditate, si inter huius mūdi minas & odia sit agendū. Nā vita nostra abscondita est in Christo: manifestabitur autem cum apparuerit. Etenim omnis creatura nobiscū ingemiscit & pariturit vsque adhuc: *sed & nos ipsi*, ait Paulus, *primi- Rom. 8.*
tius Spiritus habētes intra nos gemimus, adoptione filiorum Dei expectantes, redēptionem corporis nostri, &c. Ad hoc tēpus respiciens beatus Iob, in misteriis suis cōstans perseuerabat dicēs: *In nouissimo die de de terra surrecturus sum, rursum circumdabor pelle mea, Iob. 19.*
& in carne mea videbo Deum saluatorem meam. Huius contemplatione & expectatione se solabantur quondā & sancti Machabæi: & reliqui martyres, *2. Mach. 7.*
adeò vt pro nihilo reputarēt quæque dura diraque perpeti. Hinc Tertullianus. Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. *L. de resur. carnis.*

Reuelat quidē seipsum ante diem illum Christus, nobisque innotescit per speculū creaturarū, *1. Cor. 13.*
& in ænigmate fidei assentiēris omnibus, quæ de illo in sacris Euāgeliis, & symbolis fidei catholice reuelatur: nimirum quòd Deus & homo sit, mortuus, sepultus, resuscitatus, in cælos redierit, mediator Dei & hominum, venturusque *1. Tim. 2. 1. Io. 2.*

viuorum & mortuorum iudex: in super, tanquã oues vocem eius audimus in verbo personantẽ, huncquẽ sequimur velut legitimum pastorem, non alienum. Sed tum clarẽ apertẽque gloriam eius contemplabimur: nec solũ, verũ & illi conformes ac similes erimus in gloria, cũ extrema dies illuxerit. Spe verò interea opus est, eademque perfecta & inconcussa, quã vt firmissima anchora mentes nostras inter huius vitæ procillas in hac certa constantique expectatione retineat. Nam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

14. *Quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantie vestra desiderijs.*

Propositioni generali & partibus eius, nunc subiungit plurimas sanctissimãque confirmationes, quibus ostendit Christianæ religionis professoribus in primis necessariam esse in fide & spe constantiam: deinde, morum puritatem & sanctitatem, siquidem bona per Christũ parata & oblata velint possidere. Hæc autem prima confirmatio tribus argumentis conficitur: quorum primum sic ab eo, quod vniuersis à natura comparatum est, disponi potest. Oportet germanos legitimõsque liberos piorum parentum formam, naturam, moresque referre. Vos Christi gratia & meritis, potestatem accepistis filios Dei fieri. Idcirco non erubescit vos quantumlibet abiectos & mortales, fratres ac cohæredes suos appellare: neque pudet eum æternum, substantialẽ, ac vnigenitum filium Dei, com-

munem vobiscum Patrem habere. Igitur oportet vos Patriis cælestis constantiam & pietatem imitari, vt eius in vobis reluceat imago, nec sitis adulterini atque degeneres. Hanc discipuli sui ratiocinalem pius præceptor & magister antea tradiderat, dicens. *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est.* Et coapostolus Paulus eadem vtitur scribens: *Estote imitatores Dei sicut filij carissimi, &c.*

Secundum argumentum est ab omnium legum decretis & censuris, sic Omnis lex tam diuina, quàm naturalis, humana, & ciuilis, iubet filios cum omni summissione & reuerentia parentibus obtemperare. Est enim primum præceptum secundæ Mosis tabulæ, cui (vt obseruauit Apostolus) adiunctæ sunt promissiones & comminationes: quas apertissimis exemplis Deus asseruit quando Abelem, Sem, Isaac, Iacob, Ioseph, Tobiam, parentibus morigeros multis beneficiis cumulauit: rebelles autem ac proteruos Cain, Cham, Ismaël, Esau, Absalon, seuera vindicta persecutus coercuit. Christus vitæ Christianæ perfectissima imago & regula, Patri factus est obediens vsque ad mortem crucis. Matrì quoque debitam obseruantiam semper & obedientiam rependit. Igitur oportet & vos Patri vestro morum sanctitatem præcipienti morem gerere.

Tertiò, disputat Apostolus à priori genere vitæ, quod traduxerant gentiles sub idolorum cultu, veræque religionis ignorance, hoc pacto. Aliud tempus, alios mores, aliamque vitam postulat. Non decet per Christum regeneratos, &

Ioan. 10. 12.

Philip. 3.

1. Io. 3.

Heb. 6.

Math. 10.

Matt. 5.

Eph. 3.

Exod. 10.

Philip. 2.

Luc. 2.

Ioan. 19.

Ioan. 1.

Psal. 21.

Ioan. 20.

sacris eius initiatos, impurâ execrabilémq; ethnicorû vitâ viuere. Non decet semel sacro lauacro ablutos & sanctificatos & peccatis, aut porcos redeuntes ad volutabrum luti, aut canes vomitus suos refumentes imitari. Igitur nec vos nunc gratia Dei ex paganis & idolatris Christianos effectos, damnabilibus desideriis, quibus veluti cæci in tenebris quondam tenebamini, rursus inuolui, &c.

Ex his autem Apostolicis verbis primum aduerte, nos per Christianæ religionis professionem, verè filios Dei omnipotentis fieri: adeò vt qui priùs filij Adæ peccatoris, exulis & miserimi homuncionis eramus, hac religione assumpta, iam summi ac immortalis Dei per adoptionis gratiam nati censeamur. Verè inquam, quia non sola appellatione aut titulo, sed re ipsa: quoniam Deus qui nec simulator est nec fallax, tales nos vocat, agnoscit, profitetur, amplectitur: quod incredibilis gratiæ donum atque beneficium est. Scribit enim Moses: *Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit te, & creauit te?* Isaïas etiam sic Deum alloquitur: *Tu enim pater noster, tu domine, pater noster, redemptor noster, à saculo nomen tuum.* Imò & Deus ipse Synagogam post multos Deos fornicantem, per Ieremiam his verbis ad se reuocat: *Ergo saltem à modo voca me: Pater meus, dux virginittatis mea tu es, &c.* Et in Euangelio filius iubet, *Patrem orare in abscondito.* Quinetiam palam & confidenter in cælum attollentes manus dicere: *Pater noster, qui es in cælis, &c.* Ex his autem sic idem Dominus argumentatur & colligit. *Si pater ego*

Ioan. 1.

Deut. 32.

Isa. 63.

Ierem. 3.

Matth. 6.

sum, ubi est timor meus? Vbi obtemperatio? vbi Malach. 1. amor? vbi imitatio? vbi fratrum & cohæredum dilectio?

Promptam autem ac integram obedientiam Deo in primis, deinde his qui sub eius auctoritate & ordinatione rebus diuinis & humanis præfunt in terris, omnes, potissimum Christianos debere, docet præfertim istud sanctissimum & grauissimum Dei oraculum: *Melior est obedientia, quam víctima: & auscultare, magis quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare, & quasi scelus idolatriæ, non acquiescere.* Deinde, ad omnem obtemperationem nos plurimum excitare debent Christi Domini exempla clarissima: quippe qui puerulus seipsum subiecit parentibus. Et cum forma Dei esset, seipsum exinaniuit, formam hominis serui accipiens, factus sub Moïsis lege, principum Romanorum edictis obtemperans, soluensque eorum publicanis tributa, Patri denique obtemperans vsque ad mortem crucis. Ideo enim affirmabat: *Descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Sicut mandatam dedit mihi Pater, sic facio. Non mea, sed tua voluntas fiat, &c.* Nam igitur meritò hîc princeps Apostolorum iubet nos esse filios obedientes, obsequentes, & morigeros?

Hîc porrò silentio præterire nec possum nec debeo stupendam Caluinianorum insaniam, qua tam expressum Dei verbum de obedientia, ad fidem solam detorquent: nec verē-

1. Reg. 15.

Luc. 2.

Philip. 2.

Gal. 4.

Luc. 1.

Matth. 17.

Matth. 22.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Matth. 26.

Maurot. Rhapsod. in hunc locum. tur scribere, *obedientiam in scripturis fidem significare: huncque obedientem esse, qui verbum audit, & fide amplectitur.* Nec his contenti, Ministrico more diabolos reboantes, & summum Ecclesiæ pontificem, vniuersumque ordinem Cleri probis calumniisque vexantes, addunt *Papam, cum academiis ac cœnobiiis suis, hoc verbi dilacerasse, & ad sua mendacia, & diabolicam obedientiam torfisse, &c.*

At, quis summorum pontificum istud fecit? quando fecit? Quis Papa, quæ schola, quod cœnebiū, illa vel D. Petri, vel Samuëlis verba, ad diabolicam torfit obedientiam? Non accusasse vobis sufficit? Certè solus (quod sciam) Ioannes Hus, docuit, *Oportere Deum obedire diabolo.* Et hunc pro vno vestrorum patrum & antistitum agnoscitis. Solus (quod meminero) Lutherus professus est, se argumenta quibus Canonem & sacrificium Missæ impugnet, *noctu audiuisset & accepisset à Satana.* Hunc quoque veritatis & reformationis vestræ auctorem esse non negatis. Solus Zuinglius (si bene memor sum) scribit *se à spiritu perambulante in tenebris didicisse, quomodo hæc Christi verba hoc est corpus meum, peruerteret.* Et hic sacramentarij erroris vestri antesignanus fuit. Et non pudet vos, obedientiam summo pastori debitam, *diabolicam* appellare? Quod vestrorū hæresiarcharum est, dono apostolico tribuere? Diuinum hoc præceptū, *Si quis superbierat nolens obedire summi Sacerdotis imperio, interibit de populo meo*, vobis ne diabolicum est? Et Christi mandata: *Omnia quaecunque dixerint vobis, seruare & facite*, diabolicā iubent obedientiam? *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me*

Deut. 17.

Matth. 23.

Luc. 10.

nit, me spernit, ministrali iudicio vestro, diabolica verba sunt? Apagete tantam amentiam.

Nec minus profectò insanitis, quando quicquid in sacris occurrit de obedientia vel Deo, vel præfectis ab eo constitutis præstanda, ad solam fidem rapitis, & cum ea peruerse & nequiter confunditis.

1. Nam fides ad intellectum pertinet: obedientia voluntatis est. 2. Fides de rebus est sub sensum non cadentibus: obedientia etiam in rebus externis ac visibilibus comperitur. 3. Fidei præcipuos articulos symbola tradunt: decalogi præcepta obedientiam requirunt. 4. Fides vitæ Christianæ initium est: obedientiam sequitur. 5. Angeli, & omnes beatorum spirituum ordines, diuinæ voluntati in cælestibus obtemperant: nec amplius fidei obscuritatibus inuoluuntur. 6. Christus ipse secundum animam comprehensor, fide non egebat: factus est tamen Patri obediens vsque ad mortem. 7. Idem dicendo beatos esse qui audiunt verbum Dei, & qui custodiunt illud, fidem verbi ab obeditione secernebat. 8. Apostoli docentes, *Non auditores legis iustos esse, sed factores fidemque sine operibus mortuam*: planè demonstrant fidem ab obedientia non parum secerni. 9. Regibus, magistratibus, & parentibus diuina lex parere præcipit: nam & in eos credere? 10. Quod si prorsus eadem sit fides cum obedientia, vt in homines fidem nostram dirigere prohibemur, & illis omnis obedientia simul detraheretur. Quò igitur impietatis & absurditatis ducunt vestra proposita? Quæ vos dementia ce-

Luc. 11.

Rom. 2.

Iac. 2.

pit, ut tam ab omni ratione & pietate aliena, tam verbo Dei aduersa, tam diuersa, tam peruersa confingeretis? Crapulā istam, quāso vos edormite. Quiescite agere peruersē, & discite benē & loqui & facere. Ad obseruationes nostras redeo.

Apostolus prohibens configurari prioribus ignorantiaē desiderijs, simul docet, diligenter nobis cauendum esse, ne post conuersionem & iustificationem ad præcedentia peccata redeamus. *Vade*, ait Christus ad adulteram, & *noli amplius peccare*. Et ad Paralyticum. *Noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat*. Nec Dauid ad prius adulterium, nec Petrus ad priorem negationem, nec mulier peccatrix ad superiora delicta, nec Thomas ad infidelitatem, nec Paulus ad cædes Christianorum post conuersionem redierunt. *Lauī pedes meos*, inquit sponsa, *quomodo rursus inquinabo illos?*

Insuper, tempus ante cognitum Christum, Ignorantiam appellans, confirmat Christum esse veram lucem mundi: ac extra doctrinam & religionem eius, nihil nisi densissimas tenebras totum orbem occupantes quod figuratum est per eclipsim tempore mortis eius vniuersam terram operientem. Quicquid extra hanc fidei doctrinam sapit vel Iudæus, vel Ethnicus, vel Maometanus, cæcitas est, crassa ignorantia, tenebræ sunt plusquam Ægyptiacæ, non scientia. *Vani sunt omnes homines in quibus non subest hæc scientiā Dei*. Eusebius cunctis Ethnicis probri loco ponit, quod ante susceptam Euangelij lucem, vitam ducerent belluis aut proximam aut

deteriorem. Adeo rectē scripsit Hieronymus. Sine noticia creatoris omnis homo pecus est. obcæcatum enim erat insipiens cor eorum.

Ep. ad Hebr. liod. Rom. 1.

15. *Sed secundum eum qui vocauit vos sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitū:*
16. *Quoniam scriptum est. Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.*

His duobus versibus comprehenditur secunda propositionis generalis confirmatio. Duabus autem partibus conficitur. Prima, exemplo sanctitatis & puritatis Dei vocantis nos ad filij sui cognitionem & religionem, probat hanc professionem pijs operibus & virtutibus exornandam esse. Quasi dicat. Ille Pater vester cælestis non modo sanctus, purus, & ab omni macula mundus est, verum, & ipsa summa sanctitas, innocentia, & munditia: eius itaque exemplo ac imitatione oportet vos quos sibi elegit & asciuit in filios & cohæredes, omnibus inquinamentis cum animi tum corporis mundos ac puros esse. Deinde, vos decet vocationi vestræ dignis moribus respondere ac deseruire. Sed vocati estis ab immundorū spirituum cultu, ad veri & summi Dei agnitionem & obeditionem: à fordibus peccati originalis, ad lauacrum aquæ in verbo vitæ: à crassissimis idololatriæ tenebris, ad præclara fidei, spei, & caritatis luminaria: à præsentī sæculo nequam, ad cæleste regnum Dei. Ergo omni sanctitate, sinceritate, & morū cogitationumque innocentia præditos & ornatos vos esse oportet.

Ioan. 8.

Ioan. 5.

Cantic.

Ioan. 1.

Ioan. 8. & 9.

Matth. 27.

Sap. 13.

L. 4. & 5.
preparat. e-
u. iug.

Mundum quidem totum in maligno positum esse fateor: sed vos iam pridem de mundo exempti estis, abrenunciastis Satanæ & omnibus pompis eius. Christo sanctissimo & innocentissimo filio Dei tanquam viua membra insiti & coniuncti estis. Igitur nulla pars vitæ vestræ, nulla membra, nulli sensus debent sanctitate vacare, &c.

Altera confirmationis pars sumitur ab antiquo, sed per Euangelium repetito & confirmato Dei præcepto: *Sancti estote, &c.* Quia enim Israëlitarum profanis & impuris gentibus undique cincti erant, ex quorum exemplis plurimas sordes & corruptelas poterant contrahere, Deus illos ad sectandam imitandamque sanctitatem suam frequenter reuocabat his vocibus: *Ego sum Dominus Deus vester. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Et rursus. *Loquere ad omnem cœcum filiorum Israel, Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Rursumque. *Sanctificamini, & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester.* Et in alio volumine. *Eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Viri sancti eritis mihi, &c.* Cùm itaque etiam ad nos Christianæ religionis professores hæc præcepta D. Petrus pertinere doceat, æquissimum est, nos omni morum puritate, & virtutum splendore eandem professionem exornare. Vult igitur Apostolus. Non vobis suffecerit Mosaiica puritas, vt abstineatis à contactu cadaverum, ab idolothitis, ab animalibus significatione potius quàm natura immundis, lauetis pedes, manus & vestes. Nam totum corpus totam animam vestram, totam cõuersa-

Leuit. 11.

Leuit. 19.

Leuit. 20.

E. col. 19.

Exod. 22.

tionem vestrâ deus vult procul abesse ab omnium vitiorum inquinamentis, &c. Atque hæc duæ secundæ confirmationis partes.

In his autem primò inuestigandum est, quæ, qualisve sit illa Dei sanctitas, cuius toties scriptura meminit: & quæ hoc loco commendatur ac proponitur imitanda. B. Dionysius A-
L. de diuin. reop. hanc ita describit. Sanctitatis est omni nom. cap. 12.
 scelere libera, perfecta, & pœnitus incoinquinata munditia. Et quoniam hac exuberanter Deus plenissimus est, per summam excellentiam *sanctus sanctorum* prædicatur. Et quicumque vel
Dan. 9.
 Reges, vel Sacerdotes, vel Prophetæ sancti nuncupantur, non nisi huius participatione sancti vel dici, vel esse possunt. Hanc ob rem Moïses dicit. *Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.* Et Dauid. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*
Dent. 32. Psal.
 Beati Seraphini hanc in cælis celebrantes sanctitatem, concinunt: *Sanctus, sanctus, sanctus, &c.* quibus militans Ecclesia succinit: *Quoniam tu solus sanctus, &c.* Summa ergo contumelia afficiunt, imò & verè Deum esse factis negant Hugonostici, quando illum omnium scelerum, tam hominum quàm authorem esse blasphemant.
Isa. 6. Apoc. 4.

Rursum, Dei sanctitatem in eo etiam reluctance docent Basilius magnus & Cyrillus Alexandrinus, quòd ab omni materia purus & in-
L. de Spir. s. cap. 9. & in Psal. 32.
 positus: item ab huius inferioris mundi sordibus, commixtionibus, & corruptionibus abest quàm longissimè. Istud comprobant voces istarum
I. 11. m. I. ca. 25. & 29. Et L. 11. m. Leuit.
 Prophetarum: *Calum mihi sedes est, terra autem*

Isa. 66.
1. Reg. 2.
Leuit. 20.
Matth. 19.
Ioan. 4.
1. Tim. 6.
Deut. 4.
1. Tim. 6.

scabellum pedum meorum. Non est sanctus, ut est Dominus. Ego Deus sanctus vester. Item Apostolorum & Euangelistarum. *Nemo bonus, nisi solus Deus. Deus spiritus est. Deus habitat lucem inaccessibilem. Deus noster ignis consumens est. Deus solus habens immortalitatem, &c.* quibus satis euidenter declaratur Dei naturam omnino remotam esse ab omni forde & compositione, sicut eius consilia & iudicia ab omni iniquitate. Atque hæc de Dei sanctitate.

Notandum secundò, hæc præcepta sancti estote, quoniam ego sanctus sum: *Estote perfecti & misericordes, sicut Pater vester caelestis perfectus & misericors est: Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi, &c.* non præcipere comparationem æqualium, quasi parem cum Deo sanctitatem habere iuberemur: sed imitationem pro captu virium nostrarum, vt quæ semper ad maiorem in dies sanctitatem enitamur. Conscendamus de virtute in virtutem, donec videamus Deum deorum in Sion. Eodem modo intelligenda est & hæc D. Ioannis sententia: *Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Nam Sancti quique apertè professi sunt, se longissimè abfuisse à scopo summæ diuinæque sanctitatis, quando orauerunt quotidie, non humilitatis mendacio, sed veritatis & conscientiæ iudicio: *Dimitte nobis debita nostra, &c.* Itemque. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c.* Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei, &c.

Tertiò, notandum hanc sanctitatem, quam

Psal. 83.
1. Ioan. 3.

Matth. 6.
1. Ioan. 1.
Rom. 3.

à nobis per Apostolum hîc exigit Spiritus sanctus, nemini Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, aliorumve sanctorum, à natura inesse, aut propriis solùm viribus contingere: sed Dei gratia & liberalitate dicentis: *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Item. *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates vestras propter me.* Datur autem hæc prima gratia & sanctitudo propter Domini nostri Iesu Christi præcellentissima merita: quandoquidem *lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Effudit sanguinem suum pro nobis & pro multis, in remissionem peccatorum.* Iure ergo scribit D. Hieronymus. Tunc iusti sumus, quando nos peccatores fatemur: & iustitia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia, dicente scriptura. *Iustus accusator est sui in principio sermonis.* Et in alio loco. *Dic tu, peccata tua, vt iustificeris.* Et iterum. *Conclusit Deus omnia sub peccato, vt omnibus misereatur.* Hæc igitur hominis summa iustitia est, quicquid poterit habere virtutis non suum putare esse, sed Domini qui largitus est. Hastenus ille.

Quartò etiam considerandum, hanc sanctitatem non consistere in verbis, vestimentis, ceremoniis, aut operibus externis: quandoquidem hæc quoque in Phariseis speciosa & copiosa profiterunt. Nam ieiunabant frequenter, orabant prolixè, dabant eleëmofynas, decimas persoluebant, dilatabant phylacteria & simbrias: nihilominus à filio Dei reprobandantur.

I iiij

Leuit. 20.
Isa. 43.

Apoc. 1.
Matth. 26.

Dialog. 1.
contra Pelag.

Prou. 18.

Matth. 6.
Luc. 15.
Matth. 23.

Consistit itaque veræ sanctitatis & iustitiæ ratio in interioris animi & conscientiæ munditia & puritate, quæ per remissionem peccatorum acquiritur, Christo nos sanguine ablutente, & gratiam animabus infundente. Ideò enim

Isa. I. & 5.

Math. 15.

coarguuntur omnes Iudaicæ festiuitates, neomeniæ, oblationes, ieiunia, & preces multiples, quòd manus eorum, i. affectus interni, sanguine scaterent & maderent. Et Christus eadem ratione docet hominem coram Deo non maculari, si manibus illotis panem manducet: coinquinari verò affirmat impuris de furto, homicidio, & adulterio perpetrando cogitationibus.

Nunc autem si iubet cunctorum hominum verba, cogitata, factaque ad has veræ sanctitatis regulas exige: & facillè apertèque conspicias, quantum omnes distemus à vera pietate, & cælestis patris nostri toties commendata imitatione. Contrà verò luculenter apparebit quantis vitiorum sordibus coram illo impuri & contaminati simus. Tunc cum prophetis iure vociferaberis: *Omnis caro corrumpit viam suam. A planta pedis, usque ad verticem capitis non est sanitas. Facti sumus immundi omnes, & cuncta iustitiæ nostræ ut pannus menstruatus. Omnes declinauerunt & inutiles facti sunt, &c.*

Gen. 6.

Isa. I.

Isa. 64.

Psal. 13.

Cùmque tantum, tamque assiduum & perpetuum sanctitatis vitæ studium à nobis postulet Deus omnipotens, omnino certum est, illos falli turpissimè, qui Euangelij prætextu, carnis licentiam quærunt: nullis Ecclesiæ

instituti subesse, nullis Conciliorum decretis subiacere, nullis superiorum legibus obtemperare, nulla ieiunia seruare voluit, &c. Non potest profectò hæc nimia licentia non euadere in Epicureïsmum, vel aliquod aliud magnum malum.

His stimulos admouent, qui vt omnem aliarum virtutum, bonorùmque operum curam tollant de medio, *solum fidem ad iustitiam salutemque sufficere predicant: iustum in omni bono opere peccare; opera quantumuis bona videantur, nihil nisi gehenna æterna supplicia mereri: & salutem potius impetire, quàm iuuare, & scriptis & vocibus affirmare non verentur, qualis est Lutheranorum & Caluinianorum Ministrorum propudiosa coluuius.*

De his copiosè egimus in Dialogo.

Vnde manifestum est, Simonem Magum, Valentinum, Eunomium, Lutherum, Brentium, Melancthonem, ac eiusdem furfuris hostes bonorum operum, & solius fidei assertores & prædicantes, in viam impiorum & perditorum hominum abiisse: tametsi à fascinatissimis Lutheranis & Hugnosticis, pro sanctis prophetis & Dei ministris habeantur & supersticiosè colantur.

Miserandi sunt Lutherani scriptores, qui hoc dictum, *sancti estote, &c.* de solis sacerdotibus à nobis allegari confingunt: quoniam ad omnes Christianos hanc D. Petri adhortationem pertinere & scribimus, & prædicamus, & palam protestamur. Ergo Lutherani scriptores calumniantur & delirant.

17. Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione

personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus: in timore, incolatus vestri tempore conuersamini.

Hæc est tertia confirmatio generalis Propositionis, de exornanda professione Christiana piis operibus & virtutibus. Sumitur autem primò à vocatione simul & inuocatione Dei Patris nostri cælestis: deinde, ab æquissimo & iustissimo illius futuro iudicio. Primò itaque sic ratiocinatur Apostolus. Si vos adhuc in hac miseriarum & lacrymarum valle constituti, & terrenis negotiis distracti, omni loco, omni hora, & ex omni tribulatione & angustia, manus oculos, mentesque in cælum attolentes, in auxilium vestrum inuocatis Deum omnipotentem, veluti amantissimum & clementissimum patrem vestrum, dicendo cum Isaïa: *Tu pater noster es. Tu Domine, pater noster, & redemptor noster.* Et cum Christo: *Pater noster, qui es in cælis, &c.* certè necessum est vos Patris pietatem, & sanctitatem sanctis operibus imitari, ne falsò patrem vocetis, cui non vultis assimilari. Deinde, si toto pectore desideratis vestras preces non esse irritas, sed potiùs & audiri & exaudiri ab eodẽ Patre vestro, oportet vos eidem prius gratos & acceptos esse. Nã peccatores non exaudit. Et impio inuocanti dicit: *Quare tu enarras iustitias meas, & assimis nomen meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &c.* Oratio eius sit in peccatum, id est, reddit eum Deo magis odiosum. Igitur cum omnes percipiant suas preces Deo gratas & efficaces esse, necesse est piis moribus, atque conscientiarum puritati operam dare.

Isa. 63.

Math. 6.

*104n. 2.
Psal. 49.
Psal. 108.*

Secundò, argumentatur Apostolus ab æquitate Diuini iudicij, hoc pacto. Deum non solum patrem clementissimum habetis: sed & iudicem æquissimum, integerrimum, & iustissimum, qui tandem omnes filios hominum iudicaturus est, nulla ratione habita personarum, qualitatum, pomparum, & laruarum externarum: sed uniuscuiusque tantum operum & conscientiarum. Igitur dum hanc vitam caducam & instabilem viuitis, cum timore & reuerentia filiali oportet vos à delictis abstinere, & operam dare virtutibus. Præterea, alta mente quæso, reponite, vnumquemque vestrum in illa die extrema, irreuocabili sententia & decreto, mercedem omnium quæ gesserit in corpore siue bonum siue malum esse recepturum. Non enim Deus à recto fluctetur, proptereaquòd iste Rex, ille Pontifex, hic diues, ille sapiens fuerit: neque mores imitabitur iudicum huius mundi, personas frequenter & munera accipientium: sed iudicabit orbem terræ cum summa æquitate & veritate sua. Ergo decet vos & à peccatis abstinere, & ad cælestem hæreditatem omni morum puritate aspirare.

In his autem primùm obserua, inuocationem Dei esse maximum opus fidei, & Christianæ professionis officium. Ad hanc enim Deus ipse verbis suis inuitat, impellit, & dulcissimis amplissimisque promissionibus allicit: cogit denique humanarum miseriarum nostrarum multiplex necessitas. Ait enim per Psalmistam: *In-
uoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Et per Isaïam: *Querite Deum dum inue-*

Psal. 49.

Isa. 55.

niri potest; inuocate eum dum prope est. Item per Ieremiam: *Inuocabitis me, & orabitis me, & ego exaudiam vos: queritis me, & inuenietis.* Et longè apertius in nouo Testamento dicitur: *Querite & inuenietis: petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis. Quicquid orantes petitis, credite quod accipietis, & fiet vobis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, &c.* His autem præceptis atque promissis diuinis excitandi sunt animi ad frequentiores & feruentiores preces pro nostra, omniumque salute fundendas.

Crede etiam toties sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, inuocationem & cultum præcipi, quoties Dei Patris nomen absolutè, & sine vlla cum aliis personis comparatione facta, inuocandum & appellandum esse iubetur. Hoc enim nomine tunc non sola Patris persona, sed Deus ipse vnus & trinus, à nobis exorandus, & ratione creationis, conseruationis, adoptionis, & salutis adorandus, summòque cultu à cunctis venerandus comprehenditur & significatur. Hæc porro beatissimæ Trinitatis adoratio & inuocatio constanter affirmanda & retinenda est, aduersus Iudæorum, Sabbellianorum, Arrianorum, & Maometanorum impietates, quæ hoc sæculo per novos Arrianos in Transsilvania, Hungaria, Polonia, Lithuania, & cæt. renouantur: & in Gallia, Anglia, Scotia, & Belgio instaurantur per Caluinianos, hanc verè piam & Catholicam precem, *sancta Trinitus, vnus Deus, miserere nobis, tam impiè, quàm inscitè calumniantes atque reiicientes.* Nam & forma Baptismi Christiani

Ierem. 29.

Luce. 11.
Mat. 7. 11.
Ioan. 16.

apertissimam habet trium personarum Diuinarum inuocationem. Ioannes eandem etiam precatur gratiam & pacem postulans septem minoris Asiæ Ecclesiis *ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est, &c.* Et Paulus in initiis Epistolarum, exoptans salutem iis ad quos scribit, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo, qui non nisi cum Spiritu sancto & sunt, & operantur, Expressiùs autem inuocat eam dicens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, caritas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis, Amen.* Sic autem & Augustinus in fine quindecim librorum de Trinitate veniam ab illa precatur: *Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: Si quæ de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.* Et alibi. *Domine Deus omnipotens, qui es trinus & vnus, exaudi me Trinitas sancta.* Et rursus alibi. *Vnus Deus, tres personæ, vna & indiuisa Trinitas, aperi mihi clamanti portas iustitiæ, &c.* Sed & ante annos mille & quingentos, eandem in auxilium sic vocabat. D. Dionysius Arcop. *Trinitas diuinæ sapientiæ, Christianorum præses, dirige nos in id, quod de arcanis oraculis incomprehensibile est, & in altissimum eorum verticem, &c.* De his copiosius in primis Dialogis nostris.

Expende rursus ex superioribus verbis Apostoli innocentiae studium, bonorumque operum exercitium, nostris precibus & orationibus conuertendum esse. Etenim si Deus tantum illos pro filiis agnoscit, qui student imaginem sanctitatis suæ referre, iisdem solummodo propitius

Matth. 28.

Apo. 1.

1. Cor. 13.

L. Meditat.
c. 40.
Soliloq. c. 37.L. de mystica
Theologia.
c. 1.

Ise. 1.

& exorabilis erit. Ad sceleratos namque ait. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationē, non exaudiam: manus enim vestrae sanguine plene sunt*, id est, rapinis, odiis proximorum, homicidiis, &c. Et Paulus scribit. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira & disceptatione.* Et Filius Dei præcepit relinquere munus ad altare, priusque cum fratre redire in gratiam, quàm illud offerre.

1. Tim. 2.

Matth. 5.

Animaduerte etiam nos admoneri, vt futuri summique iudicij viuorum & mortuorum, memoriam nunquam de mente deponamus: sed identidem meditemur, & reuoluamus, vt hæc recordatio semper nos in officio retineat. *Deus*, (inquit Apostolus) *sine acceptione personarum, iudicat secundum vniuscuiusque opus: ideo cum timore conuersamini.* Est enim efficacissimum aduersus omnia peccata remedium: & ad studium bonorum operum, quæ Christus tum probabit, extollit, atque compensabit, incitamentum. Hinc

Psal. 118.

Psal. 74.

Psal. 118.

1. Cor. 9.

Matth. 3.

Epist. 5.

Dauid ait: *A iudiciis enim tuis timui.* Et dixi iniquis, *Nolite iniquè agere, nolite attollere cornu vestrum, quoniam Deus iudex est.* Et studium suum de bonis operibus commemorans ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Paulus castigabat corpus suum, ne reprobis inueniretur. Præcurfor monet Pharisæos fugere à ventura ira. D. Hieronymus de seipso scribit: Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus & noctibus operior cum timore reddere nouissimum quadrantem, & quod mihi dicatur: Hieronyme, veni foras, Alibi rursus post commemorationem deserti,

ieiuniorum & lacrymarum suarum, ait: Ego qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, &c. Rursumque alia Epistola Heliodorum veterem amicum inuitans, vt secum ad deserti solitudinem commigraret, omnia quæ ob stare illi poterant, hac ratione dissoluit. Facile rumpit hæc vincula, amor Dei, & gehennæ timor. Miseri ergo sunt carnis assentatores, & perditionis multorum authores, huius sæculi hæreseon ministri, Christi tantum gratiam & misericordiam inculcantes, non etiam seuerum & districtum futurum iudicium.

Sed & aduersus omnem propheticam & Apostolicam doctrinam insurgunt, docentes Christum non esse iudicaturum, & suos saluatorum secundum opera sua: *sed sola fide, sine vlllo operum respectu.* Contrà enim scribit Psaltes: *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Paulus & studiosè & frequenter inculcat: *Reddet unicuique secundum opera sua. Referet unicuique prout gessit in corpore siue bonum, siue malum.* Quin & Dominus ipse clamat. *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Rex dicet his qui à dextris eius erunt: *Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.* Venite ergo, possidete regnum. Denique protestatur: *Ecce, venio citò, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* Sed quid apertius ac expressius his B. Petri verbis, *Iudicat secundum vniuscuiusque opus?* Et ad tam sonoros frequentesque clamores non expergiscimini? Hos contrà, potius deprauare, & in alienum sensum detorquere, & ne amplius feriât aures & conscientias vestras diuertere pergetis. Donet Dominus

Epist. ad Eustoch.

Ep. ad Heliod.

Psal. 61.

Rom.

Cor.

Ioan. 5.

Matth. 25.

Apoç.

melius sapere & docere.

Præcipiens quoque Apostolus *in timore conuersari*, docet homini Christiano sub perpetuo Dei timore filiali super terram viuendum esse: timendo nimirum, ne tam pium Patrem offendamus, ac veluti rebelles & insolentes filij ad iracundiam prouocemus, seuerum iudicem illum habituri, cuius plusquam paternam beneuolentiam hîc contempsimus. Hoc sensu finèque suadet Paulus, *cum timore & tremore salutem nostram operari*. Et Dominus hortatur, *cum timere, qui potest corpus & animam perdere in gehennam*. Huius timoris utilitatem simulque necessitatem exponit his verbis Sapiens. *Qui sine timore est, non poterit iustificari*. Et iterum. *Timor Domini sicut paradysus benedictionis, & super omnem gloriam operuit eum*. Et in Prouerbiis: *Beatus homo, qui semper est pauidus*. An non ergo turpissimè fallunt & falluntur, & diabolica planè præsumptione suos secum in æternum exitium pertrahunt Ministri Caluiniani, quando iubent eos adedò certos & securos esse de sua electione & salute, vt nihil prorsus sibi sit à Dei iudicio & ira timendum. Dauid certè etiam post peccata multis lacrymis, ieiuniis, & precibus diluta, Deum timens rogat, ne in furore illius argueretur, neque in ira corripetur. Supplex etiam precatur, *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis (peccatis uidelicet subditorum) parce seruo tuo*. Superioremque hæreticam præsumptionem à se omnino alienam esse ostendens, ait. *A iudiciis enim tuis timui. A verbis tuis formidauit cor meum*. Eundem

Philipp. 2.

Muth. 10.

Eccli. 1.

Eccli. 40.

Prou. 28.

Psal. 6. &
37.

Psal. 18.

Psal. 11^o.

Eundem autem timorem sibi utilè & fructuosum esse sentiens rogat: *Configetimore tuo carnes meas, statue seruo tuo eloquiũ tuum in timore tuo*. Reges cunctosq; alios Principes & Magistrat^o ad similè secum pietatem inuitans, ait: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cū tremore, &c.* Quorum sum Ezechias, Manasses, Ionas, Esdras, Magdalena, Petrus, tanta se pœnitentia macerassent, si fidelibus de secreto æternæ prædestinationis ac electionis suæ dubitare nefas esset? Lõgè profectò melius & salubrius Paulus omnibus consulit: *Qui stat, videat ne cadat*. Ergo stãtib. *periculum casus timendum est. Noli alium sapere, sed time, &c.* Nunquam ergo præsumendum est. Psal. 2.
1. Cor. 10.
Rom. 11.

Ad hæc, nos relegat Apostolus ad meditationem huius vitæ inconstantiam & breuitatem, quãdo vocat eam, *Tempus παροικίας*. Est autem *παροικία* vicinia multorum inquilinorũ: vnde dicta Parœcia, cœtus ad vnum templum pertinentium. Hîc tamen propriè significat aduenas, qui alibi nati, alibi habitant. Itaque tempus *παροικίας*, est peregrinationis, quò hic à Domino peregrinamur. Vnde monemur, non aliter terris, domibus, redivibus, opibus caterisque huius mundi rebus vti, quàm solent hospites, qui in alienum diuersorium sese pro vna nocte recipiunt. Vita ergo hominis Christiani non est nisi velut mansio vnus mortis: quando ed nobis contentendum sit, vbi Pater noster cœlestis gloriã suam manifestat, filiorum hæreditatem præmiãque conseruat, & cum his permanet in

Psal. 118.

saeculifæculi. De hoc incolatu Dauid tametsi potentissimus Rex ait. *Incola ego sum in terra.* Et huiusmodi tedio affectus, ad æternam celestemque patriam suspirans, inquit. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est?* Paulus quoque, obseruat, Abraham & alios patriarchas, demoratos esse in terra promissionis, tanquam non propria, in casulis & tentoriis habitando expectantes

Hebr. 11.

fundamenta in cælis habentem ciuitatem cuius artifex & conditor Deus. Hanc lectissimis verbis describit, & ut ad eam properemus sic

Ser. de mor. saluac.

incitat B. Cyprianus. Patriam nostram Paradisum computamus, parentes patriarchas iam habere cepimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutem possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secunda, & adhuc de nostra sollicita. Vita autem huius in-

Epist. ad Heliodor.

constantiam his depingit D. Hieronymus. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamē æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: Quot puni-
 notarij, tot meorum damna sunt temporum.

Epist. ad Fructianum.

Et alio in loco. Velimus, nolimus, senescimus.

Epi. ad Paulinam Cæciliam.

Rursumque alibi. Humanæ vitæ breuitas, damnatio delictorum est. In ipso sæpe lucis exordio mors secuta nascentem, labentia quotidie in vitium sæcula proficitur, &c.

L. 3. Pedagog. cap. 12.

Clemens Alex. breuis quidem sed optimæ vitæ præcepta daturus, incipit à Matrimonio,

consulens maritis ne suas osculentur uxores coram famulis: quod illud alienum sit ab honestate, & quod nimia familiaritas vitanda sit cum famulis, ne ea abutentur. Addit vero. Sciennes ergo suum cuiusque officium, in timore conuerseremini tempore vestri incolatus.

18 *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione patrum traditionum:*

19 *Sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.*

Hæc est quarta confirmatio, seu exhortatio, ad sanctitatem morum & studium virtutum, quæ constat argumētatione sumpta ab inestimabili pretio redemptionis humanæ: potest autem sic disponi. Qui multo auro vel argento liberantur à crudelissima barbarorum seruitute, vel tenebrosis carceribus, durisque vinculis, triremibus vel furca, modis omnibus aduigilant, ne iterum in easdem ærumnas & incommoda relabantur. Sed vos vnigeniti & prædilecti Filij dei Christi innocētissimi morte & sanguine, omnibus mundi opibus & thesauris longè pretiosiore, redempti estis non solum à seruitute legis, aut paganismo & idololatria, culturaque dæmonum: verum etiam ab insupportabili ira Dei, sempiternaque perditione. Igitur cunctis modis ac viribus vobis enitendum est, ne in præcedentia peccata recidatis. Vel hoc modo ratiocinatio fiat. Nihil est quod nos ad vitæ sanctitatem

Psal. 118.

saeculūsaeculi. De hoc incolatu Dauid tametsi potentissimus Rex ait. *Incola ego sum in terra.* Et huiusmodi tedio affectus, ad aeternū celestemq; patriā suspirans, inquit. *Huiusmodi mihi, quia incolatus meus prolongatus est?* Paulus quoque, obseruat, Abraham & alios patriarchas, demoratos esse in terra promissionis, tanquam non propria, in casulis & tentoriis habitando expectantes fundamenta in caelis habentem ciuitatem cuius artifex & conditor Deus. Hanc lectissimis

Psal. 119.

verbis describit, & ut ad eam properemus sic incitat B. Cyprianus. Patriam nostram Paradisum computamus, parentes patriarchas iam habere cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra sollicita. Vita autem huius in-

Hebr. 11.

constantiam his depingit D. Hieronymus, Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamē aeternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: Quot punita notarij, tot meorum damna sunt temporum. Et alio in loco. Velimus, nolimus, senescimus.

Ser. de mor. saluac.

Rursumq; alibi. Humanæ vitæ breuitas, damnatio delictorum est. In ipso saepe lucis exordio mors secuta nascentem, labentia quotidie in vitium saecula proficitur, &c.

Epist. ad Heliodor.

Clemens Alex. breuis quidem sed optima vitæ præcepta daturus, incipit à Matrimonio,

Epist. ad Fratres.

Clemens Alex. breuis quidem sed optima vitæ præcepta daturus, incipit à Matrimonio,

L. 3. Pedag. cap. 12.

Clemens Alex. breuis quidem sed optima vitæ præcepta daturus, incipit à Matrimonio,

consulens maritis ne suas osculentur vxores corā famulis: quod illud alienum sit ab honestate, & quòd nimia familiaritas vitā da sit cum famulis, ne ea abutentur. Addit vero. Sciens ergo suum cuiusque officium, in timore conuersimini tempore vestri incolatus.

18 *Scientes quod non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione patrum traditionum:*

19 *Sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.*

Hæc est quarta confirmatio, seu exhortatio, ad sanctitatem morum & studium virtutum, quæ constat argumētatione sumpta ab inestimabili pretio redēptionis humane: potest autem sic disponi. Qui multo auro vel argento liberantur à crudelissima barbarorū seruitute, vel tenebrosis carceribus, durisq; vinculis, triremibus vel furca, modis omnibus aduigilant, ne iterum in easdem ærumnas & incommoda relabantur. Sed vos vnigeniti & prædilecti Filij dei Christi innocētissimi morte & sanguine, omnibus mundi opibus & thesauris longè pretiosiore, redempti estis non solum à seruitute legis, aut paganismo & idololatria, culturæque dæmonum: verumetiam ab insupportabili ira Dei, sempiternaque perditione. Igitur cunctis modis ac viribus vobis enitendum est, ne in præcedentia peccata recidatis. Vel hoc modo ratiocinatio fiat. Nihil est quod nos ad vitæ sanctitatem

Hebr. 6.

& bonorum operum studium efficacius impellat, quàm memoria pretij nostri, & meditatio quanti nos Deus æstimauerit, quantique ei constiterit salutis nostræ reparatio. At pro nihilo reputabimus illud pretium omnium pretiosissimum, imò quantum in nobis est, *rursus crucifigemus* (vt loquitur Paulus) *Filium Dei, & ostentum, habebimus*, si peccata pro quibus satisfecit rursus admiserimus, & sanctis operibus quæ Deus præcepit, insudate neglexerimus. Non est ergo nobis ad priora vitia redeundum, aut à virtutum officiis vnquã cessandum.

Ex his primùm considera, totum huius mundi aurum, argentum, gemmas, cunctaque alia, quæ mundus miratur, ambit, quærit & rapit tam laboriosè ac contentiosè, nihil prorsus esse coram Deo, aut salutem nostram per se iuare, imò vt plurimùm retardare atque impedire: quandoque illa nil aliud sunt, quàm terra, limus, & fimus corruptibilia. Quàm fallitur ergo, qui his colligendis, & auarissimè seruandis toti inhiant! Auro & argento plurimo Reges, ciuitates, homines se ab hominum captiuitate & nece frequenter redimunt: vos autem *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis à peccato & morte, sed pretioso sanguine Agni, &c.* Siquidem illa prodesse possunt, quando cum hominibus res est: sed coram Deo nec virtus, nec iustitia, nec sanctitas, nec peccatorum remissio, nec salus æterna illis potest comparari. Quinetiam opes istas vt irritamenta malorum, suis Christus prohibuit,

quãdo vetuit *ne asferrent in zonis suis*. Exclamauitq;: *Quàm difficile qui pecunias habent, intrabunt in regnum celorum!* Pecuniarum nimio desiderio, Giezi lepra percussus est, Iudas proditor euasit, milites custodes sepulchri resurrectionem Christi in damnabile mendacium conuertebant, Ananias & Saphira horrenda morte perierunt, & Simon Magus ab Apostolis iustissimo anathemate damnatus. Hinc Salomon ait. *Coaceruauit mihi argentum, & aurum, & substantias provinciarum, &c. Sed omnia est vanitas.* *Matth. 10. Luc. 11. Matth. 19. Act. 5. & 8. Eccles. 2. Sap. 7. Epi. ad Eus. Soc. de custodia ring.*

Omne aurum sapientiæ comparatum, arena est exigua; & tanquam lutum, æstimabitur argentum. Narrat D. Hieronymus historiam quæ suo sæculo contigit in Nitria Ægypti, qua docemur quantum ab huius metalli possessione sancti patres nostri abhorruerunt. Post mortem cuiusdam Monachi, inuenti sunt in vestimentis eius centum asses, maioris partis patrum sententia idèd cum sua pecunia in sterquilinio sepultus est, dicentibus cunctis: Pecunia tua tecum sit in perditione. Nam pecuniæ studium, fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subuertit.

Secundò, quasdam traditionum paternarum esse non tantùm vanas, vt Apostolus loquitur: sed etiam perniciosas & damnabiles: ac iccico pœnitens fugiendas esse. Primò enim sunt traditiones Ethnicorum, quibus cultores falforum Deorum assueti, posteros suos eisdem imbuebant. Ergo cum recenter cõuersi essent ad Christianam fidem & religionem, ab illis patrum traditionibus omninò reddendum

erat. Secundò, erant traditiones Iudæorum à Pharisæis acceptæ, quas etiam Christus reprobabat dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem, &c.* Tradebant etiam tunc Iudaismo nimis addicti liberis suis, IESUS Nazarenum fuisse seductorem, iurè cruci affixum, ideòque blasphemandum, & doctrinæ illius professores, omni loco pellendos, omnique diritate persequendos & tollendos de medio: sicut se fecisse Paulus apertè confitetur, *emulator existens paternarum traditionum.* De his paternis traditionibus præscribit Deus omnipotens: *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiat, nec in idolis eorum polluamini.* Et Petrus hoc loco appellat has similésque traditiones, vanam, inanem, stultamque conuersationem.

Sunt autem postremò quædam traditiones, (id est, certa doctrinæ capita de ceremoniis, ritibus, moribus, imò & fide, verbo & praxi potius quàm expressis sacrorum Bibliorum scriptis tradita receptaq;) verè Apostolicæ & Ecclesiasticæ, quæ & ipsæ non min⁹ verbū Dei sunt, nec minus audiendæ, recipiendæ, & seruandæ, quàm si ore proprio Deus eas pronūciasset. Idem enim Spiritus per ora linguasq; Apostolorum æquè loquutus est, atque per calamos & chartas eorum. De his namque Paulus ait: *State, & tenete traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per epistolam.* Idem Paulus & Silas perambulantes Syriæ Ecclesias, præcipiebant custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Inter has vir antiquissimus

Tertullianus connumerat omnes hæctenus *lib. de corom. milius.* obseruatas Baptismi ceremonias, oblationes pro defūctis, cōsignationes sanctæ crucis, &c. Pro iisdem disputat copiosissimè B. Irenæus martyr lib. 3. cap. 3. & 4. & nos multa illic notauimus. Rursum B. Dionysius toto libro de Eccles. Hierarchia, D. Clemens Rom. octo libris de constitutionibus Apostolorū, D. Ignatius in Epistolis, de iisdem abundanter disserunt, eadèmq; cunctis hæreseon nouationibus constanter obiiciunt.

Notandum tertio, omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, adeòque omnium electorum & beatorum reconciliationem, sanctificationem, & salutem pendere ex vnus Iesu Christi Domini nostri cruce, sanguine, & morte, tanquam à causa media atque meritoria. *Act. 4.* *Enim non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri credentes. Non est in aliquo alio salus. Solus est via, veritas, & vita. Nemo vadit ad Patrē, nisi per eum. Ipse est ostium.* Merito itaque *Ioan. 14.* Paulus hanc Dei beneuolentiā & liberalitatē *Ioan. 10.* admirās, in hanc vocem erūpit: *Empri estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* *1. Cor. 6.*

Per hæc porrò, duæ præsertim Caluinianorū impietates, horrèdèq; aduersus prætiosissimi huius Agni Dei, id est, Christi IESUS sanguinis virtutē ac efficacitatē dirèq; blasphemie refelluntur. Prior est, *mortē Christi corporeā nihil salutis nostræ profuisse: & crucifixi spectaculū nil nisi extremæ desperationis materiam nobis exhibere.* Contrà verò vniuersa prophetarū oracula, huic vni salutē

Matth. 15.

Galat. 1.

Ezech. 20.

2. Thessal. 2.

1. 1. 15. & 16.

generis humani sanctissimè tribuunt. *Ipsè vulneratus est propter iniquitates nostras*, ait Euangelicus propheta, *atritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum: & liuore eius sanati sumus. Iniquitates nostras ipse portauit.* Eadem corporeas passiones Dauid enumerans, his nostrâ omnium iustitiâ & salutem adscribit. Adumbratæ quoque omnibus illis cruentis boum, auiumque victimis, quorum sanguis innoxius pro peccatoribus fundebatur sub lege. In nouo Testamento, Christus ipse morti & sanguini suo peccatorum mundi remissionem acceptum ferendam palam ostendit dicens. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet filium hominis*, proculdubid in crucem, & secundum hominem illic sanguinem vitamque ponere: *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et postea. *Dabo carnem meam*, nimirum in mortem, *pro mundi vita.* *Ego sum pastor bonus*, pono animam meam, i. vitam humanam, *pro ouibus meis. Si exaltatus fuero à terra*, per crucem mortalem, *omnia traham ad meipsum.* *Hoc enim dicebat de morte, qua clarificaturus erat Deum.* Sed quid apertius, firmissimeque aut nos pro stabilienda fide nostra postulare, aut Christus de his reuelare & statuere potuisset, quâ. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est enim sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* En corpus traditum supplicii & morti cruentæ, en sanguis effusus, vt nobis remitterentur peccata velut affirmat Christus: *& nihil actum fuisse blasphematum, Calvinus, imò, & desperationis extrema mar-*

Psal. 21. 30.
68.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Ioan. 12.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

riam, non veretur appellare. Illud idem toto orbe prædicauerunt, miraculis comprobauerunt, & fortissimis martyriis confirmauerunt beati Apostoli: *Posuit Deus*, scribit Paulus, *Christum propitiatorem nostrum in sanguine ipsius.* Et iterum. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum.* Iterumque. *Si sanguis hircorum, & taurorum, &c. Quantomagis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit Deo immaculatum, emundabit conscientias nostras, ad seruiendum, Deo viuenti? &c.* Petrus denique hic euidenter & constanter redemptionem Iudæorum & Gentium sanguini adscribit. Agni immaculati, &c. de his copiosius in prioribus Dialog.

Altera Caluinianorum impietas est, quòd hic sanguis Christi ante annos mille & quingentos effusus, *in terra computruerit, nec amplius sit in rerum natura*: quapropter nullius iam efficacix aut virtutis. Huius blasphemix prior (quod meminerim) Calvinus. semina iecit, cum scripsit: *Docentes sanguinem Christi cum carne eius coniunctum esse, cum ratione furunt.* Discipuli autem eius inde collegerunt & messuerunt hæc de qua eos coarguimus impietatem. Nam Cureus in Spongia, Erastus in Fundamentali declaratione, Aulakius in sua Confessione, non erubescunt asseuerare, *Sanguinem Iesu Christi pro nostris peccatis effusum, ante annos, 1500. computruisse, nec amplius esse in rerum natura.* Germanus Bauarus in Examine cõtra Selneckerum his addit. *Christi sanguis substantialis non præbetur in Cæna, quãdoquidem in terra corruptus sit.*

Rom. 3.

Hebr. 9. & 10.

In cap. 26. Matth. 5. 27.

Antilutherani Vitebergēses in Exegeti subne-
ctunt: *sanguis ille iam dudū effluxit, & dissipat^o est.*

Hanc itaque impietate decem his argumētis
breuiter refello. Primo, Petrus hūc sanguinē
opponit corruptilib⁹ auro & argēto: igitur
credidit, docuit, & asseruit illum esse incorrup-
tibilem. 2. Dauid, Petrus, Paulus de Christi
morte, sanguine, corpore condito in sepul-
chro, profitentur Deum nō dedisse Sancto suo
videre corruptionē. Ergo Prophetæ & Apo-
stoli docuerunt nihil de Christo corruptum:
sed omnia diuino nutu incorrupta permane-
re. 3. Paulus omnē mortis & corruptionis rati-
onem à corporibus nostris post resurrectionem
propulsat dicens: *Oportet mortale hoc induere
immortalitatē, & corruptibile hoc induere à
corruptiuitate.* Multo igitur magis
oportuit Christum hominem resurrectione
fieri totum incorruptibilem & immortalē. 4.
Psaltes in Christi persona dicit: *Quæ utilitas in
sanguine meo, si descēdero in corruptionem?* Ergo cū
multiplex ac infinita sit utilitas huius sangui-
nis, omnis prorsus corruptionis expers est, &
semper fuit. 5. Paulus disertē pronunciat,
Christum esse semper viuētem ad interpel-
landum pro nobis: Non viuūt autem caro hu-
mana sine suo sanguine, qui dicitur sedes ani-
mæ. Christus ergo & sanguinem suum ad vi-
tam immortalē secum resumpsit. 6. Christi
resurrectio omnibus numeris suis perfecta,
absoluta, & integra fuit. Ergo nec sanguinem
sinit computrescere in terra, sicut nec carnem
in sepulchro, nec animam in inferis diutius

Artic. 32. &

13.

Psal. 15. 1.

1. Cor. 15.

Psal. 29.

Hebr. 7.

oportuit manere. 7. Non fuit imbecillior
Christus ad corpus suū resurrectione sanādū,
& sanguinem è terra legendum, quā miles ad
figendum & effundendū. Totum fudit: ergo
totum resumpsit. 8. Alij vel à prophetis, vel
ab ipsomet antea resuscitati, in vitam hanc
redierunt cum integris corporibus, mem-
bris, & sanguinibus suis. Igitur multo me-
liori ratione & ipse cum suo cruore rediui-
uus apparuit. 9. Resurrectio Domini pignus
ac exemplar fuit nostrum omnium futurae re-
surrectionis. Resurgent autem Apostoli, Mar-
tyres, Virgines cum sanguine quem pro Chri-
sti nomine fuderunt: resurgemus & omnes cū
iisdem numero capillis, ossibus, pellibus, ner-
uis, carnib⁹, sanguinibus. Igitur & Christus sic
resurrexit. 10. Si totū sanguinem non resum-
psit in vitā immortalē: ergo vel ideo quōd
non potuit, vel quōd noluit, vel non deuit.
Nullū eorū poterit vnquā ex apertis Scriptur-
is euincere tota Calvinianorū schola. Igitur
impietatis rea permanebit. 11. Si sanguis ille
in putredinē, & terrā rediit: Christus cōtraxit
peccatū originis, in cui⁹ pœnam dictū est pri-
mo patētī ac liberis eius: *Paulus es, & in puluere
reuerteris.* 12. Deniq; si putredine consūpt⁹ beat⁹
ille sanguis Agni immaculati, nulli nobis am-
plius esset vsui, profectò inanis esset tota fides
Christiana, adhuc effemus sub peccatis, falsa
esset prædicatio Apostolorū, inuenirētur falsi
testes, oēs qui iam dormierūt in christo periif-
ent: quoniā vnuiuersi crediderūt Christū per-
fectè & integrè resurgentem ex mortuis iam Rom. 9.

Genes. 3.

1. Cor. 15.

Rom. 9.

non moriturum, mortem ei non dominaturam, sanguine illius peccata remitti, Patrem placari, cælosque referari, &c.

Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.

Agnus immaculatus & incontaminatus appellatur Christum, primò propter summam innocentiam, qua omninò & semper purus fuit ab omni peccato tam originali, quàm mortali, & veniali. *Peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quæcunque igitur passus est, pro peccatis nostris sustinuit, nõ suis ac propriis. Immo, nec peccare potuit, tum propter summam gratiam, qua ipso statim primo creationis animæ suæ momento, & clara, beatificaque Dei visione & fruitione donatus est: tum propterea quòd omnium maxima & perfectissima cum Verbo vnitione, in eandem cum illo personam assumpta est. Secundò dicitur Agnus propter incredibilem mansuetudinem animi, mirabilèmq; patientiam in cunctis persecutionibus, potissimum in acerbissima passione & morte. De hac scripserat Isaia: *Sicut agnus coram tondente se obmutescit, & non aperiet os suum.* Tertiò comparatur cum agno immaculato, vt seruetur allusio ad agnũ Paschatis, cuius immolatione & sanguine populus Hebræorũ liberatus est de domo Ægypticæ seruitutis. Item ad agnos, qui pro emundandis leprosis, & purificandis puerperis offerebantur in templo. Hunc enim tanquam

Isa. 53.

Exod. 12.

Leuit. 12.

¶ 14.

verum Agnum adumbrabant: quod & Ba-
ptista significauit, dicens: *Ecce agnus Dei.* Et dilectus discipulus: *Os non comminuetis ex eo:* quod prius de agno Iudaico scriptum fuerat.

Et quoniam hic locus sanctissimus sanè ac vtilissimus frequenter à Patribus citatur: quæ ex his obseruantur, consignemus. In primis autem S. Effrem Syrus tanti beneficij altitudinem perpendens, in has ad eundem Christum preces erumpit: *Ostende in membris meis ingentem sapientiam tuam, & ea immaculata conferua. Sana animæ meæ vulnera, eisque impone virtutum decorem. Prædicetur in me gratia tua, quoniam ipsa eripuit me, ô Agne immaculate, qui pro salute orbis occisus es, & per tuum sanguinem pacificasti cælum & terram. Noli me obsecro, ad te impotunè accedentem abiicere, &c.* Idèmq; alibi inuitans vnumquémque ad eiusdem beneficij meditationem, ait: *Huc omnes filij Ecclesiæ accedite, qui sancto & pretioso sanguine immaculati Agni redempti estis. Venite, meditemur passiones Christi cum gemitu & lacrymis dicentes ad inuicem. Christus saluator noster pro nobis peccatoribus morti traditurus est, &c.*

BEATVS autem CYRILLVS ex eodem loco sic colligit: *Dedit Christus pro nobis proprium sanguinem, itaque neque sumus iuris nostri, sed eius qui emit & serua-uit. Hinc & quidem iure optimo, qui rectæ fidei directũ canonem prætergrediuntur, voce Sanctorum accusantur, vt Dominum qui*

*Ser. de Assumptio-
ma.*

*Serm. de pas-
sione Domini.*

*L. 4. in Isa.
cap. 45.*

Iud. 5. 4.

illos redemit, negantes.

Ambrosius inde sic aduersus eos, qui de nobilitate sua superbiunt, ratiocinatur. Nescis quod redemerit te Christus, non emerit: Non auro, nō argento, sed pretioso sanguine Agni. Ergo redemptus à Domino es, seruus es qui creatus es: seruus es, qui redemptus es: & quasi domino seruitutem debes, & quasi redemptori. Idem alibi colligit ex eodem loco, Fugiendam omnino esse seruitutem peccati, serpentis, aduersarij, quòd tam pretioso sanguine Christus nos sibi redemerit. Item, hunc sanguinem bene pretiosum dici, quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est Filij Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis, morte perpetua nos redemit. Rursum idem, gratos nos omnes esse Deo pro tanto beneficio decere, his scribit: Sapientia mea, crux Domini est: redemptio mea mors Domini est. Sanguine enim pretioso redēpti sum⁹, vt Apost. Petrus dixit. Sanguine suo quasi homo, Dominus nos redemit: idēmq; quasi Deus peccata donauit, & c.

Fulgentius, hinc probat aduersus Arianos, filium Dei non solum carnem, sed & animam, & sanguinem, & cuncta quę perfecti hominis sunt, vt totum hominem saluaret, assumpsisse, vt & pastorem, & ouem se comprobaret: vt adimpleretur quod scriptum est: *Sicut ovis ad occisionem adductus est, & sicut agnus coram tondente sine voce, sic nō aperuit os suum.* Et per Ieremiā. *Ego sicut agnus innocens adductus sum, vt immolarer.* De quo etiam, *Baptista proclamat, Ecce agnus Dei, & c.*

L. de Isaac. cap. 3.

In Psal. 43.

In cap. 11. Luc.

Lib. 3. de fide cap. 3.

Lib. 1. ad Trasimundum.

Isa. 53.

Ierem. 11.

Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos.

Hæc sententia pertinet ad amplificationem & expositionem superioris quarti argumenti. Docet enim consilium Dei de redimendis hominibus per passiones & meritā Christi, non esse recens aut subitaneum inuentum, quod Deus post quatuor millia annorum de nouo cogitauerit: sed omnino æternum, ac ante omnia sæcula & tempora arcano Dei consilio decretum atque constitutum. Decentissimo autem ordine, temporēque adimpletum, & toti mundo declaratum atque manifestatum, cum incredibilem priorum omnium vtilitate, consolatione, & salute, tam per ipsius Christi incarnationem, vitam, conciones & miracula, quàm per Apostolorum eius prædicationes, quatum sonus exiuit in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum. Hoc tempus Isaias & Paulus appellant, *Tempus acceptabile & dies salutis: itēmq; plenitudinem temporis.* De consilij verò æternitate Paulus quoque tradit, *Deum nos elegisse in Christo, ante mundi constitutionē* Et Ioannes docet, hunc esse *Agnum occisum ab origine mundi*, id est, præcognitum & prædestinatum à Patre cælesti antequam iaceret fundamēta huius vniuersi, vt esset victima & hostia pro peccatis, Itēmq; præsignatum per omnes veterum patrum hostias & oblationes. Quinimò Christus ipse promittēs se tandem aliquando electis suis dicturum, *Possidete regnū paratum vobis ante constitutionem mundi, ostendit*

Psal. 118. Rom 10. De Isa. 49.

2. Cor. 6. Galat. 4. Ephes. 1. Apocal. 7.

Matth. 25.

& Sanctorum electionem æternam esse, & negotium salutis humanæ vniuersis cælis, elementis, Angelis, & Archangelis longè prius & antiquius.

Quæret forsitan aliquis. Cum nec ante mundi constitutionem vllum esset peccatum, sed neque pater Adam ipso statim suæ creationis initio peccauerit, verùm per aliquot saltem horas in paradiso & innocentia steterit: quomodo iam antea Christ^o destinatus erat mundi redemptor & seruator? Respondeo, Christus homo & ab omni æternitate prædestinatus, electus, & destinatus erat totius Ecclesiæ seu militantis seu triumphantis, caput & rector, ideòque etiam Adamo non peccante, verus homo, & Filius hominis futurus erat electorum omniù glorificator. Scribit namque Rupertus, Cùm de sanctis, & electis omnibus non sit, quòd nascituri forent omnes secundum propositum Dei, quo ante peccatū dixerat, *Crescite & multiplicamini*, etiam si primi parentes non peccassent: multo magis id sentiendum esse de isto capite, & Rege omnium electorum Angelorum & hominum. Addit verò Augustinus, multa alia esse cogitanda in Christi incarnatione, præter absolutionem à peccato. Item. Mysterium incarnationis reuelatum fuisse Adamo etiam ante peccatum eius, cū propheticè dixit, de Ecclesiâ ex latere Christi formanda & glorificanda: *Hoc nunc os de osibus meis, & caro de carne mea.* Bernardus quoque scribit, Dæmonem etiam antequam peccaret, ac laberetur, præuidisse hominem

Lib. 13. in
Math.

Genes. 2.

Lib. 13. de
Trinit. c. 17.

Genes. 2.
Ephes. 5.
Sermo. 1. de
Aduen.

hominem assumendum à Filio Dei in vnitatem L. 3. c. 33. suppositi, & eius gloriæ inuidisse, ad lapsumque L. 5. c. 14. illum induxisse, vt sacrum illud mysterium irritum faceret. Præterea, vir Apostolicorum temporum, & martyr D. Irenæus, non semel adfirmat, ac ex Paulo colligit Adamum à Deo conditum ad imaginem Christi futuri: ergo destinatus erat aduentus eius ante omnem lapsum. Denique non est verisimile tantum & maximum summæ Dei gratiæ beneficium fuisse occasionatum: quasi sola ratione peccati humani Deus excogitasset Filium suum hominem fieri: Christi que prædestinationem ab vnus homuncionis & mulierculæ sceleribus dependere, &c.

Ex his autem apparet incomparabilis bonitas Dei, qua prius Christum liberatorem statuerit, quàm homo lapsus esset. Prius de remedio cogitauerit, quàm morbus inualuisset, &c.

Insuper, quàm immensa sit Dei nostri clementia, cùm homo putredo & vermis, ab æterno fuerit in intellectu, in scientia, in mente, imò in ipso corde Diuino, antequam natus esset, aut quid boni egisset. Tum enim de singulo electorum congruo tempore creando, vocando, redimendo, sanctificando, & saluando cogitabat, secumque decernebat sicut de sancto Iacob scriptum est: *Iacob dilexi.* Et de beato Moïse: *Noui te ex nomine.* Quid est homo, Domine, quia sic magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum? Aut quid est homo, quòd sic memor es eius, aut filius hominis quia reputas eum? Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ tribuit mihi? &c.

Eximia quoque hinc capienda est fidei ac reli-

Rom. 9.
Exod. 33.
Iob. 7.

gionis nostrę confirmatio, quandoquidem quęcunque de Christo Iesu docemus, tractamus, & credimus ex Euangelio, ab æterno Dei consilio decreta & statuta sunt. Non est igitur Christiana religio noua, non hominum inuentum: sed veritas sempiterna infinitis retrò sæculis latens in Deo, tempore suo reuelata, declarata, & ad credendum hominibus proposita. Sic Paulus Euangelium quod prædicabat, vocat reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, quod patefaciebat secundum præceptum æterni Dei. Et alibi. Dispensationem sacramenti absconditi à sæculis in Deo, vt per Ecclesiam innotesceret potestatis in cęlestibus multiformis gratia Dei, nimirum, de gratuita hominum electione, & redemptione per Christum perficienda.

Diligenter etiam notandum, omne tempus quod à Christi aduentu ad postremum vsque iudicium decurrit, passim à Prophetis & Apostolis vocari nouissimum, atque omnium temporum vltimum. Siquidem non est expectandum post hoc, aliud Dei testamentum cum hominibus, alia lex, alij prophete, alius Messias, aliud Euangelium, alij Apostoli, alia Ecclesia, alia sacramenta, alia redemptio, alia fides, alia religio, &c. Quod enim sequetur spatium sempiternum erit. Ac reprobis quidem sempiterna nox, in qua nemo poterit operari: quippe qui ligati pedibus & manibus coniecti in tenebras exteriores, & igne æternum, ibi cruciabuntur in æternum. Electis verò erit perpetua dies, perpetua quies, sabbathum ex sabbatho, in quo requiescent à laboribus suis. Nam in Apocalypsi visus est Angelus extendens

Rom. 16.

Eph. 3.

Io. 9.

Matth. 22.

Apor. 14.

manus in cælum, & iurans per Viuentem in sæcula sæculorum, quod post hoc tempus, non erit amplius tempus. Hęc præuidens Isaias scripsit: *Erit in nouissimis temporibus preparatus mons domus Domini*, i. Ecclesia Catholica, in vertice montium, &c. Et Ieremias: *In nouissimis diebus intelligetis consilium Domini*. Micheas similiter: *Erit in nouissimis diebus, mons domus Domini in vertice montium, & sublimis super colles*. Apostoli denique de his postremis temporibus nos frequenter admonent. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide*. *In nouissimis diebus erunt illustres Filioli, nouissima hora est*, &c.

Isa. 2.

Ierem. 23.

Mich. 4.

1. Tim. 4.

2. Petr.

1. Ioan. 4.

Epist. 80.

Ex quibus sapienter ita colligit Augustinus. Si Apostolorum dies erant nouissimi, quantum magis nostri? Et si nostri, multò magis qui erunt post nos, donec ad illos veniatur, qui erunt nouissimorum nouissimi, atque ad ipsum omnino nouissimum, de quo Dominus ait. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Vigilemus ergo & oremus, quia & breuis, & incerta est hęc vita, & nescimus tempus, quando venturus est Dominus. Euangelium dicit: *Fidete, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit*, &c.

Ioan. 11.

Marc. 13.

L. 11. in Io.

c. 28.

B. Cyrillus Alex. ex eo quod Christi aduentus dicitur præcognitus ante mundi constitutionem, & supercilium Iudæorum, legi semper inhærentium, & Christo per hanc designato aduersantium, deprimi docet: & eos euerri qui virtutem huius mysterij nostri, recenti Patris consilio excogitatam arbitrantur.

21. Propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo,

qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra & spes esset in Deo.

Ista etiam pertinent ad maiorem explanationem & amplificationem quartæ confirmationis, quæ desumpta est à beneficio Redemptionis humanæ per sanguinem Agni immaculati Iesu Christi. Singulæ autem propositiones Apostolicæ magnam emphasim habent. Prima quidem qua dicit, Christum manifestatū esse, nimirum, incarnatione, vita, sermonibus, miraculis, morte, resurrectione, &c. *propter vos*, homines videlicet: & non propter Angelos peccatores redimendos. Nusquam enim assumpsit in vnitatem suppositi, Michaëlem, Gabriëlem, Cherubim, Seraphim, aut alios Angelos; *sed semen Abrahæ apprehendit. Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos tradidit in tartarum perpetuò cruciandos.* Igitur hominem animal terrenum, mortale, corruptibile, pluris fecit, quàm Angelos cælestes, incorporeos, & immortales spiritus. Quocirca Tertullianus scripsit. Nullum mandatum de salute angelorū (malorum) suscepit Christus à Patre. Quod autem Pater neq; repromisit, neque mandauit, Christus administrare non potuit, &c. Quanta igitur nos clementissimo Patri, ac benignissimo Redemptori decet morū sanctitate defectuere omnibus diebus nostris: Quantaq; gratitudine, tantum beneficiū agnoscere ac celebrare: Væ focioriæ filiorum hominum, qui hæc vel rarò, vel perfunctoriè tantum recogitant!

Rursum manifestatus est Christus, inquit, *propter vos*, scilicet, indignos, immeritos, & omnisceleribus contaminatos: ne bonorum operum

vestrorū meritis hoc beneficium acceptum ferretis: sed soli duntaxat gratiæ atque misericordiæ Diuinæ. Hanc ob rem ait alius Apostolus: *Cum adhuc inimici essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est, ut in nobis commendaret caritatem suam.* Et Petrus. *Christus mortuus est, iustus pro iniustis.* Nihil enim tum merebatur genus humanum, quam iram Dei, exilium sempiternum, inferos, & gehennas perpetuas, quādo Filius Dei factus homo, mortēque affectus, *secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Quid non vel solius huius beneficij gratia, ei debemus?

Et iterū. Manifestatus est *propter vos*: id est, ramentū pro vniuerso in generali humano genere, Christus apparuerit, vniuersūq; tamē vestrum, illud beneficiū ad eò sibi in particulari applicare debet, & propriū reputare, quasi solūmodo pro seipso venisset. Decet ergo vnūquemq; vestrum ita secum meditari & colloqui. Christus verè pro me incarnatus est, pro me ieiunauit, pro me orauit, pro me laborauit, sudauit, & asit, pro me captus, ligatus, condemnatus, crucifixus, & mortuus est, quasi solummodo pro me venisset. Hoc autem faciet exemplo B. Pauli dicentis: *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et rursum. *Christus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Non quod extenuet beneficium Christi, toto orbe, omni tempore, cuique ætati ac hominum ordini cōmunissimum: sed insigni fiducia sibimet illud accōmodet, seque Christo obnoxium ita censeat, velut pro seipso tantum homo factus esset. Hinc Augustin⁹ æquè piè ac sapienter ad eum exclamat: O tu bone, omnipotens,

qui sic curas vnumquemque nostrum, tanquam solum cures: sic omnes, tanquam singulos.

qui per ipsum fideles estis in Deo,

Secunda ista propositione, princeps Apostolorum docet, fidem non esse virtutem moralem, quæ viribus humanis acquiratur: sed donum cælestis, & illud quidem effectivè à Deo creatum, meritorie autem per Christum effusum in animas nostras. Nam hic quatenus homo fuit, non solius infidelitatis, & omnium aliorum peccatorum nostrorum meruit remissionem: sed & gratiarum, theologicarumque virtutum infusionem. Nemo igitur hominum de hac virtute, tanquam de propria vel naturali gloriatur: nemo fidelium meritis suis præcedentibus fidem primam tribuat: sed omnes agnoscant & glorificent Christum Deum auctorem & largitorem fidei: eundemque passionis suæ laboribus ut id donum nobis conferretur, meruisse. Hoc ipsum eximius doctor Augustinus confirmat ex eo quod Paulus scribit: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Igitur & initia fidei nostræ. Et rursus. *Vobis donatum est pro Christo,* id est, propter merita Christi, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut pro eo patiamini. Vtrumque est Dei donum, quia vtrumque dixit esse donatum. Idem rursus Apostolus proficitur, *se misericordiam confecturum ut esset fidelis.* Itemque: Si non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est: profectò non sumus idonei credere aliquid tanquam ex nobismetipsis. Et rursus. *Vnicuique Deus partitus est mensuram fidei.* Iugiter ergo totoque pectore rogemus Dominum Deum nostrum: *Domine, adauge nobis fidem.* Da nobis fidei, spei, &

L. de prædest. sanct. c. 2.

Rom. 11.

Philip. 1.

1. Cor. 7.

2. Cor. 3.

Rom. 12.

charitatis augmentum, & cæt.

Nec præterundum, fidem non esse donum Dei, quin ad eam recipiendam, amplexandam, & servandam, cum gratia Dei suo consensu cooperetur hominum libera voluntas. Scribit enim D. Augustinus. Intrare Ecclesiam quisque potest nolens, accedere potest ad altare nolens: accipere potest sacramentum nolens: credere non potest nisi volens. Compertissimam rationem istam fulcit alibi sequentibus scripturis divinis. *Hoc est opus Dei* (ait Christus) *ut credatis in eum, quem misit ille.* Ipsam enim fidem & vocat opus Dei, & hanc ut operemur iuber dicens: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet.* Et Apostolus inquit. *Si credideris saluus eris.* Alio in loco, fidem voluntatis nostræ consensum liberum postulare confirmat ex eo, quod per infidelitatem discedentibus à Christo Capernaïtis, & quibusdam discipulis Petro & coapostolis dixit Dominus: *Nunquid vos vultis abire?* Ierosolymorum quoque civibus exprobrauit: *Volvit vos congregare,* nimirum in unitatem vnius fidei ac Ecclesiæ, *et nolueritis.*

Tract. 26. in 10.

L. de prædest. sanct. c. 7. & 11.

Ioan. 6.

Rom. 3.

Ioan. 6.

Matth. 23.

qui suscitavit eum à mortuis.

Hæc tertia propositio docet, quæ sit causa efficiens resurrectionis Christi, nimirum, Deus ipse, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui omnipotenti virtute sua animam eius humanam eduxit ab inferis, & corpori rursus vitam, totum hominem de morte & sepulchro vitæ gloriose ac immortalis restituit. Ergo & Pater eum suscitavit, & Spiritus sanctus eum suscitavit & Filius assumptum à se hominem suscitavit; quoniam trium horum unica est voluntas, una

virtus, vnica circa res exteras operatio. Quod obseruatione dignum aduersus Calvinianorum errorem, dicentium, *solum Patrem Christu suscitasse, quonia Christus seipsum suscitare non potuerit.* Contra vero idem Christus constanter loquitur: *Soluite templu hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autē dicebat de templo corporis sui.* Horum, authorem sese declarans resurrectionis nostræ, dicit. *Ego resuscitabo in nouissimo die. Sicut Pater suscitauit mortuos & uiuificat, sic filius quos uult uiuificat: Sicuti Pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio uitam habere in semetipso.* Et omnium apertissime hac se præditum uirtute manifestans dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem iterum sumendi eam. Ego sum resurrectio & uita, &c.* Denique, non habuit Christus minorem potestatem in corpus proprium, quam super aliena: at uero vnus adolefcentis, vnus puellæ & Lazari corpora de mortuis suscitauit, Quis ergo nisi furens ac demens negabit cum seipsum à mortuis excitasse?

Obseruandum autem Christum non eodē fine suscitatum atque alij suscitati fuerant. Nam Elias filium uiduæ, Eliseus hospitis suæ, & Christus alios suscitauerat, iterum mortuos, & in cineres reuersuros: ipse autem rediit ex mortuis, ut super omnes cælos, super omnes Angelorum choros exaltaretur, in dextera Patris sederet, & cum omni honore & regnaret, donec Pater ponat inimicos eius scabellum pedum suorum. In hac autē resurrectione non tantum habemus omnipotentie diuinæ, qua omnes tandem à mortuis resurgere faciet argumentum:

Ioan. 2.
Ioan. II.
Ioan. IO.
Ioan. II.

sed & artham pignusque certum resurrectionis nostræ, uelut si iam resurrexissemus. Vnde Paulus ait. *Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur.*

Et dedit ei gloriam.

Hæc quarta propositio tertiam amplificauit Nam Deus homini Christo dedit à resurrectione tantam gloriam, ut secundum corpus esset omnino immortalis, agilis, subtilis, clarus, lucidus, impatibilis. Insuper, huic homini dedit, ut reuera esset, agnoscereturque ab omnibus caput Ecclesiæ militantis ac triumphantis, tandemque iudex uiuorum & mortuorum. Quæ autem huius sæculi Regum aut imperatorum gloria: imò & beatorum Angelorum claritatis, huic posset comparari? Pro eadem recipienda patrem rogauerat: *Pater clarifica filium tuum.* Etque responsum est à patre, *Ego te clarificauit,* concionibus & miraculis: *& iterum clarificabo,* nimirum, resurrectione, ascensione, & aduentu ad iudicium. Et de eadem recepta uerè gloriatur, & Patrem laudat dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Hincque Paulus scribit: *Videmus Iesum propter ignominiam mortis, gloria & honore coronatum.*

Ut fides uestra & spes esset in Domino.

Quintæ huius propositionis sensum hunc esse docet D. Cyrillus Alex. Idcirco Deus Pater ostendit toti mundo Christum esse uerum ac æternum Deum ac Dominum, ut dum credimus & speramus in eum, non in aliquo homine, aut sanctissimo Propheta, sed in Deo uerò consistat,

I. Cor. 15.
Ioan. 17.
Matth. 28.
Heb. 2.
L. de reſta ſi-
de ad Regi-
nas.

firmâque hæreat fides & spes nostra. Inde etiam comprobatur eundem Christum vnâ cum Patre & Spiritu sancto esse verum obiectum fidei atque spei nostræ ex eo quod scriptum est: *Qui credit in me, habet vitam æternam. Creditis in Deum, & in me credite.* Itemque. *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Nisi enim Christus verus Deus esset, in eum credentes maledicti essemus quotquot in eum credimus & speramus. Ait enim per Prophetam Deus. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Item. *Nolite considerare in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus.*

22. *Animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite attentius.*

Hic videtur Epilogus omnium superiorum argumentorum, quo D. Petrus optima consequutione subinfert. cunctis religionis Christianæ professoribus necessariò studendum ac seriò incumbendum esse animorum puritati, & bonorù operum exercitio, siquidem velint suæ vocationi respondere ac facere satis. Tria portò vitæ verè Christianæ præcepta officiaque seruanda iubet. Primum est de puritate animorù, quam Christus in Euangelio vocat munditiam cordis, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Interrogatus etiã Dauid, quis requiesceret in monte sancto? respondet: *Innocens manibus, & mundo corde, &c.* Eandem cordis puritatem & animi castitatem, velut celeste beneficium, ac Dei donum, idem

Rex & propheta è cælis pustular, dicens: *Cor Psal. 50. mundum crea in me, Deus: & spiritum rectum inuoca in visceribus meis.* Itaque castificare animas, hic non est aliud, quàm ipsum animum, cor ipsum, intellectum & voluntatem, quæ sedes sunt & fontes omnium affectuum atque desideriorum, quantum possumus, pura mundâque seruire ab illicitis vitiorum cogitationibus atque cupiditatibus. Nã sicut is qui viret in foliis, venit à radicibus humor, sic omnis decor, omniisque sanctitas operum externorum, ab interna conscientiarum & cordium puritate dependet. De corde etenim exeunt ea, quæ vel coinquinant, vel purum efficiunt hominem. Vt ergo pura limpidâque hauriatur aqua, fontem purum esse oportet: sic mundus sit animus necesse est, vt cogitata, verba, opera sint munda.

Studebant quondam Pharisei mundare calices, paropsides, candelabra, mensas, manus, & omne quod de foris erat: intus autem pleni erant rapina, avaritia, dolo, & omni immunditia. Hac de re damnantur à Christo velut hypocritæ, & cõparantur cù sepulcris dealbatis: quæ foras quidè dealbata & operosa, intus plena erant ossibus mortuorù & omni spurcicia. Splendori quoque vestimentorum, linteaminum, facierù, oculorù, dentiù, labiorù, manuù nimio plus sunt addicti: sed deº qui spiritº est, spiritù & animorù ornamentis solù capitur & delectatur. Qui scrutatur renes & corda filiorù hominù, cordiù munditiã & animarù castitatem formamque diligit. *Fili (inquit) præbe mihi cor tuum.* Hic animarum spòsus omnino cælestis, omnino castus, omnino

Ioan. 6.

Ioan. 14.

1. Ioan. 5.

Jerem. 17.

Psal. 145.

Matth. 5.

Psal. 14.

Matth. 23.
Mar.

Prov. 23.

172 COMMENTARIA IN CAP. I.
purus & sanctus est : oportet igitur omnino cæ-
lestes, castas & puras esse sponſas eius, aliàs nec
eius complexibus dignæ, nec donis capaces
erunt, sed velut diaboli adulteræ, & fornicantes
cum Satana reprobabuntur. Non admittentur
cum sponſo ad nuptias : sed clauſa ianua, dicit
illis, *Nescio vos.*

Matth. 25.

Animaduertendum quoque diligenter, Apo-
ſtolum quandam virtutem ac efficacitatem quæ
cum gratia cooperetur, libero hominis arbitrio
apertè tribuere, quando præcipit *animas castifi-
care*, purgare & purificare. Excitatum igitur &
præuentum à gratia Spiritus, eodem comitante,
& peccata præterita persequitur odio, eadè post-
modum fugit, ad fidem, spem, caritatem, aliaſ-
que virtutes aspirat, eas amplectimur: harumq;
studiis ac officiis animam suam magis ac magis
sanctificat & castificat. Ad hæc, voluntas huma-
na lasciuientem carnem suam ieiuniis, vigiliis,
humicubationibus, durisque laboribus subigit,
impetus retardat, & prauas fœdâsque concupi-
ſcentias vel minuit, vel restinguit. Corpus casti-
gat, & in seruitutem redigit, ne totus homo re-
probus efficiatur : sed animus purus & castus
hinc discedens in cælos potius commigret. Et in
his arbitrium hominis planè actiuum & liberum
est, non tantum passiuum aut seruum vt post Si-
monem magum, Marcionem, & Manichæos,
impiè comminiscuntur Lutherani & Caluini-
ni.

*Tract. 4. in
1. ep. Io.
1. Ioan. 3.*

De his differentem, & manifestis scripturis
sententiam catholicam comprobantem D. Au-
gustinum exaudiant. Ioannes scribit. *Omnis qui*

habet hanc spem, castificat semetipsum. Videte, quo-
modo non abstulit liberum arbitrium, dicendo,
castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus?
Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo cum
adiungis voluntatem tuam deo, castificas temet-
ipsum. Quia ibi agis aliquid voluntate, ideo tibi
aliquid tribuitur, vt dicas sicut in Psalmo : *Ad-
iuutor meus esto, ne derelinquas me.* Si verè dicis, *Ad-
iuutor meus esto*, aliquid agis. Nam si nihil agis,
quomodo ille adiuuat? Idem rursus alibi. Ne
putetur nihil facere homines per liberum arbi-
trium, in Psalmo dicitur : *Nolite obdurare corda
vestra.* Et per Ezechielem. *Proiicite à vobis cor nouum,
& spiritum nouum, & facite omnia mandata mea. Vt
quid moriemini domus Israel, quia nolo mortem morien-
tium.* Dat autem Dominus id quod iubet: & ad-
iuuat vt faciat homo, cui iubet, &c.

Psal. 26.

*L. de grat. &
lib. arb. c. 15.
Psal. 94.
Ezech. c. 18.*

In obedientia caritatis.

Secundum est præceptum ac officium vitæ
Christianæ, nimirum, vt ex caritatis veræque
dilectionis affectu Deo morem geramus, eius-
demque præceptis ac legibus cum omni submis-
sione, & propriarum voluntatum abnegatione
obtemperemus. Tradunt namque Theologi,
nullum opus humanum quantuncunque coram
mundo splendeat, esse gratum aut meritorium
coram Deo, nisi ex caritate seu eliciente, seu im-
perante processerit: quoniam omnium aliarum
virtutum & forma & vita sit.

1. Cor. 13.

Non est itaque parendum Deo ac legibus eius
solo timore ne irascatur, ne reprobet, aut dam-
net: *hic enim timor non est in caritate, & pœnam ha-
bet: seruilis est, & in cordibus reproborum lo-*

1. Ioan.

174 COMMENTARIA IN CAP. I.
cum inuenit, sed omnium maximè propter infi-
nitam eius bonitatem, clementiam, sanctitatem,
alacriter illi est obediendum. Sola est caritas, in-
quit Bernardus, quæ obedientiam gratam facit,
& acceptabilem Deo commendat. Et idem ali-
bi. Bonus quidem obedientiæ gradus est, si pro-
pter metum gehennæ quisquam obedierit: me-
lior tamen est, cum ex Dei timore obeditur. Illa
quippe obedientia necessitatis est, ista caritatis.
Illum autem dixerunt obedientiæ gradum opti-
mum, cum eo animo opus iniunctum recipitur,
quo & præcipitur, &c.

*In fraternitatis amore simplici ex corde inuicem
diligite attentius.*

Tertium est præceptum seu officium vitæ Christi-
anæ, videlicet, dilectio fraterna, eademque ex
simplici corde, non ficta, non simulata, non
hypocritica: denique, non fluxa, sed constans
atque perpetua. Ergo non sufficit amor Dei, ni-
si continuo sequatur amor proximi. Hoc Chri-
stus ipse satis euidenter docuit, quando rogatus,
quod esset primum & maximum mandatum le-
gis? respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, &c. Secundum autem simile est huic:
diliges proximum tuum sicut teipsum.* Eandem car-
itatis virtutem nobis hæredibus testamento le-
gans dicebat: *In hoc cognoscent omnes, quod disci-
puli mei eritis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*
Et Paulus præscribit: *Nihil inuicem debeatis, ni-
si ut inuicem diligatis. Plenitudo legis est dilectio. Qui
diligit, legem impleuit.* B. Ioannes in tribus epi-
stolis totus est in commendatione istius frater-
næ dilectionis, &c.

Scr. 2. de S.
Andrea.
L. de præcepto
& dispens.

Matth. 22.
Luc. 10.
Ioan. 17.
Rom. 13.

Iam verò si ad ista Spiritus sancti per Aposto-
los instituta, nunc mores hominum exigere vo-
lueris, comperies quàm longè lateque à profes-
sionis nostræ integritate ac obseruatione disces-
sum sit. In paucis enim viget floretque animo-
rum & cordium illa castitas, quam habere iube-
mur. Vbi feruens illa dilectio, integra obedi-
entia, humilis abnegatio propriarum volunta-
tum, quæ Deo debetur? Proximorum dilectio
vbi? An non & domus, & fora, & compita, &
templa, litibus & concertationibus hominum
resonant? Deus meliora velit.

23. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorrup-
tibili, per verbum Dei viui, permanentis in
æternum.*

Hoc est quintum & postremum huius primi capi-
tis argumentum, quo D. Petrus confirmat, profes-
sionem religionis Christianæ exornandam esse san-
ctimonia vitæ, bonisque operibus. Raciocinatur
autem à spiritali regeneratione nostrarum ani-
marum, quæ fit in Baptismo, per aquæ sanctifi-
catae ablutionem & immersionem, simulque sanctif-
simæ Trinitatis inuocationem, secundum istud
Dei æterni ac viuētis decretum ac institutum, *Do-*
cete omnes gentes, Baptizantes in nomine Patris, &
Filii, & Spiritus sancti. Nullam etenim (D. Au-
gustino interprete) virtutem haberet aqua, ut
corpus abluendo, cor mundaret, imò nul-
lum prorsus sacramentum esset, nisi verbum
Dei accederet ad elementum. Idem rursus
beatus Pater & pastor ait. *Baptisma vnum est,*

Matth. 28.
Mar. 28.
Tractatus
80. in Ioan.
L. de cul.
dogmat. c. 52.

fed in Ecclesia, vbi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti datur. Illos autem qui non sanctæ Trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & veniunt ad nos, baptizari debere pronunciamus, non rebaptizari. Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, iuxta regulam à Domino positam tincti sunt, vt sunt Pauliani, Procliani, Borboritæ, Photiniani, Montani, Manichæi, variaque impietatis germina, &c. Ex hac igitur prima regenerationis specie, quæ fit per Baptismum, disputat Apostolus. Oportet homines spiritu renatos, & in vitam nouam appellatos & adoptatos, sanctis operibus ac virtutibus professioni suæ respondere. Sed per lauacrum Baptismi ex filiis Adæ secundum corpus, facti estis filij Dei viuentis, & fratres cohæredes, veraque membra Christi. Igitur decentissimum est, vos præclaris virtutibus & sanctis operibus abundare.

Est & secunda regenerationis animarum nostrarum species, quæ fit diuini verbi prædicatione & auditione. Nimirum, quando cum magna cordis & animi auditur attentione, diligenter excipitur, ingenti amore seruatur, magnaque fide creditur atque seruatur. Tunc namque ex homine veteri, fit nonus: ex infideli, fidelis: ex peccatore, iustus: ex filio mortis & gehennæ, filius Dei, & cohæres Iesu Christi. Huiusmodi autem mutationem, siue renascentiam Paulus explicat, dicens: *Fides est ex auditu, auditus autè per verbū Dei.* Et Christus ideo dicit, *Beatos esse eos qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Iuuabit

Iuuabit quædam illius exempla ex diuinis historiis petere. Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus, piscatores nati, actūque piscantes in mari Galileæ, auribus percipiunt semen verbi Dei viui, per Christum eos vocantis, credunt & obaudiunt; indèque Apostoli, id est, legati summi Dei, lumen mundi, sal terræ, pastores Ecclesiarum, doctores orbis, & piscatores hominum euaserunt. An non mirabilis & stupenda hæc commutatio? Matthæus & Zachæus publicani, terrenis tantum lucris inhiantes, hoc spirituali semine suscepto, in nouos prorsus homines sunt permutati. Paulus & Thomas, Samaritana & Magdalena, eadè spiritali renascentia ex summis peccatoribus, filiis iræ, & vasis paratis ad interitum, vasa facta sunt ad honorem & gloriam. Hæc planè mutatio dexteræ excelsi. Innumerabiles per totum orbem viri ac mulieres Petri, Pauli, Discipulorū, aliorūque sancti Euangelij prædicatorum concionibus credendo, & obtemperando, simili regeneratione spiritali renati, ex faucibus diaboli, adeoque ipsis inferis, ad quos per infidelitatem, aliisque scelera properabant, liberati, in regnū Dei beatorūque consortiū, hoc incorruptibili semine renati peruenerūt. Ex vtraque igitur renascenti forma & specie colligit Apostolus, Christianæ huius doctrinæ ac religionis professores, incorruptis moribus hanc vitam transigere debere, vt vocationi suæ respondeant, & sempiterno æuo cū electis perfruantur.

Est autem in verbis Apostolicis duplex metaphora. Prima in verbo *renascenti*, quò alludit ad hoc Christi institutum, *Nisi quis renatus ex aqua*

M

Ioan. 3.

Et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Enimvero per illud sacramentum in nouos homines renascimur Dei uicentis ac æterni præpotenti uerbo. Secūda, in dictione *seminis*, quo respicit ad istas Christi conciones: *Exiit qui seminant, seminare semen suum. Semen est uerbum Dei, &c.*

Matth. 13.

Luc. 8.

Deinde, uocans uerbum Dei *semen incorruptibile*, distinguit illud ab impurissimo & corruptissimo parentum nostrorum semine, quo secundum corpora nascimur ad huius peregrinationis miserias, pericula, mortem, & corruptionem. Secernit item illud ab aliis frugum, segetum, herbarum, & arborum seminibus, quæ & si ad tempus aliquod permanuros fructus ædant, nunquam tamen sempiternos.

Ex his autem aduersus Bezanos & Caluianos apparet, mirabilem prorsus esse datam à Spiritu sancto uirtutem uerbo Dei, siue externis Sacramentorum elementis adhibeatur, siue ex ore pii pastoris & doctoris sedulo audiatur. Beza namque scribit, *Spiritum sanctum nullam vim conferre uerbo Dei, aut Sacramentis.* Contra uero, euicimus in prioribus Dialogis nostris, illud ipsum uerbum Dei non tantum significatiuum, sed & operatorium esse, idque omnino perficere, quod significat. Patet in Baptismo, quo secundum Christum, reipsa renascimur & innouamur: non per aquam solam, sed per uerbum quod aquæ connectitur. Ideo Paulus affirmat, Christum Ecclesiæ sponsam suam mundare lauacro aquæ in uerbo uite. Dominus quoque Apostolis apertè dixit, *Iam uos mundi estis propter sermonem, quem dixi uobis: quod D. Augustinus frequenter & constanter de*

Confess. sed. puncto. 4.

art. 4. & 31.

Ioan. 3.

Eph. 5.

Ioan. 13.

uerbo Baptismi interpretatur. Nec enim uerè diceretur *uerbum uitæ*, nec homines *mundaret*, si nulla vis ei à Spiritu Dei uiuentis communicaretur.

Quod autem etiam panis & uinum Eucharistiæ iuxta substantiã suam, transeant in uerum corpus & sanguinẽ Christi, horum uerborum, *Hoc est corpus meum, Hic est enim sanguis meus* uirtute ac efficacia, & hoc loco breui confirmo. Hæc in primis est doctrina, fidẽsque totius Ecclesiæ Catholicæ, publicè concinentis: *Uerbum caro panem uerum, uerbo carnem efficit.* Deinde, hanc doctrinam à cunctis ueteribus, adeoque Apostolorum traditione susceptam, factã rectãque in hunc usque diem toto orbe seruauit. Augustinus namque credidit, docuit, scripsit: ante uerba Christi, quod offertur, panis dicitur: ubi deprompta fuerint, corpus appellatur. Ambrosius sic à minori ad maius ducit argumẽta. Si moyses uerbis aquas mutauit in sanguinein, &c. Iosue solem stare: Elias ignem de cælo descendere: Elifeus ferrum natate, fecerunt: quantomagis sermo Christi panem & uinum commutabit? Idemque alibi exemplis creationis mundi, cæli, terræ, & miraculorum, omnino probat, uerbum Dei efficacissimum esse. *Dixit enim, & facta sunt.* Cyprianus martyr idem sentiens docuit. Panis iste non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro. Et qui eum præcessit Tertullianus, inquit, Christus panem corpus suum effecit dicens, *Hoc est corpus meum.*

Nec aliter senserunt aut docuerunt toto oriente patres Græci, ut uel ex istis Gregorij Nysseni uerbis apertum est. Uerbo Dei sanctificatũ

Serm. 28. de uerb. Dom. L. de his, qui myst. insistant. cap. 9.

L. 4. de sacramentis, cap. 4. Ser. de canna.

L. 4. adu. Marc.

Orat. cathed. chet.

panem in Dei Verbi corpus credimus immutari. Et paulò post. Panis statim per verbū in corpus mutatur, vt dictum à Verbo: *Hoc est corpus meum.* Epiphanius. Voluit Christus dicere, Hoc est corpus meum, & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit, excidit à gratia & salute. Athanasius, Orat. de fide. Corpus Christi credimus esse, quod nobis tradit mysteriū, dicēdo, *Hoc est corpus meum.* Vir apostolicorū temporum, & martyr Irenæus: Panis percipiens inuocationē verbi Dei, iam non est communis panis: sed Eucharistia corporis & sanguinis Christi. Eo adhuc antiquior, & ipse Christi martyr Iustinus. Per verbum precationis & gratiarū actionis sacratam alimoniam carnem & sanguinem Christi esse didicimus. Nam Apostoli tradiderunt, Iesum accepto pane dixisse, *Hoc est meum corpus.* Antiquissimæ denique Liturgiæ D. Iacobi, Marci, Matthæi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, prolatis his super panem verbis, *Hoc est meum corpus*, illud ipsum transmutatione præfens suppliciter adorant, & cunctis adorandum proponunt, &c. Atque hæc de virtute verbi diuini in Eucharistiæ sacramento: de eiusdem efficacitate in alijs, alibi diximus.

Maximam quoque dum annunciatur, à Spiritu sancto vim illud ipsum accipere, satis apparet ex conuersione & salute tot gentium & nationum, quæ ex Apostolorum prædicationibus, relictis idolis, Deo vero ac omnipotenti adhæserunt & crediderūt. Et Christus disertè pronunciauit, non in solo pane hominem viuere, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Et rursum: Si

quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit Ican. 8.
in æternum. Qui audit verba mea, & facit ea, simila. Math. 7.
bitur viro edificanti domum suam supra petram, &c.
Et ne in re tam manifesta prolixiores simus, Paulus adfirmat, Verbum Dei esse viuum, efficax, Heb. 4.
& penetrabilius omni gladio ancipiti, &c. Beati ergo Luc. 11.
qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: Psal. 39.
ter verò quaterque miseri, qui Beza attendunt vanitates, & insanas falsas. Et hucusque de verbi Dei virtute aduersus præfatos Hugnostico- rum errores.

Apostolus adiicit omni fide amplexanda & meditanda Dei nostri trini ac vnus duo epitheta, nimirum, quod sit viuens, & permanens in æternum. Viuens est, imò & fons, primariaque causa omnium viuentium. Apud te, ait Dauid, est fons Psal. 35.
vita. Auertente te faciem (omnia quæ spirant) tur- Psal. 103.
babuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerē suum reuertentur. Hinc Augustinus. fecisti Soliloq. c. 11
me de nihilo, si non regis redeo ad nihilum. Dij ethnicorum aut homines mortui, aut muta simulacra, os habent, & non loquentur, neque enim est spiritus in ore ipsorum: at Deus Christianorum viuēs, omnibus dat vitam & inspirationem. Omnis ergo spiritus laudet Dominum.

Dicitur quoque, & re ipsa est, permanens in æternum. Cætera enim omnia voluūt, cōmutātur, corruptione quotidiana pereunt, vel solius Dei beneficio perstāt vt animæ ac Angelū: Deus autē sibi semper æqualis & similis, immotus in se permanens dat cuncta moueri. Tu mutabis ea, & mutantur, inquit Psaltes, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Et in Apocalypsi, Ange- Apoc.

In anchorato.

Apud Theod. in Dialog.

L. 4. cap. 34.

Apolog. 1.

Math. 4.

lus iurat per *Viventem in secula seculorum*. Eius ergo verbis, promissisque tutò innitimur.

Non desunt tamen qui epithera illa tribuant verbo Dei, non ipsi Deo: verùm cum illa Dei vita, æqualitas, & perpetuitas reluceat, in verbo eius, tãquam in tersissimo speculo, vtrique conuenienter adscribuntur, & cum sequentibus mirè congruit.

24. *Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit enim fœnum, & flos eius decidit.*

25. *Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc est autẽ verbum, quod Euangeliatũ est vobis.*

His primùm exponit, quid sit illud semen corruptibile, quod superiori sententia opposuit incorruptibili: illud nimirum de quo Isaias iussus est proclamare: *Omnis caro fœnum, &c.* Omnis caro, quicquid ex carne propagatur, priº de nihilo, postea de limo terre, omniũ rerũ vilissimo, despiciatissimo, & imbecilli, in Adamo patre nostro cõpacta est: postremò autẽ ex parentum nostrorũ semine: id est, impuro, fœtidòque quartẽ digestionis excremento in nobis omnibus cõpingitur atque formatur. Quàm ergo vana & imbecillis! Merito igitur cum fœno seu gramine cõparatur: quinetiã omni fœno, cunctisque floribus longè vilior & contẽptibilior est, quantuncũq; speciosa oculis hominũ videatur ac cõplaceat. Nã morti, cineri, vermibus intollerabili putredini iam dudum addicta fuit: sententiã omnes ita subiacerunt, vt nullus Patrum, Prophetarum, Apostolorum, aut sanctorum virorũ, qui nos ab ini-

Isa. 40.

Gen. 3.

tio mundi præcesserunt, nullus imperatorũ aut Regum huius sæculi, nullus filiorum hominum nunc superstit. Quippe de his quorum alij nongentis, alij octingentis, alij septingentis & sexcẽtis annis hĩc egerũt tandem scriptum sit: *Et mortuus est. Abraham mortuus est, & Propheta mortui sunt, &c.* Ergo caro humana ex prima sui generatione nihil habet ex se, nihil ex propriis viribus obtinet, quo possit ad cœlestem beatamque vitam peruenire: cum etiam omnis viror, virtus, & species, quæ in ea putatur esse, sit instar fœni, quod cito citius cadit, arefcit, corrumpitur. Itaque vt ad cœlestem illam ciuitatem & hæreditatẽ, ad quã facti aspiramus omnes pertingere valeamº, secũda illa generatione spirituali opus est, quæ sit Sacramẽtis & verbis Diuinis.

Nihil hĩc nostro ingenio commẽtabimur, sed sanctissimorum patrum verbis, quæ sunt obseruanda proponemus. D. Hieronymus ait. Reuera si quis fragilitatẽ carnis aspiciat, & quod per horarum momenta crescimus decrefcimus, nec in eodem manemus statu, ipsũque quod loquimur, dictamus, & scribimus, de vitæ nostræ parte præteruolat, non dubitabit *carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni*, siue prata camporum. Qui dudum infans, subitò puer: repente inuenis, & vsque ad senecturem per spatia mutatur incerta; & ante se senem intelligit, quàm iuuenem amplius non esse se miratur. Pulchra milier quæ adolescentum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur: & quæ prius amori, postea fastidio est, &c.

D. Ambrosius. Quæ firmitudo in carne, inquit,

Gen. 5.
Ioan. 8.

Com. in c. 4º
Isaia.

L. 3. *Hexameron. CAP. 7.* quæ salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis viriditate florentem, grata specie, suavi colore; crastina die tibi faciem & ora mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decore formæ visus est gratia, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vicia corrumpunt, aut senectus debilitat, aut euiratos delitiæ reddunt: luxuria decolorat. Alius ab auis, attauisque nobilis, clarus insignibus, amicis abundans, stipatus clientibus, repente alicuius periculi mole turbatus destituitur ab omnibus; à sodalibus derelinquitur, impugnatur à proximis. Ecce quàm verum est, quia *sicut fœnum vita hominis, & omnis gloria eius sicut flos fœni.*

Tract. 7. in 10. D. Augustinus. Lætitia sæculi vanitas est. Cum magna expectatione speratur vt veniat, & non potest teneri cum venerit. Iste dies qui lætus est, cras vtique non erit. Transeunt omnia, euolant omnia, & sicut fumus vaneſcunt. Væ qui amant talia. *Omnis quippe caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos fœni.*

L. 16. *Mor. cap. 5.* D. Gregorius. Iniquorum potentia fœni floribus comparatur, quia carnis gloria dum niter, cadit: dum extollitur, repente terminatur. Sic in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur. Sic nebula ab infimis se erigit, sed ex ortu solis radius hanc abstergit, ac si non fuerit. Sic spumosa aquarum bullæ inchoantut pluuiis incitatae, sed celerius direptæ pereunt, &c. *Sic omnis caro fœnum, &c.*

[25. *Verbum autem Domini, &c.*

Exposito semine corruptibili, nunc declarat illud incorruptibile & immortale, quo pij omnes renascuntur, & in nouos homines reformantur. Et quoniam *Verbum Dei* in sacris homonymum est ad Verbum increatum, quod est æternus Dei Filius; & ad verbum Euangelicæ prædicationis: factum est, vt de vtroque hæc sententia intelligatur. Ac de primo sic. *Vestrae renaſcentiæ spiritualis, fratres mei, præcipuus ac summus author est Verbum illud subsistens, viuens, increatum, æternū, quod in principio erat apud Deum.* *Ioan. 1.* vt sicut per ipsum omnia facta sūt, sic per ipsum omnia reformentur. De hoc Verbo missa eecinerunt & credenda Prophetæ: & nos eiusdem per vniuersum mundum Apostoli & Legati, illius aduentum in carnem, vitam, conciones, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, in cælos ascensum, & reditum ad iudicandum viuos & mortuos, euangelizamus atque prædicamus. Est autem semen incorruptibile, id est, verè à Patre genitus, idque de propria essentia & Deitate, sine diuisione, aut corruptione naturæ: rursumque sine vlla temporum successione aut vicissitudine: proindeque Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, sicque permanens in omnem æternitatem. Nunquam desinet esse, quia nunquam incepit esse. *Filius manet in æternum. Christus manet in æternum. Est sacerdos in æternum. Sempiternum habet sacerdotium. Semper est viuens ad interpellandum pro nobis, &c.* *Ioan. 8. Ioan. 12. P sal. 109. Hebr. 7.*

An non ergo præcellentissimum, totiſque

mundo nobiliorem habemus nostræ regenerationis, nostræ religionis, nostræ fidei, nostræ sanctificationis & salutis authorem? Quanto igitur amore ac studio nos decet operam dare, vt illi per omnia nos gratos & morigeros exhibeamus?

Sin verò de verbo prædicationis Apostolorum & successorum eorundem Apostoli sententia intelligatur, sensus erit. Semen incorruptibile & immortale per quod spiritu nascimur, est doctrina illa euangelica quæ palam omnibus denunciatur de Christo nato mortuo & resuscitato, pro nostra omniumque credentium salute. Hanc doctrinam & religionem quisquis toto animo fuerit amplexatus, hunc Deus adoprabit in filium, à peccatis omnibus iustificabit, & gloria in cælis coronabit æterna. Nec est quod illam doctrinam, seu verbum, vel supra cælos, vel in profundis sub terrâ abyssis quæramus: nam illud ipsum est, quod in synagogis, in templis, in domibus, in plateis, in compitis quotidie prædicamus, vosque à nobis, & coapostolis & discipulis iam vobis annunciatum est, &c.

Ex his primùm comprobatur æterna Domini nostri Iesu Christi diuinitas & omnipotentia, aduersus Iudæos, Turcas, veteresque & nouos Arrianos: quandoquidem æternitas solius sit omnipotentis Dei.

Deinde, confirmatur prædicationis verbi Diuini maiestas atque præstantia, quoniam & Dei verè verbum est, & felicitatem vitamque æternam nobis offert in præmium, ac hæreditatem sempiternam.

Nunquam ergo satis attentè, satis piè, satis diligenter, huius lectioni, meditationi, prædicationi, vel auditioni possemus incûbere. Oues Christi vocem eius audiunt. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Maria sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, &c.

IOAN. 10.

IOAN. 8.

LUC. 10.

IN CAPVT SECVNDVM.

I. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones.*



OSTQVAM primo capite satis copiosè Apostolus instituit eos ad quos scribit, de præcipuis fidei Christianæ capitibus, vt potè, de tribus personis Diuinis, de præscientia, misericordia, gratia Dei: de Christi aduentu, morte, & sanguine: de cælesti hæreditate, probatione fidei, & studio veterum prophetarum: de spe in Deum collocanda, inuocatione, & pretio redemptionis humanæ: denique de regeneratione, & vocatione exornanda puritate conscientiarum, aliisque aliquot pietatis nostræ articulis: hoc secundo capite plurimas easdemque sanctissimas subiungit exhortationes, quibus Christianos à multis vitiis reuocat, & ad virtutes sua professione dignas impellit. Et quia nemo potest seriò bonis operibus incumbere, qui non prius ex animo peccata capitalia radicitus euulserit, ac repulerit, primo statim versu, ad quinque illorum extirpanda & procul releganda eos & nos omnes sollicitat,

sicut nocentissimas vitæ Christianæ pestes & corruptiones, dicens: *Deponentes igitur omnem malitiam, &c.* q.d. Quoniam nuper estis per doctrinam Christianam, & Sacramenta illius cælesti generatione renati, adeoque pueri & infantuli Dei effecti, æquum est vt pueros sanctos imitati, quæuis scelera deponatis, nimirum, malitiam, dolum, simulationes, detractiones. Ab his enim puri sunt infantium affectus.

Priusquam autem hæc sigillatim persequamur, obseruandum est, Christianæ religionis professionem à nobis exigere, vt velut in spiritalem ac cælestem vitam translati omnibus carnis ac mundi vitiis, Satanæque pompis & suasionibus abrenunciemus: & priorum peccatorum sordibus abluti, iisdem rursum non commaculemur: sed vitam quæ Dei filios, Christi autem adoptione fratres & cohæredes deceat à cætero viuamus. Ad id Paulus quoque nos hortatur scribens: *Si spiritu viuimus, spiritum & ambulemus. Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis. Renouamini autem spiritu mentis vestre, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Et iterû. *Deponite omnem iram, indignationem, malitiam, turpem sermonem, &c. Abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iuste, & piè viuamus in hoc sæculo, &c.*

Deinde, vt lux induci non potest, aut sanitas, aut pax, aut quæcunque alia pulchra bonaque videntur, nisi sublatis tenebris, morbis, bellis, & cæteris, quæ illis aduersantur: ita nec virtutes in hominum animis inferi, nisi prius opposita vitia

tollantur. Hanc ob rem non semel Spiritus sanctus ad duas istas veræ iustitiæ partes persequendas & amplexandas hortatur, nempe, vt malis relictis, quæ bona sunt studiosè sectemur. *De Psal. 36. clina à malo, inquit, & fac bonum.* Et per Isaiam. *Quiescite peruersè agere, & discite benefacere.* Et in *Isa. I.* Euangelio Christus palam adfirmat. *Nemo potest Matth. 6. duobus dominis seruire. Non potestis seruire Deo & Mammonæ.* Fallitur ergo magna pars hominum, putantium seruire simul carni & spiritui; obtemperare Deo ad salutem, & huius sæculi tyrannidi gratum obsequium præstare. His peiores aulici, conscientiarum stimulis coacti, apertè iam contempto suppressoque Dei seruitio, bonos se ac fideles seruos Regum huius mundi tantummodo profitentur. Hucusque nunc inualuit, eheu! in aulis Epicureïsmus. Sic in palatiis nouorum Pilatorum ac Herodum, Deus irridetur, flagellatur, abnegatur, &c.

Primum autem vitium deponendum & procul ablegandum à pectore Christiano, est omnis malitia. Potest *κακία* hîc vt genus poni omnium vitiorum, quæ pietatem Christianam deformant, vt sit sensus. Quicquid professionem nostram deformem reddit, hoc omnibus modis est fugiendum. Ideo vniuersalem addidit, *πᾶσιν*. Potest etiam restringi ad omne studium nocendi proximis, siue horum personis, siue coniunctis amore & cognatione, vt sunt vxores, liberi, cognati, amici: siue possessionibus agrorum, frugum, armentorum, &c. Quærit enim D. Augustinus, *Quid est malitia?* Respondet. Nocendi amor. Et paulò post, Malitia malo delectatur

Gal. 5.
Eph. 4.

Coloss. 3.

Tit. 2.

L. I. contra Iul. pelag. c. 3.
L. de Isaac. c. 7.
Dan. 13.
3. Reg. 21.
1. Reg. 20. & 25.
Psal. 35. 49. 51. 93.
Matth. 2.
Psal. 25. & 36.
1. Cor. 14.

alieno. Idem alibi citat, laudatque istam à B. Ambrosio designatâ Malitiæ finitionem: Quid est malitia, nisi boni indigentia? Huius malitiæ coarguuntur duo senes Israëlitarum præfides, qui primùm aduersus Susannæ pudicitiam, deinde famam, postremò & vitam ipsam conspirantes insurrexerunt. Vndè ipsa merito coram Deo & angelis eius conuerterit: *Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil eorum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me.* Non ab simili malitia Iezabel confinxit pium virum Naboth dixisse blasphemias in Deum, & Regem, vt innocens tanquam noxius lapidaretur, & eius vineam hæreditate à patribus acceptam & seruata, pro libidine raperet atque possideret. De malitia Saulis foceris sui, Doëg Idumæi, aulicorum, & Nabalis, aduersus seipsum Dauid & frequenter & grauiter conuerterit: indèque varios psalmos componit. Iudæi toties malitia in Deum peccarunt, quoties studuerunt Christum capere in sermone, aut eius in doctrinam & miracula calumniis suis reddere suspecta. Quis Herodis summam planèque diabolicam aduersus pios Magos, pueros innocètes, & Christum, malitiam non toto pectore damnaret atque deprecaretur? Absit ergo à cunctis religionis tam sanctæ cultoribus, omnis animorum malitia & peruersitas, quæ non solùm ab hoc Apostolorum principe, verùm & à Prophetis & coapostolis non rarò coarguitur.

Potest etiam sub *κακία*, vitium illud comprehendere, quod in omni falso dogmate reperi-

ritur: quandoquidem omnes hæresiarchæ peruersa animorum malignitate à receptis Ecclesiæ dogmatibus recedunt; eadèmq; malitia commentis à se hæresibus, veterem pietatem impugnant atque conuellunt. Haud ab similes sunt magis Pharaonis, qui cognito Dei digito per Mosem operante, nihilominus huic sese opposuerunt & in eandem malitiam Regem Ægypti cum sua nobilitate pertraxerunt. Hoc & Paulus *Exod. 4. 2. Tim. 3.* obseruauit scribens: *Sicut Iannes & Mambres resistērūt Moysi: ita hi resistūt veritati.* Manifesta certè malitia qua & Baalifet, Eliæ, & Sedecias Michæ, & Hananias Jeremiæ, & Simeon Magus diu *3. Reg. 18. 3. Reg. 22. Jerem. 28. Act. 8. &* Petro, & Elimas Paulo, contradicentes seipso *11.* obiecerunt. De cæteris idem iudicium.

Secundum, scelus præcipuè fugiendum Apostolus appellat, *παιντα δόλον, omnem dolum.* Quid est autem dolo, ait Augustinus, nisi aliud agere, & aliud simulare? Scribit autem & Tullius, variis modis malè dolo agi cum proximo, nimirum, cum est aliud simulatum, aliud actum. Item, simulatione & dissimulatione. At, inter bonos benè agier, & cæt. His certissima ex sacris addamus exempla. Cain cum dolo fratri suo Abeli dixit, *egrediamur foras in agrum*, veluti animi recreandi vel colligendi gratia: reipsa tamen cogitabat eum neci tradere, quod & fecit. Ioab copiarum Dauidis imperator, colloquium fingens cum Abner, eum percussit gladio. Itidè fecit Amasæ altero Israël *2. Reg. 3. & 20.* duci. Sic fraus sublimi regnat in aula. Et Iudæi aliquando consularūt, vt Iesum dolo tene- *Matth. 26.* rent, & occiderēt. Iudas proditor, osculo summæ

Psal. 5.

Psal. 42.

Psal. 54.

Psal. 34.

Psal. 57.

pacis & obseruantia symbolo, dolosè ipsum eis tradidit. Istiusmodi viros dolosos, atque homicidas, & viros sanguinum abominabitur Dominus. Aduersus eos diuinum auxilium implorat Pfalter: *Ab homine iniquo & doloso erue me: hisq; breuem in terris vitam fore prædicat: Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, &c.* His tamen non obstantibus tanta est hominum nequitia, vt dolis & proditionibus plenæ sint aulae principum, pleni exercitus, plenæ munitiones, plenæ ciuitates, plena fora & opida. Quis ergo cum Dauide non doleret ac vociferaretur: *Dolos tota die meditabantur: Non defecit de plateis vsura & dolus.*

L. 50. Homil.

ho. 20.

In Ps. 63.

Tertium scelus deponendum est *simulatio* seu hypocrisis. Quid est autem simulatio, scribit Augustinus, nisi fallendi laude seductio? Ergo simulator est omnis assentator, fallax, fraudulentus, deceptor, siue id verbis, siue operibus faciat. Simulatores vna manu panem ostentant, altera lapidem occultant. Præmunt in animis acceptam semel iniuriam, iram retinent, spirant cædes ac vltiones: foris autem magnam fingunt beneuolentiam. Augustinus rursus scribit: Iudæos aduersus Christum impiissima vfos esse simulatione, cum intra se cogitauerunt. Non tradatur per nos, sed per Discipulum: non occidatur à nobis, sed à Iudice: totum nos sic faciamus, vt nihil fecisse videamur. At verò, simulata innocentia, non est innocentia: simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Hucusque Augustinus exponens hæc verba: *Narrauerunt vt absconderent laqueos. Dixerunt, quis videbit eos?*

Luc. 20.

In

In Euangelio damnantur Pharisei, quòd miserint insidiatores, qui iustos se simulant, vt caperent Iesum in sermone, dicentes ei: *Magister, scimus quia verax es, & viâ Dei in veritate doces, &c.* Illorum enim simulationem increpauit dicens. *Quid me tentatis hypocrite?* Ibidem rursus coarguuntur, quòd deuorarent domos viduarum, *simulantes longam orationem. Hi accipient* (inquit Luc. 20. Dei Filius) *damnationem maiorem.* Et cum hæc ita Matth. 23. se habeant, aded tamen creuit hominum pueritas, vt nunc omnia simulationibus redundant, omnia perfidia plena sint: isque magis habeatur industrius, qui maiori fraude proximum decipit atque supplantat in emendo, vendendo, litigando, promittendo. In animis hominum tot sunt latebræ, totque recessus, vt fronti nulla fides. Frons, oculi, vultus persæpe mentiantur.

Quartum vitium à quo Christianus abhorre-
re debet, est *omnis inuidia*. De hac Augustinus. L. 50. Hom. Quid est inuidia, nisi odium felicitatis alienæ? ho. 20. Inuidia bono cruciatur alieno. Eandem B. Paulus enumerat inter damnabilia & Spiritui Gal. 5. sancto aduersantia carnis opera: quæ qui egerint, Philip. 2. *regnum Dei non possidebunt.* Hanc iudicat Augustinus, proprium esse peccatum diaboli, quo solo L. de discipl. Christiana. reus est, & inexpugnabiliter reus. Non enim dicitur C. 1. diabolo vt damnetur, adulterium commisisti, furtu fecisti, rapuisti: sed, homini stanti inuidisti. Idem rursus ait. Venenum inuidiæ fugiant homines, ne imitatores diaboli esse videantur, de Ser. 116. de temp. quo scriptum est: *Inuidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Authórque sermonum ad fratres in eremo, apud eundem, huius sceleris exempla,

Sap. 2.

N

Ser. 18.

simulque incommoda recensens scribit. Hæc est quæ angelum de cælo proiecit, hominem de paradiso exulauit, Abelem occidit, contra Ioseph fratres armavit, Danielem in lacum leonum misit, caput nostrum cruci affixit, & Iudam suspensio sustulit. Fratres mei, super tecta prædicate, quod inuidia est illa fera pessima, quæ fidem tollit, concordiam dissipat, iustitiam disperdit, & omnia mala generat. Hæc muros Ierusalém euerit, Romam depopulauit, Carthaginem destruxit, Troiam deuastauit, &c.

Quintò additur, omnes detractiões sollicitè deponendas & fugiendas esse viris in Christo renatis. Ait de illa Augustinus. Quid est detractio, nisi mordacior, quàm veracior reprehensio? Detractio vulnerat famam. Alij aiunt. Obrectare est angi alieno bono, quod ipse non habes: quod vitium propriè est amulantis: obrectantis verò, alieno bono cruciari, quod id etiam alius habet. Obrectator etiam est, qui non semper apud se dolorem alto potest corde premere, sed proximi famam virulenta lingua petit. Quàm verò graue peccatum, ac ideo fugiendum sit, docet apud eundem Augustinum, Author serm. ad fratres in eremo. Salomon scribit. *In manibus lingue mors & vita est.* Detractio est grande vitium. Meipsum occido, si aliis detraho. Detractio diaboli laqueus est. Tanta verò distantia est inter fornicantem & detrahentem, vt ille qui fornicatur seipsum occidat: ille autem qui detrahit, & se, & eum qui audit, perdit. Possidonius refert illum sanctissimum Antistitem contra hanc pestem humanæ con-

L. 50. Hom.
ho. 20.Ser. 45.
Prov. 18.Lib. de vit.
Aug. c. 22.

suetudinis, id est, detractiōem, hoc distichon à se compositum mensuræ suæ adscripsisse, voluisseque vt omnes ad eam accedentes illud prius legerent.

*Quisquis amat distis absentum rodere famam,
Hanc mensuram veritam nouerit esse sibi.*

Nec minus detractoribus infestus fuit D. Hieronymus scribens: *Cauere ne aliis detrahas, aut* Ep. ad Ne-
potian.

alios detrahentes audias: nec minus auribus quàm lingua fugias detractiōem. Nam detractor dum te videt non libenter audire, non facile potest detrahere. Et alio in loco. *Magis vitam tuam ordinare disce, quàm alienam carere.* Ep. ad Ce-
lantiam. Semper scripturæ memor esto dicentis: *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Et David: *Detrahentem proximo suo hunc persequeris,* & cæ. Hyon. 20.
Psal. 109.

Quid autem hoc infelici sæculo? Adeò deprauata est plurimorum hominum natura, vt si virum, aliquot præclaris animi dotibus insignitum nouerint, in eo autem vel minimam deprehenderit maculam, (vt nemo sine crimine uiuit, & nil ex omni parte beatum) hanc solam intuentur, hanc plenis buccis in vicis, in conuiujs concrepent, & cæ. Verùm, inuidia virtute parata, gloria, non inuidia putanda est.

Cæterùm, etsi superius enumerata quinque peccatorum genera, deponenda fugiendaque sint velut pestes generis humani, & innumerabilium aliorum delictorum seminaria: sunt tamen & alia scelera, à quibus non minus sollicitè cauendum est. Illa enim pauca in exemplum proposita sunt, quo discamus etiam à re-

196 COMMENTARIA IN CAP. II.
 liquis abhorrere. Perinde igitur hoc valet quod
 Apostolus hinc dicitur, atque, Depositis delictis-
 que peccatis, quibus ante Baptismum assue-
 ratis, vt malitia, dolo, simulatione, inuidia, de-
 tractione, & reliquis huiusmodi gehennæ fom-
 entis: nunc incumbite contrariis virtutum of-
 ficiis, videlicet, omni simplicitati, bonitati, syn-
 ceritati, caritati, modestiæ, cæterisque piis &
 sanctis operibus. Nouam vitam noui mores ex-
 ornent. Exutis operibus tenebrarum, induite ar-
 ma lucis. Spoliare veterem hominem cum acti-
 bus suis, & induite nouum. Detrahitis veteris Ad-
 fordidis & laceris exuuuis, assumite Christum
 dominum nostrum cum sanctissimæ ac innocen-
 tissimæ conuersationis eius exemplis. Et de pec-
 catorum fuga hæctenus.

2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile, ac sine
 dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis
 in salutem.*

Nunc sumpta metaphora à paruulis recenter
 natis, princeps Apostolorum triplici ordine
 Christianos omnes adhortatur ad tres virtutum
 species. Ac primò quidem ad innocentiam,
 simplicitatem, & sinceritatem in omnibus
 seruandam, illos inducit exemplo sumpto ab
 infantibus, q. d. Quemadmodum, aut qui te-
 neris adhuc annis nutriuntur puelluli, nihil am-
 biunt, nihil nocent, iniuriam faciliè remittunt,
 modico lacte placantur: ita & vos quotquot in
 Christo renati estis hos mores oportet imbuif-
 se, si vestrum parentem & caput Christum ve-

litis referre. In paruulis nil superbum, nil do-
 losum, nil simulatum aut fallax cernitur: sed
 è contrario, omnia candida & simplicia. Sic
 itaque & vos non ita pridem in Christo renati,
 animos, mores, & sermones vestros compo-
 nite, &c.

In primis autem obseruandum, hanc do-
 cendi formam & rationem D. Petrum à Christo
 & prophetis accepisse. Ille siquidem Aposto-
 los suos ambitiosius de primatu quandoque ri-
 xantes, relegauerat ad exemplum simplicitatis
 & modestiæ paruulorum, dicens: *Nisi conuersi* Matth. 18.
 fueritis, & efficiamini velut paruuli, non intrabitis Marc. 9.
 in regnum calorum. Quicumque se humiliauerit velut Luc. 9.
 paruulus, hic maior est in regno calorum. Dauid
 quoque viros humiles, synceros & innoxios,
 paruulos nominat: eosdem Spiritus sancti or-
 namentis & beneficiis adfirmat cumulari, d.
Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Psal. 18.
Intellectum dat paruulis. Custodiens paruulos Domi- Psal. 114.
nus, humiliatus sum, & liberauit me. Sapientiam Psal. 118.
 præstans paruulis. Hos enim Psalmorum locos
 Hieron. & Augustin. de verè humilibus, qui se
 demissa & moderatè gerunt, interpretantur:
 & sententiam suam confirmant ex his Christi
 verbis. *Abcondisti hæc à sapientibus & pruden-* Matth. 11.
tibus, & reuelasti ea paruulis. Ob eam certè cau-
 sam & Petrus & Iacobus tradunt, Deum su-
 perbis resistere, & humilibus dare gra- Iac. 4.
 tiam. 1. Petr. 5.

Sunt porò quædam infantium imbecillita-
 tes & imperfectiones, à quibus longè abscede-
 re, easdemque cauere Scripturæ præceptis iube-

mur, sicut hoc loco illorum præcipimur simplicitatem & candorem imitari. Sunt enim pusiones sine iudicio, discretione, ac prudentia: inconstanter agunt omnia, res nihil pretiosissimis quibuscunque præferunt, parentibus sunt frequenter contumeliosi, & cæt. Huiusmodi imperfectiones Paulus procul à Christianis vult abesse scribens: *Ne simus tanquam paruuli fluctuantes ad omnem ventum doctrinæ. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Isaias quoque personat: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.* Nomine pueri intelligens senem stolidum, inconstantem, Dei rectique ignarum, vt pueri esse solent.

Ex hac autem prima exhortatione D. Petri, apparet, illos omnes Christo parente indignos esse, sed adulterinos potius atque degeneres, qui immanissimorum gigantum superbiam, atque Tyrannorum arrogantiam & feritatem, belluarum denique mores, quàm infantium mititatem, pudorem, & innocentiam imitantur. Huiusmodi sunt homicidæ, sacrilegi, raptores, proditores, incendiarij, prædones, & c.

rationabile, ac sine dolo lac concupiscite.

Sic enim Græci legunt, τὸ λογικόν, ἄδολον γάλα ἐπιποθήσατε, illud rationale, ac sine dolo lac concupiscite ac expetite: & cum Græcis conueniunt Hieronym. Augustin. Beda, & cæteri latini penè omnes. Nomine autem lactis, quod valde candidum, suauè, & nutritiuum est, significat in primis, doctrinæ Christianæ rudimenta, fidèique articulos apertius traditos, & captiui vulgi faciliores, quales sunt in symbolo

Apostolorum, *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cali & terre, & cæt.* quodque is Deus sit vnus, summè bonus, iustus, misericors, & sapiens. Quod suæ voluntatis & legis nuncios ac interpretes miserit ad homines Moïsem & Prophetas. Quod Christus natus sit ex Maria Virgine, mortuus, sepultus, & c. Animæ nostræ immortales sunt; iudicium vniuersale futurum, præmia sunt reposita virtutibus, supplicia peccatis, & c.

Secundò, lactis voce comprehendit potiora præcepta legis ac Euangelij, magis conuenientia cum rationis dictamine atque ratione: qualia sunt, *Dominum Deum tuum adorabis. Non assumes nomen eius in vanum. Honora patrem & matrem. Non occides. Non furtum facies, & c.* Sicut enim paruuli natura duce ad matrum mammas confugiunt, & hinc faciliè sugunt atque hauriunt, quæ ad hanc corpoream vitam pertinent: ita & simplices ac rustici quique superius nominatos Catholicæ fidei articulos, atque hæc morum præcepta, difficilè intelligunt, mandantque memoriæ: ac illorum obseruatione in vitam æternam proficiunt.

Tertiò, doctrinam illam Christianam lac vocat rationale, ad discrimè lactis humani, animalis, & corruptibilis, quod ad fouenda augendæque corruptibilia corpora pertinet: illud autem rationale spirituale sit, & animas ad vitam cælestem & immortalem enutriet: atq; hunc locum ita interpretatur D. Augustinus, Tractatu 3. in Ep. D. Ioannis, Tractatu 98. in eiusdem Euangelium, & in Enchirid. c. 114.

Vocat etiam Apostolus lac istud *ἄδολον*, sine dolo, (ait ven. Beda) vt distinguat sermonem Euangelij, in quo nullus metuendus est dolus, à sermone Philosophorum, Poëtarum, Peccatorum, (adde, & Hæreticorum;) qui multis dolis est refertus, quantumuis dulcis esse videatur. De hoc enim Salomon ait: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Philosophi namque principia & demonstrationes suas, Christianæ fidei summis capitibus opponunt: Poëtæ falsos deos, & impuros modulantur amores: Hæretici deficientes à veritate, ad impias fabulas & blasphemias conuertuntur. Horum enim dolos & fraudes retegens, cauendóque docens B. martyr Irenæus, scribit, Eos iuxta antiquum prouerbum, Lacte gypsum miscere. Gypsum autem præsens venenum habere, author est Plinius. Similia enim loquētes fidelibus, ait sanctissimus pater, non solùm dissimilia sapiunt, sed & contraria, & plena blasphemis, per quæ interficiunt eos, quos ad se attrahunt. Tertullianus comparat eos cum exoletis meretricibus, quæ formam pigmentis mentiuntur. Vincentius Lyrensis tradit, illos similes esse veneficis, qui toxica mortifera, pretiosis dapibus intermiscēt, vel mellis dulcedine, liniunt. Cauendum ergo ab horum lacte, id est, sermone, & scripto dolo: & solius Ecclesiæ sponsæ Christi castissimæ lac rationale atque syncerum concupiscendum & fugendum est.

Clemens Alex. docet lac Patris esse Verbum, qui pro nobis effudit suum sanguinem: & per quem qui in Deum credimus, ad mammillam

PROU. 1.

L. 3. adu.
hæres. c. 19.
L. 36. c. 24.

L. adu. Val.
lentini.

L. adu. pro-
fanus non.

L. X. Pedag.
c. 6.
Ioan. 6.

Patris confugimus. Nam & carnem ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum, & lac dilectionis suppeditat infantibus. Ab his nõ longè recedit Cyrillus Alex. l. 5. in Isaiam, c. 65.

Secundo igitur hoc loco hortatur Apostolus ad sanctum feruensque desiderium discendæ atque seruandæ eius cælestis doctrinæ, quæ tum fidei potiora capita, tum vitæ rectè agendæ præcipua mandata continet & tradit. Idque suadet exemplo paruulorum, qui naturali miróque desiderio ad mammam feruntur matrum & nutricum suarum. Nam hac ratione causaque tam Apostoli, quàm his succedentes Ecclesiæ pastores & doctores comparantur cum nutricibus. Sic enim Paulus loquitur: *Tanquam paruulis in Christo, lac potum dedi vobis, non escam.* Et rursus. *Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo.* Habet ergo religio fidesque Christiana suam infantiam, habet pabulum accommodum imbecillæ ætati, habet & profectus suos, demùm habet ætatem perfectam. Non sunt illa prima rudimenta fastidienter haurienda, sed auidè atque sitienter, Ergo Christianæ infantia titulo digni non sunt, qui curiosa & captum suum longè superantia perquirunt, humilia verò sibi obuia fastidiunt & aspernantur. Multa enim sunt quæ Deus nec passim euulganda, nec omnibus nota esse voluit. Paulus sapientiam loquebatur solùm inter perfectos. *Non alta sapientes, inquit, sed humilibus consentientes. Noli altum sapere, sed time incomprehensibilia sunt quædam iudicia & inuestigabiles viæ eius.* Et Sapiens ait: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Altiora te ne quaesieris, &c.* Christus

1. Cor. 3.
Heb. 5.

1. Cor. 2.
Rom. 12.
Rom. 11.

Prou. 25.
Eccl. 3.

Matth. 17.
v. 26.

non turbas, non omnes Apostolos admittit ad gloriam transfigurationis suæ in monte, nec ad exinanitionis & consternationis suæ in horto demissionem contemplandam. Habuit lex sua sancta sanctorum, habet Euangelium sua sacramenta & mysteria, quæ non est necesse vulgo peruia esse.

Matth. 5.

Nec illi rursus ad Christianæ infantie legitimos filios syncerosque tyrones pertinent, qui ad sacras lectiones & conciones, ad sacramentorû participationem vel rarò, vel sine vlla reuerentia, vel sine pio desiderio, vel nunquam conueniunt. Non esuriunt nec sitiunt iustitiam, idèd nunquam saturabuntur. Panem filiorum fastidiunt, nauseant super manna cæleste: idèdque tantum siliquis porcorum, & peponibus digni sunt Ægyptiorum. Non sic Eunuchus Æthiops, qui etiam curru, etiam iter carpens sacris vacabat lectionibus. Non sic Timotheus, qui etiam ab infantia sacras literas didicerat. Non sic primi Christiani, quotidie perseuerantes in oratione, & fractione panis, &c.

Act. 8.

2. Tim. 3.

Act. 2.

Et in eo crescat in salutem.

Tertiò, hortatur Apostolus vt finis studiorum, scopusque omnium consiliorum nostrorû, cum doctrinâ Christianam audimus & profiteremur sit vt crescamus in fide, pietate, Dei cognitione, timore, amore, obediuntione, & id genus cæteris sanctis operibus, quibus peruenitur ad salutem. Vt enim corporibus crescunt & roborantur pueri, primo quidè lacte, deinde solidioribus cibus adolescunt, & in viros perfectos euadunt: ita nolo vos (ait. B. Petrus,) semper infantes esse, sed pro-

fectibus gradibusque virtutû crescere & grandescere cupio, donec veniatis in mensurâ grætis plenitudinis Christi. Vt enim absurdum est semper infantè esse, & nihil aliud quàm lac expetere: itè ædificatores semper hære in fundamentis: sed decet paulatim assurgere ad perfectam structurâ domus: ita vos decet grandescere, solidiora fidei mysteria penetrare: insuper, ad maiorum virtutû culmina, ipsamque vitam æternam pro viribus cotidie contendere, &c.

Eph. 4.

Ex his autem cum D. Bernardo collige, quòd vera virtus finem nescit, neque tempore clauditur *caritas nunquam est ociosa. Patientia pauperum non perit in finem. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi.* Nūquam iustus arbitratur se comprehendisse: sed semper in vltiora se extendit: semper esurit sititque iustitiam. Si semper viueret, semper iustior esse contèderet. Hoc autem indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionè, perfectio reputatur. Quod si studere profectio est, profectò nolle proficere deficere est. In scala Iacob nullus angelorum resistet, sed vel ascendere, vel descendere videbantur vniuersi: vt palâ daretur intelligi, inter profectum & defectum nihil medium inueniri. Arbor bona bonos semper fructus facit. Fons purus puros iugiter effundit riuos, &c.

Epist. 293.

1. Cor. 13.

Psal. 18.

Philip. 3.

Matth. 5.

Gen. 28.

Matth. 7.

Peccant ergo in hanc principis Apostolorum, adhortationem, illi qui post susceptum Baptismum, vsùmque rationis adeptum, permanent adèd rudes & ignorantes eorum quæ ad fidei articulos, præcepta Decalogi, Ecclesiæ sacramenta, precesque Deo fundendas perti-

nent, vt cum primum fuerunt baptizati: tamen in huius vitæ rebus sint solertissimi. Peccant etiam parentes, qui sibi à Deo donatos & commissos liberos nec erudiunt, nec vt ab aliis erudiantur, sunt solliciti. Peccant rursus omnes illi, qui in dies non pergunt de virtute in virtutem, non thesaurizant sibi thesauros in cælo, non sanctificantur nec iustificantur adhuc, donec videant Deum deorum in Sion. Peccant denique cum Simone mago, qui non crescere querunt in salutem animorum, sed malis artibus thesauros nummorum adire, colligere, seruare, sub sacro Christianorum, monachorum, Abbatum, Episcoporum nomine satagunt.

Animaduerte denique fidem, spem, caritatem quibus salus æterna petitur, suam habere infantiam, adolescentiam, & robur: suppliciter ergo instanterque rogandum est, vt earum virtutum nobis donetur augmentum, & cum Apostolis orandum: *Domine, adauge nobis fidem, &c.*

3. *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.*

Hic versus est velut ratio seu confirmatio superioris exhortationis. Particula vero *si*, potius est affirmantis, quam dubitantis, & rationalem vim habet. Volens igitur D. Petrus sponte currentibus primis illis Christianis addere calcaria, vt ad maiorem Dei cognitionem & amorem illos incitet, superiori adhortationi subiicit. Iam benè cœpistis, iam sentitis in cordibus vestris magnam vtilitatem, copiosumque fructum religionis Christianæ. Iam gustastis quàm facilis,

quàm benignus, quàm clemens & misericors, quàm amator hominum sit Deus & Dominus noster Iesus, qui per doctrinam euangelicam se patefecit, & per Sacramenta seipsum & bona sua communicat hominibus. Quid igitur superest, nisi vt quotidie in hac pietatis schola proficiatis, & maiora fidei, virtutumque incrementa faciatis? Infideles qui nondum crediderunt Euangelio, qui nondum renati sunt per verbum Dei in Baptismo, sed adhuc manent in turpissimo cultu dæmonum, proficiunt in peius, Christum Deum blasphemantes, nuncios eius omni crudelitate persequentes, ac iræ cælestis thesauros sibi cumulantes. Vos è contrario, qui iam credidistis, insuper interno conscientiarum testimonio percepistis quàm suavis & mitis sit Dominus, quamque spiritali gaudio repleat animas seruorum suorum, debetis certè in hac vocatione continuè proficere.

Primò autem notandum, in verbis Græcis Apostoli dulcem esse allusionem ad nomen Christi, quem Dominum appellat, *κύριος* enim quod hinc latine redditur dulcis, vna tantum literula differt à *κύριος* saluatore nostro dulcissimo q. d. Pij viri sentiunt Dominum nostrum *κύριος* & re & nomine verè esse *κύριος* beneficium, commodum, facilem, & supra quàm dici potest, vtilem. Ergo singulis vitæ suæ horis ac momentis in via eius debent proficere. Tertullianus, & post hunc Lactantius, referunt Ethnicos vocis ignoratione Dominum nostrum Iesum, appellasse Chreston, pro Chresto: & Christianos, pro Christianis. Suetonius etiam Ethnicus, ait, Iu-

Psal. 83.
Matth. 6.
Apor. 21.

Act. 8.

Luc. 17.

Apolo. 13.
L. 4. cap. 7.

In vita
Clandij.

dæus impulsore Christo (calumniæ sunt paganorum,) assidue tumultuantes, à Claudio Roma expulsos. Huius autem nominis tantum abest ut nostros puduerit, quod multò magis in eodem sunt gloriati. Scribit enim B. Theophilus, sextus à D. Petro, pontifex Antiochenus: mihi crimen vertis quod sim Christianus, & insigne præclarumque hoc nomen geram. At liberè cōfiteor, me esse Christianum & nihil magis in votis habeo, quàm ut sim *εὐαγγελος*, id est, bonus erga Deum. Non enim mihi molestum aut odiosum illud nomen est. Ad hæc quoque Iustinus martyr scripsit. Quod ad nostram appellationem attinet, non solum dicimur Christiani, sed sumus *εὐαγγέλιον*, hoc est, commodissimi.

Secundò, alludit Apostolus ad hanc veterem Davidis regis & Prophetæ adhortationem: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Piè verò notat B. Thomas, Dominum appellari dulcè & suauem, eiusdemque dulcedinis multis modis nos fieri participes. Primò, cogitatione ad meditando, ut testatur Sponsa: *Fructus eius dulcis gutturi meo*. Secundò, in aure ad audiendum: ut ait eadem: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Tertio in ore ad loquendum & prædicandum: de quo David dicit. *Dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*. Quartò, aspectu ad videndum, dicente Sapiente, *Dulce lumen, & delectabile oculis*. Quintò, ad exequendum, eodem docente, *Nihil dulcius quàm respicere ad mandata Dei*. Sextò, dulcis est intellectu, ad cognoscendum: in voluntate, ad amandum: in memoria, ad recogitandum: in tota anima, ad manendum, &c. Si vetus

manna omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem in se habebat, quomò magis manna creator & largitor?

His addit ven. Beda. Qui nihil de superna suauitate animo gustauit, non est mirum si hunc terroribus illecebris sordidari non euitat. Sunt nonnulli qui de Deo sentiunt non quod dulce interius sapiat, sed quod exterius sonat: qui etsi secreta quædam percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt. Et D. Hieronymus scribit. Omne quod habemus bonum, gustus est Domini. Quanto plus bibo, tanto plus sitio fontem vitæ.

Sed quibus mediis & artibus, ad huius Diuinæ suauitatis gustum peruenire poterimus? Si hîc semper vixerimus atque coram Deo: si carnalia oblectamenta despexerimus sanctis desideris, meditationibus, & operibus incubuerimus: atque in omnibus honorem, cultum, & gloriam Dei quæserimus. Tum proculdubio Deus immensa pietate sua nos præueniet, comitabitur, atque internæ consolationis lætitia tanta perfundet, ut nemo scit, nisi qui acceperit. De his scribit Vir secundum cor Dei. *Memor fui Dei, & delectatus sum. Consolationes tuæ latificauerunt animam meam. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quàm magna multitudo dulcedinis tui Domine!* Atque hæc est sapientia sanctorum, quam prophanae mentes pænitus ignorant, &c.

4. *Ad quem accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum.*

L. I. contr.
Autolyicum.

Apolog. 2.

Psal. 33.

Cant. 2.

Psal. 118.

Eccli. 2.

Eccli. 23.

Ep. ad Cresiphontem.

Apoc. 2.

Psal. 76.

Psal. 93.

Psal. 35.

Psal. 30.

Psal. 30.

Postea quàm hîc Apostolorû Coryphæus hortatus est pios omnes ad deponenda præcipua vi-
riorû genera: deinde ad simplicitatem, studium-
que proficiendi in schola Christi: nunc quarto
versu & aliquot sequentibus, eosdem admonet
de maxima summâque viri Christiani perfectio-
ne ac dignitate, nimirû, vt quantum fieri potest,
Christo Iesu intimè coniungantur, copulêtur &
adhærescant tanquam membra suo capiti, & la-
pides viui atq; spirituales viuo firmoque totius
spiritualis ædificij fundamento. Etenim sicut lu-
næ, aliarumque stellarum splendor à Sole de-
pendet; ramorum vis, à trunco: riuorum fluxus
à fonte, omnium membrorum vita, à capite cui
connexa & subiecta sunt; sic vniuersa Ecclesia, fi-
des, salus, gratia, & gloria Christianorum à Chri-
sto totius huius mystici corporis supremo capi-
te. Ait enim, *Manete in me, & ego in vobis. Ego sum
vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest ferre fructû,
nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis.*
Addit comminationem & grauissimam & terri-
bilem. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut
palmes & arefcet, & in ignem mittent, & ardet.* His
quoque similibus, B. Cyprianus, & post hunc,
Augustinus eiusdem vnitiones, necessitatem si-
mul & vtilitatem commendant. Auelle radium
Solis à corpore, lucis diuisionem non capit. Ab
arbore frange ramum fractus germinare non
poterit. A fonte præcide riuum, præcisus are-
fcet, &c. Paulus eiusdem quoque coniunctio-
nis eximius prædicator & suator, nunc eam
comparat cum amore sponsi & sponsæ, mox
cum oculis, manibus, ac reliquis corporis hu-
mani

Ioan. 15.

L. de vitate
Ecclesie.Eph. 5.
2. Cor. 11.

mani membris capiti suo miro nexu herentibus.
Hic noster magnus piscator hominum post
quàm audiuit Christum comminantem sibi: *Si
non lauero te, non habebis partem mecum, ad eò exhori-
ruit ab hac separatione, vt se se totum præcepto-
ris voluntati permittens, dixerit: Non tantum
manus, sed & pedes, & caput abluo.* Ad hanc er-
go cum Christo coniunctionem, multis Chri-
stianæ fidei mysteriis referta exhortatione &
metaphora Petrus vniuersos excitat, impellit,
accendit: quandoquidem seiunctis à Christo
nulla Dei gratia, nulla peccatorum remissio,
nulla relicta est via salutis. De his iam sigillatim
dicamus.

Ad quem accedentes.

Accedite non pedum gressibus, sed fidei, spei,
caritatis & obedientiæ profectibus. Vos illi cum
fiducia sistite & offerite. Ei totius pectoris amore
reuerentia, & timore adhærete. Tam enim cer-
tus sum de illius in filios hominum à peccatis
resipientibus beneuolentia, vt constanter au-
deam polliceri, vos nullam passuros esse repul-
sam. Quomodo enim vos è gremio suæ cle-
mentiae repelleret, qui tam benignè cunctos
inuitat dicens: *Venite ad me omnes, qui labora-
tis & onerati estis, & ego reficiam vos? Conuertimini
ad me in toto corde vestro? Reuertere Synamitis, re-
uertere? Venite ad nuptias?*

Modum autè accedendi Paulus significat cum
dicit. *Accedamus cû fiducia ad thronû gratiæ eius, vt
misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus
in auxilio opportuno.* Et rursus. *Accedamus cû vero
corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia*

Rom. 11.

1. Cor. 6. &

12.

Ioan. 13.

Matth. 11.

Ioel. 2.

Cantic. 6.

Matth. 22.

Heb. 4. &

10.

mala, & abluti corpus aqua munda. Accedentem ad eum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator. Chrysostomus sic describit, quàm

Heb. 11.

Com. in Psal.

4.

Jerem. 3.

Act. 17.

peruius sit omnibus accessus ille. Nihil est quod prohibeat, quominus prope Deum simus. *Deus enim appropinquans ego sum*, ait, & non Deus procul. *Non longè est ab unoquoque nostrum.* Non adfistit miles, qui expellat, aut satelles qui tempus interrumpat. Non est qui dicat: non est tempus accedendi, veni postea. Sed quando veneris, stat audiens: etiamsi tempore prandij, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, etiamsi in foro, etiamsi in via, etiamsi in cubili fueris, & eum vocaueris: nihil vetat quominus petitionem tuam audiat, &c. Væ igitur illis qui cum Adamo & Iona nituntur fugere à facie Domini, quandoquidem miseriarum pelagus immensum eos manet. Qui fugit à te Domine, quid aliud facit, (ait Augustinus) nisi quod fugit à te placato, ad te iratum?

Lapidem viuum,

Nunc velut breui digressione facta, excurrit in laudes Christi, illumque tribus honorificis titulis exornat, vt sciant qui ad illum sunt accessuri, quantum in eo præsidium, quantas consolationes, quantosque bonorum thesauros sint inuenturi. Primum autem eleganti tropo vocat eum *lapidem*, propter soliditatem, constantiam, & robur. Vt enim saxum inter cætera corpora firmum ac solidum est sic Christus quatenus Deus, est immutabilis, inuictus immortalis: quatenus homo, saxum illud est in quo & tota Ecclesia Catholica, & singula animæ

Christianæ tanquam inconcussio fundamento nituntur atque confidunt. Hunc tropum explicauit idem Christus, dicens: *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificauit domum suam super petram. Et descendit pluuia, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.*

Math. 7.
Luc. 6.

Desumpsit autem hanc metaphoram à veteribus Prophetis noster Apostolus, per quos Spiritus sanctus sub mirabilis petræ ac firmissimi saxi typo Christum frequenter descripsit & repromisit. Hunc enim significauit lapis, quem Iacob supposuit capiti suo, & paulò post erexit titulum, fundens oleum desuper. Hunc petra, quæ ligno bis percussa, tam copiosè fudit aquas, vt vniuersis Hebræorum turbis sufficerent. *Petra enim erat Christus.* Hunc lapis paruus, abscisus de monte sine manibus humanis, qui statuam deiecit & comminuit, suâque immensitate mundum repleuit. De eodem lapide Dauid, Isaïas, Zacharias multa quoque sunt vaticinati.

Gen. 28.

Exod. 17.

I. Cor. 10.

Dan. 2.

Ne quis autem tropum ignoraret, Apostolus addidit epitheton, *λίθον ζῶντα*, *lapidem viuum*, id est, Christum, qui viuit in semetipso, & in membris ac seruis suis. Nam quæ Deus est, non solum viuit: sed & ipsamet vita est: *In ipso enim ante omne æuum vita erat, & vita illa erat lux hominum.* Sicut misit me viuens Pater, inquit, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. *Ego sum resurrectio & vita. Ego sum via, veritas, & vita.* Quæ verò homo est, vita viuit immortalis, incompatibili, &

Ioan. 1.

Ioan. 11.

Ioan. 14.

Eph. 1.
Rom. 6.
Ioan. 5.
1. Cor. II.
Rom. 8.
Philip. 3.

beata in dextera Patris, super omnem principatum & potestatem. Ut resurrexit à mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Insuper, cunctos adhærentes sibi tandem aliquando, velut corporis sui membra viuificabit, & glorificabit secum in cælestibus. *Venit hora, inquit, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & uiuent. Filius quos uult uiuificat.* Apostolus quoque ait, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificantur.* Rursumque. *Qui suscitauit Iesum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem Spiritum eius in uobis. Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostre, configuratum corpori claritatis sue.* An non ergo omnibus modis uiuens, & uiuere faciens?

Ab hominibus quidem reprobatur.

Secundò, dicit hunc lapidem uiuum id est Christum, à Iudæis, quibus præsertim promissus darusque fuerat, non solum contemptum, sed etiam reiectum reprobaturumque fuisse. Quod non vno tantum modo factum est. Nam reprobauerunt eius doctrinam: eum seductorem falsumque prophetam, ac in Deum blasphemum appellantes. Reprobauerunt miracula quantumuis certa & manifesta opera Dei, dicentes cum in virtute Beelzebub principis dæmoniorum eicere dæmonia. Reprobauerunt, & quantis potuerunt contumeliis ac probris contaminauerunt innocentissimam vitam & conuersationem eius, dicentes: *Insanit, est homo vorator, potator vini, amicus publicanorum, samaritanus, dæmonium habens, viola-*

Ioan. 7.
Matth. 26.
& 27.

Matth. 11.
Luc. 11.

Matth. 9.
& 11.

tor sabbathi, &c. Denique, vnâ cum eius persona & vitâ, totum Euangelium, totam doctrinam, totius passionis & mortis ipsius merita, atque sic propriæ redemptionis & salutis mysterium palam reprobauerunt, vociferantes: Nolumus hunc regnare super nos. Non habemus Regem, nisi Casarem. Tolle, tolle crucifige eum. Sanguis eius super nos, & super filios nostros, &c. Eadem Christi reprobatio in hunc vsque diem adhuc posteros eorum in infidelitate ac exilio detinet, cum quidam eorum Rabbini scriptis virulentis Christum proscindant, & in Synagogis quotidie blasphemant & execrantur: alium verò quidam eorum expectent, Antichristum suscepturi: alij Messiam aliquem venturum penitus desperant. Quæ cæcitas, quis furor huic posset comparari? De hoc cum magno stupore scribit Euangelista: *In mundo erat Christus, & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt.* Et Apostolus. *Cacitas contigit in Israel. Velamen positum est super faciem eorum.*

Nec solum à Iudæis, sed etiam hodie à Turcis, Persis, Tartaris, Mauris, Maometanis omnibus, ac Ethnicis reprobatur Christus, quando nec eius diuinitati cedere, nec Euangelio credere, nec sacris initiari volunt: sed è contrario, eius religionis professores canum loco reputat, eosdemque terra & mari persequuntur, crucis & passionis mysterium vel fabulam vel stultitiam existimant.

Reprobant etiam Christum Hugnostici, quâ-

do expressa eius verba, (doctore spiritu tenebrarum qui apparuit Zuinglio, eorum primo antistiti) corrumpunt, & ad impietatem Sacramentariam violenter deflectentes, negant quod ille affirmat, & affirmant quod ille negat. Insuper, cum suo Caluino dicunt doctrinam Euangelicam, impropiam, superuacuam, non solidam, nec omni ex parte quadrantem. Ipsum quoque blasphemant, vt ignorantem, aberrantem, coram Deo reum, desperantem de salute, & inferni flammis demersum, tormentisque ad tempus addictum & damnatum: vt horum scriptis & verbis cuicimus, simulque confutauimus in prioribus Dialogis.

Reprobant, contemnunt, & à se quoque repellunt Christum, quotquot execrâdis blasphemis illum proscindunt, & diabolis seipsos deuouent.

Reprobant & periuri, falsique testes, factos sanctum nomen eius in vanum falsumque assumptas: insuper & qui deprauatis corruptisque moribus, mandato & voluntati eius se opponunt. De his enim scribit Apostolus: *Constitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abhominati, increduli, & ad omne bonum opus reprobi.*

A Deo autem electum & honorificatum.

Tertiò, Christum hominem appellat, *electum à Deo Patre*, qui in sui dispositione non fallitur, & ante iacta huius mundi fundamenta, & eo sine electum, vt hominum esset redemptor & iudex. Tempore autem conuenienti, ab eodem singularibus donis, super omnes Angelos & ho-

mines *honorificatum* & exaltatum: nimirum, purissima conceptione, mirabili natiuitate, immaculata conuersatione, cælesti doctrina, & stupendis miraculis cum in Iudæa per ipsummet editis, tum orbe toto per Discipulos eius nominis inuocatione. Rursus, à Deo *honorificatum*, quando beatissimè illius animæ ipso statim creationis eius momèto, infusa fuit omnis sapientia, sciètia, gratia, cæterâq; dona Spiritus sancti. Nã requieuit in eo Spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, &c. *Non est ei datus Spiritus ad mensuram. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, &c.* Rursumque *honorificatum à Deo*, quando de cælis palam semel & iterum proclamauit, hunc esse dilectum filium suum, in quo sibi complacebat. Quando victorem mortis, triumphatorem diaboli, & spoliatorem inferorum suscitauit eum à mortuis tertia die. Quando paulò post, eum ascendere fecit cum iuilo ac exultatione cælesti, super omnes cælo, Angelos, Archangelos, &c. Dixitque illi. *See à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* De hac Christi gloria & exaltatione Paulus grauitè differit, Eph. 1. Philip. 2. Coloss. 2. Heb. 1. 2. &c.

Hanc porrò Christi hominis electionè & exaltationem hîc proponit Apostolus, primò, vt omnes ad eius accessum, reuerentiâ, & cultum accendat. Siquidè tam eximius est, & à Patre dilectus, vt omnia dederit illi in manus, omnem potestatem acceperit in cælo & in terra, mediatorem eum statuerit inter se & totum genus humanum, iudicem viuorum & mortuorum,

denique, regni cælorum ac vitæ æternæ largi-
torem. Quis ergo, si salutis suæ vel modica cu-
ra tangatur, tam potenti ac benefico Salvatore
non adhærere, & intimè coniungi non toto cor-
de exoptaret?

Secundò, hanc Christi electionem, & plus-
quam magnificos honores commemorat, vt
omnibus patefaciat, quàm excæcatum & bel-
luinum sit hominum in rebus diuinis consi-
lium atque iudicium: cùm hunc reiecerint atque
reprobauerint, quem Deus non tantùm præ-
tulit omnibus mundi sapientibus ac regibus,
omnibus Patriarchis, Prophetis, Angelis, ac
regni sui electis; verùm etiam voluerit esse ho-
rum omnium principem & caput, cuiusque
merito cuncti vocarentur, iustificarentur & ser-
uarentur. *Ecce, inquit, seruus meus, suscipiam eum:
electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: de-
di super illum spiritum meum. Et rursus. Dedi e
in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oc-
los cæcorum, educeres de conclusione vinctum, de a-
mo carceris sedentes in tenebris, &c.* Iure igitur opi-
mo dicit Dominus. *Non sunt via mea via vestra,
neque cogitationes mea cogitationes vestra.* Et Chi-
stus istam mundo exprobrans cæcitatē & pr-
uerſitatē, dicit. *Lux venit in mundum, & de-
xerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Con-
temnat ergo propriâ malitia excæcatus iste mun-
dus & reprobet hunc lapidem & viuum, & le-
ctum, & pretiosum quantum volet: suum ta-
men decus & honorem maximum retinebit
apud Deum omnipotentem.

Eph. 1.

Isa. 42.

Isa. 55.

Ioan. 3.

5. *Et ipsi tanquam lapides viui, superædificamini
domus spiritualis sacerdotium sanctum, offeren-
tes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum
Christum.*

Persequitur metaphoram de Christo lapide
viuo, declarans apertiùs, quomodo poterimus
eidem cohærere idque spiritualis cuiusdam ædi-
ficij typo atque figura. Deinde, paucis quidem,
sed grauissimis verbis docet, quantas inde con-
sequemur vtilitates. Summa verò ac sensus
Apostolicorum verborum est. Ad Christum
quantumuis ab impiis Pharisæis, Senioribus, &
Pontificibus Iudæorum reprobaturum, & Genti-
bus illudum, crucifixum, & occisum; nihilomi-
nus coram Deo *lapidem viuum, pretiosum, & glo-
rificatum* oportet vos per fidem, spem, & carita-
tem propius accedere atque coniungi, vt & ipsi ex
lapidibus mortuis ac insensibus efficiamini la-
pides viui, electi, & coram Deo pretiosi. Nec id
solum, sed etiam vt tali fundamento nixi, gratiæ
illius cémento & meritorû calce intimè fixæque
cohærentes superædificemini templa spiritualia,
corporibus & animis sitis domus cælestes, Deo
longè cariores & sanctiores eò materiali tem-
plo, quo Iudæi gloriantur, & carnem sangui-
nè que brutorum quotidie sacrificant. Sed ne-
que tantummodò spiritualia & mystica templa
Deo sacrata eritis, in quibus ille habitabit & cõ-
letur: sed & sacerdotes, in eisdem spiritalibus
templis spirituales hostias sacrificantes ac offe-
rentes vni vero ac viuo Deo gratissimas, idque
meritis & commendatione eiusdem Domini

nostri Iesu Christi, cuius corpori vt viua membra cohæretis.

Hinc autem primùm apparet, veros ac synceros Christianæ religionis professores verè dici, ac esse coram Deo lapides viuos, quoniam Christi participatione ac coniunctione ex lapidibus mortuis, & in abditis terræ reconditis, in lucem & vitam educimur, effcimurque non tantùm filij Abrahæ: sed & filij Dei, fratres autem ac cohæredes Christi. Enimvero is per se viuens, membra sibi cohærentia viuificat. At enim: *Ego sum panis viuus qui de celo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuere in aeternum. Sicut misit me viuens Pater, & ego uiuo propter Patrem: & qui manducat me, ipse uiuet propter me. Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in aeternum. Ego sum resurrectio & vita. Ego sum via, veritas, & vita. Ego vitam aeternam do eis, &c.* O felices, si bona sua norint Christianos! Qui enim thesauri, quæ diuitiæ, quæ gloria, qui honores, quæ regna, his bonis possunt comparari? Ab huius ergo spiritualis lapidis communionem & caritate nullus vquam gladius, nulla fames, nulla nuditas, angustia nulla nos separet.

Meditemur deinde, quod sicut in ædificio materiali lapides superponuntur & coagmentantur quidem inter se, vt contignationes testæque ferant: insuper, durissimo firmoque saxo innituntur, & ab eodem vt fundamento portantur atque sustentantur: sic etiam necessum esse, vt Christiani omnes eiusdem religionis glutino sibi cohæreant, sanctis patribus suis succedant, & Christo (qui totam Ecclesiam

Ioan. 6.

Ioan. 8.

Ioan. 11.

Ioan. 10.

Rom. 8.

portans, ipse à nemine portatur, sed propria virtute diuina potestatéque consistit) sustententur & fulciantur. Idcirco enim Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Estis domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Id autem est ipse summus angularis lapis Christus Iesus, qui duos parietes, id est, Iudæos & Gentiles in vno Ecclesiæ corpore ædificatióque coniunxit.

Sequitur etiam, vniuersos omnium sæculorum, linguarum, & conditionum Christianos, eadem fide ac religione cohærentes, sacram quædam ac mysticam domum efficere, in qua Deus inhabitat, agnoscitur, colitur, laudatur, inuocatur, longè excellentius, quàm in templis lapideis & manu hominum factis, dicente Apostolo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui habitat in vobis? Vos estis templum Dei viui: sicut dicit Deus. Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos; & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Et rursum illud ipsum inculcans ait: *Christus in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam Dei vsque ad finem firmam retineamus.* Huc quoque spectat ista eiusdem Apostoli adhortatio: *Hæc tibi scribo, vt scias, quomodo oporteat te in domo conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui columna & firmamentum veritatis.* Alludit autè D. Petrus ad illum Isaiæ locum in quo Ecclesia comparatur ciuitati constructæ ex lapidibus pretiosis, auro, gemmis, &c. Iterum, ad id. quod à Christo præceptore audierat:

1. Cor. 3.

Eph. 2.

1. Cor. 3.

1. Cor. 6.

2. Cor. 6.

Leuit. 26.

Hebr. 3.

1. Tim. 3.

Isa. 54.

Apoc. 21.

Matth. 16. Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

Tract. de Hunc locum expendens D. Ambrosius scri-
42. mans. m. bit. Iusti propter eorum firmitatem lapides ap-
38. pellantur. Iustis verò firmitas rectè adscribitur,
eò quòd ipsi nec fluctuent, nec circumferantur

Eph. 4. omni vento doctrinæ: & in Euangelio, domui
Matth. 7. supra firmam petram fundatæ comparantur. De
his lapidibus docet quoque alibi traditum esse.
Potens est Deus de lapidibus suscitare filios
Com. in c. 3. Abrahæ. Vult lapides viuos à terra in cælum
Lnc. transferre.

L. 2. ad No- Fulgentius hinc quoque docet, istam ædifi-
um. cationem spiritualem corporis Christi, quæ sit
in caritate sibi cohærentibus lapidibus viuis,
nunquam oportuniùs peti, quàm cum ab ipso
Christi corpore (quod est Ecclesia) in sacramen-
to panis & calicis ipsum Christi corpus & san-
1. Cor. 10. guis offertur. Quoniam sic vnus panis, vnum
corpus multi sumus, &c.

Rursum, ex superioribus Apostoli verbis
euidenter apparet duplex esse inter Christianos
Sacerdotium, simul & sacrificandi genus. Pri-
mum externum atque visibile, quale fuit in le-
ge naturæ primogenitorum: & in lege Mosàica
Leuitarum, Aaronis, & filiorum eius. Hoc autem
non ad omnes pertinet: sed duntaxat ad eos,
qui seliguntur, vocantur, & sacris à Deo consti-
tutis ritibus dicantur & sacrantur: vt in lege vn-
ctionibus & precibus: sub Euangelio, precibus,
manuum impositionibus, sacris item (ex Apo-
stolica traditione) vnctionibus. Etenim turpissi-
mè aberrant Lutherani & Hugnostici, cum
volunt cunctos Christianos sine vlla conditio-

nis aut sexus distinctione, Sacerdotes esse: pro-
indèque nullum in republica Christiana speciale
singulàrèque Sacerdotium externum.

In primis enim reuocant ab inferis damnatos
veterum Gnosticorum errores, qui (vt author
est B. Irenæus) etiam mulieribus Sacerdotum
munera committebant. Hos sequuti sunt Quin-
tiliani, Pepusiani, Collyridiani, & Cataphryges:
ideòque isti cum illis à communionem Christia-
norum iamdudum præcisi, Satanæ potestati tra-
diti sunt, velut omni exceptione maiores testes
sunt inter patres Græcos Epiphanius, Damasce-
nus, Nicetas, & inter Latinos Augustinus ac Isi-
dorus, lib. de hæres. *L. 1. c. 9.*

Secundò, cunctis legibus tam humanis quàm
diuinis aduersantur, omnem ordinem de mundo
tollunt, & execrabilem rerum omnium confu-
sionem inducunt. Enimuerò compositio cor-
poris humani, in quo sunt membra, sensus, or-
gana tum situ, tum officiis diuersa, nec vnum al-
terius vsum ac officium vsurpare atque subire
potest, satis ostendit in corpore mystico varios
ordines pastorum, & rectorum debere esse, non
permixtos & confusos. Deinde, nec Gentiles,
quantumlibet excæcati & fascino à diabolo,
duce natura iudicauerunt vnquam aut voluerunt
omnes deorum suorum promiscuè Sacerdotes
esse. Rursum, in lege naturæ, solùm penes pri-
mogenitos ius sacrificandi, & alios benedicendi
fuit. Ideo enim Esau & profanus & reprobus
censetur, quòd cum iure primogenituræ anne-
xum sacerdotium suum vendiderit. Ad hæc, in
lege Mosàica soli Leuitæ & filij Aaronis Ponti-
Gen. 25.
Hebr. 12.

fices & sacrifici fuerunt. Diuina vltione malè perierunt Ieroboam, Ozias, Dathan, Coré, Abyron, Nadab, Abiud, præter ius falque sacris operantes. Ergo cum naturæ iure pugnant, & cunctas leges peruertunt ac confundunt, qui externum aspectabilè que sacerdotium omnibus sine discrimine concedunt.

Tertiò, etiam in Christum æternú Dei Filium peccant, quippe qui ab aliis hominibus selectos habuit Apostolos, quos solummodò sacrorum suorú ministros atq; dispensatores ordinauit, d. *Hoc facite in meam cõmemorationem. Quorum remisistis peccata, remittentur eis, &c. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Euntes in vniuersum mundum, prædicare Euangelium omni creatura. Docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine Patris, &c.* In his enim tribus muneribus, videlicet, sacrificiãdi, docendi, & sacramenta ministrandi, sacerdotum Christianorú officia præcipua consistunt: quæ manifestú ac certum est nõ omnibus indifferèter cõuenire.

Quartò, Apostolorum actis & scriptis palàm contradicút, quando quidè illi non indiscriminatim omnes, sed quosdam solùm electos & oblatos, per manuú impositionem dicarút & ordinarút Diaconos: eadèmq; externa ceremonia Paulus Titum & Timotheú constituit sacerdotes ac Episcopos quarundã Ecclesiarum: qui & rursus scribit ad Titum: *Huius rei gratia reliqui te Creta, vt qua desunt peragas, & constituas per singulas Ecclesias Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Alibi quoque magna autoritate prohibet: *Nemo assumat sibi (pontificis & pastoris) honorem, sed qui vocatus fuerit à Deo tanquam Aaron.* Hunc autem

Luc. 27.
Ioan. 20.
Marc. 16.
Matth. 28.

Apoc. 6.
7.
1. Tim. 2.
4.
Tit. 1.

Hebr. 5.

Exod. 28.

legimus electum & vocatum fuisse à Deo, sed sacro oleo, precibus, vestibusque sacerdotilibus à Moïse Hebræorum summo rectore consecratum & ordinatum.

Quintò, etiã suis institutis ac ritibus cõueniunt. Autumant enim nõ omnes esse Ministros verbi, non omnes tingere debere, non ad omnes Diaconatus officii pertinere, non omnes esse in suis cætibus lectores, non omnes antiquos, non omnes consistoriales, non omnes superuigiles; sed tantùm ad id vocatos & constitutos. Ergo sacris operari non est indiscriminatim omnium: verum selectorum & ordinatorum.

Denique summis Apostolis Petro & Paulo seipfos opponút, qui mulieres in Ecclesia loqui non permittunt. Hugnostici verò illas Psalmos suos vbiq; cantitare, de Scripturis disputare, argumentari, & definire: quineriam de religione statuere, ac Episcopos suos constituere (quæ summorum Sacerdotum munera sunt) mulierculæ in Anglia concedunt. Atque de visibili externoque Sacerdotij genere hætenus.

Secundum sacerdotij & sacrificandi genus est mysticum, spiritale æternum, ac omnibus in Christo renatis & dicatis commune, de quo præfenti loco differit B. Petrus. Baptismi namque virtute & sacri chrisnatis vnctione sic Deo sacrantur omnes, vt illi hostias spiritales, cuiusmodi sunt feruentes preces, postulationes, gratiarum actiones, laudes, vota, lacrymæ, cor contritum & humiliatum, suspiria, gemitusque pœnitentiæ abnegationes suiipsius, mortificationes vitæ carnalis, & cæt. offerre possint & debeant.

1. Cor. 14.
1. Tim. 2.
1. Petr. 3.

De his Scriptura frequenter meminit, eisdem-
que plurimum velut Deo gratissimas commen-
dat fidelibus. *Immola Deo sacrificium laudis, & red-
de altissimo vota tua.* Ait enim: *Sacrificium laudis
honorificabit me.* Vnde rursus Dauid. *Sacrificabo tibi
hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Circuui
& immolauit in tabernaculo eius hostiam vociferatio-
nis, cantabo, & psalmum dicam Domino. Sacrificium
Deo spiritus contribulatus. Sacrificate sacrificium iusti-
tiae, & sperate in Domino, &c.* Et Paulus Romanus
præcipit: *Exhibete corpora vestra hostiam sanctam,
uiuentem, Deo placentem.* Docens rursus exemplo
suo, labores, passiones, & mortes Sanctorum esse
mystica sacrificia, scribit. *Et si immolor sacrificium
& obsequium fidei vestra, gaudeo & congratulor om-
nibus vobis.* Idem rursus docet, pias conciones,
laudes, adhortationes, eleemosynas, & omnia
Christianæ caritatis officia, victimas esse ac ho-
stias Deo gratas & acceptas, cum scribit: *Per
ipsum (Christum) offerimus hostiam laudis, fructum
labiorum consentientium nomini eius. Beneficentiæ &
communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostiis
promeretur Deus.*

In c. 6. Lucæ. B. Ambrosius ideo scribit: Omnes filij Ec-
clesiæ sacerdotes sunt. Vngimur enim in sacer-
dotium sanctum, offerentes nosmetipfos Deo
hostias spirituales. Augustinus autem. *Immola-
mus hostiam iubilationis, hostiam lætitiæ, ho-
stiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis,
in sancta Ecclesia.* Idem. Sicut omnes Christia-
nos dicimus propter mysticum Christma, sic om-
nes sacerdotes, quoniã sunt membra vnius Sacer-
dotis. De his Apostolus Petrus: *Plebs sancta, &c.*

Acceptabiles

Acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Hoc adiicit B. Apostolus, vt nos alacriores, fer-
uentiores, & frequentiores reddat in hoc cultu
Deo omnipotenti præstando, scientes istas obla-
tiones & hostias nostras spirituales eidem acceptas
esse, propter gratiã & merita Christi capitis no-
stri, eisdem Patri suo offerentis & cõmendantis.
Vt Deus spiritus est, inquit, non corpus: ita spi-
ritalibus hostiis præsertim delectatur, & cultores
diligit qui adorent eum in spiritu & veritate.
Offerite ergo illi non carnes pecudum, vt olim
Iudæi: iam enim ait. *Non accipiam de domo tua vi-*
tulos, neque de gregibus tuis hircos. Non accipiam mu-
nus de manibus vestris, &c. sed pro diuersis ani-
malium generibus mactate affectus mundanos,
occidite bruta desideria carnis, gulam, ebrieta-
tem, luxuriam, superbiam, inuidiam, iram, lu-
xum, auaritiam: & pro incenso ac thimiamate
odorifero, offerite puras atque feruentes preces,
suspiria, pia desideria, ex ara cordis contriti &
humiliati subuolantia in cælum, ante altare
aureum, quod est, ante oculos Domini. Nec est
quo diffidatis timentes ne Deus has oblationes
atque sacrificia minus habeat grata: quando-
quidem à dextris Patris est Christus mediator ac
patronus vester, semper viuens ad interpellan-
dum pro vobis cuius gratia & patrocinio gratif-
sima erunt.

Nulla itaque vel diuinæ maiestatis timore,
vel imbecillitatis nostræ sensu segniores aut re-
missiores esse oportet in Dei cultu amore, ac in-
uocatione quandoquidem persuasi sumus Chri-
stum semper adesse vultui Patris pro nobis,

eumque nobis propitium ac exorabilem reddere. Deinde, non fore inanem laborem nostrum coram illo. Nec est iniustus Deus, ut obliuiscatur operis nostri boni, & dilectionis quam ostendimus in nomine eius.

Tametsi enim precum, operum, & studiorum nostrorum hostiæ spirituales ex communi totius naturæ deprauatione, ut plurimum sint adhuc imperfectæ & mutilæ, nihilominus gratiam illis Christum apud Patrem conciliat: & per mortis suæ merita reddit illi grata, nobisque fructuosa, & utilia. Est enim Filius ille dilectissimus & carissimus, in quo, per quem, & propter quem, tam nos quam labores nostri Deo patri grati reddimus & accepti. Hac de causa dicit Ioannes: *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Et Paulus: *Est ad dexteram Patris, & semper interpellat pro nobis. Ipsum calum introiuit, ut appareat vultui Dei pro nobis. Exauditur autem à Patre pro sua reuerentia.*

6. *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem, summum, angularem, electum, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur.*

Hoc sexto versu Apostolus docet, & testimoniis Isaiæ, Davidis, & coapostoli sui Pauli confirmat, Christum appositè & conuenienter comparari cum lapide uiuo, electo, & pretioso, cui velut firmissimo fundamento vniuersa nititur Ecclesia Christiana. q. d. Quod dixi; Christum esse lapidem viuum, super quem ædificamur, &

hostias spirituales offerimus, id ipsum ante multa sæcula prædicauerunt & adfirmauerunt sanctissimi Prophetæ, Spiritu sancto eis reuelante & suggerente, quod summus ille rerum omnium conditor Pater Christi, hunc Ecclesiæ nascituræ in Sion, ac de ciuitate Ierusalem in totum mundum profecturæ, pro fundamento & capite perhiberet, qui Iudæos & Gentes in unitatem fidei conuerteret. Et quisquis fide viua adhæreret illi, in die postremi iudicij expectata salute non frustraretur. Quod ergo facti vates ante tot sæcula futurum cecinerunt, hoc ipsum nunc adimpletum esse nouimus, credimus, & constanter affirmamus.

Exemplo autem B. Petri concionem suam sacris vtriusque Testamenti scripturis confirmantis, discant Ecclesiastæ sacris potius testimoniis id quod docent corroborare, quam profanis, incertisque Gentilium scriptis ac historiis. Nam & Christus Moïsi, Davidis, Danielis, Isaiæ, Eliæ, Ionæque tam factis quam scriptis doctrinæ suæ autoritatem conciliat: non Aristotelis, Platonis, Demosthenis, aut Tullij libris, Petrus & Paulus toties ferè Prophetarum oracula citant & laudant, quoties de Christo & humana salute disserunt. Quid enim Athenis & Ierosolymis? Quid Paulo cum Plinio? Quid filiis frugi cum siliquis porcorum? Id est, autore D. Hieronymo, dogmatibus Philosophorum atque poëtarum? Nec enim Origenis, Basilij, Chrysostomi Patrum Græcorum homiliæ, nec Augustini, Gregorij, aut Bernardi summorum inter Latinos

I. Cor. 15.

Hebr. 6.

I. Ioan. 2.

Rom. 8.

Hebr. 7.

9.

Hebr. 5.

concionatorum sermones ex profanorum historiis sunt refertæ, sed ipsius verbi Diuini diuinis planè sententiis.

Deinde, tam Propheta quàm Apostolus inducentes Deum, ore proprio dicentem, *Ecce pono in Sion lapidem, &c.* palam ostendunt eum solum esse Ecclesiæ Cath. architectum, fundatorem, & protectorem: quod & alibi idem ipse Isaias his Dei verbis clarius exponit. *Ego feci, ego feram: (Ecclesiam) ego saluabo, & ego portabo.* Valeant igitur in æternum portæ inferorum, id est, omnium dæmonum furores, omnium tyrannorum persecutiones, omniumque hæreticorum fallaciæ; nunquam enim præualebunt aduersus eam. Perflectent contra eam omnes Aquilones, postremam euerisionem minentur aquarum torrentes: *fundata est supra firmam petram. Fundamenta eius in montibus sanctis. Fundauit eam Altissimus.* Hinc præclare Eusebius. Ecclesia etiam hoc nomine à Christo donata, radices egit, ac vsque ad astra sanctorum virorum orationibus glorificata, fulgore orthodoxæ fidei splendet: neque hostibus terga dat, neque ipsis ianuis mortis cedit, propter pauca verba quæ Dominus illi protulit: *Super lapidem adificabo eam.* Longè ergo falluntur opinione vnà cum priscis Donatistis, huius æui Hugnostici, vociferantes eam vel quingentis, vel mille trecentis annis omnino defecisse, & à Christo ad Antichristum aberrasse, vt illis probri loco vertit Augustinus.

Nec his obstat, quòd ad hanc colligendam, & in doctrina continendam, atque factam rectamque seruandam vtatur Angelorū, Apostolorum,

sanctorumque doctorum, atque etiam piorum Magistratum opera & ministerio: nam quod faciunt isti, ille potius facit in eis, *qui operatur in nobis velle & perficere.* Nisi enim Dominus ædificauerit hanc domū, in vanum laborant qui edificauerit eam. Nisi custodierit ciuitatē frustra vigilat qui custodit eam. *Qui plantat, & qui rigat nihil sunt, nisi Deus incrementum dederit.* Itaque eorum labores, vigiliæ, industriam, & opera Deus rectè sua esse declarat.

Ad hæc, nomine Sionis Ecclesia Catholica conuenientissimè significatur, quoniam illicitum maximè inchoatum est hoc mirabile, spirituale, atque diuinum ædificium, quando Christus in hoc datus nobis à Patre, cum Apostolis suis nouum Testamentum condidit, confirmauitque proprio sanguine suo dicens: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ex eodem Sione egressus prodiit ad vincula, condemnationem, crucem, & mortem: in eodem, rediuus Apostolis non semel apparuit: & post quinquagesimum diem, misso cum signis visibilibus Spiritu sancto in Discipulos, primos huius Ecclesiæ doctores & pastores, ac eosdem ad hoc sanctificauit, erudiuit, instruxit, & vt illam toto orbe plantarent, & propagarent hinc emisit. Ergo ex Sione vbi fuerat veteris Ecclesiæ, id est, Synagogæ primaria sedes, prodiit per Filium Dei baptismo renouata Ecclesia Catholica, quæ vniuersos orbis terræ fines tandem occupauit. Et ne de his aliquatenus ambigamus, adducuntur veterum Prophetarum prædictio-

Isa. 46.

Matth. 16.

Matth. 7.

Psal. 86.

Psal. 45.

Matth. 16.

et 18.

L. 1. de Euāgelica præpar. c. 3.

Philip. 2.

Psal. 126.

1. Cor. 3.

Matth. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

1. Cor. 11.

Ioan. 18.

Ioan. 20.

Act. 2.

Psal. 26.

Isa. 28. nes & oracula: *Ecce pono in Sion lapidē, &c. De Sion*
 Isa. 2. *exibit lex, & verbum Domini de Ierusalē. Constitutus*
 Psal. 2. *sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Virgam*
 Psal. 109. *virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, &c. De hoc*
 Com. in ps. *B. Basilus. Illic Christus & legem dedit, illic mi-*
 109. *racula operatus est, illinc prædicatio sumptis*
initiis vniuersum orbem obtinuit.

Christum porro vocant λίθον ἀκρογωνιαίον
 quod noster interpres dixit, *summum angula-*
rem. alij, *in summo ponendum angulo*: alij, *in imo*
ponendum angulo: alij simpliciter, *lapidem angula-*
rem: ad verbum, *summangularem*, reddi potest.
 Syrus interpres, *in caput anguli*. Hebræus Isaiās
eb hen pinnath, lapis anguli, omnia eodem sensu.
 Christus ergo dicitur *lapis*, propter summam fir-
 mitatem & immobilē veritatem. Summāgularis
 verò, quia primariū ac principale fundamētum,
 cui tota moles Ecclesiæ innitur: siue, quia prin-
 cipalis rector, pastor, doctor, atque rex est eius-
 dem ciuitatis supra montem positæ. *Angularis*
 quoque dicitur, quòd sicut lapis angularis duos
 necit parietes in vnius structuræ corpus; sic
 Christus Iudæos & Gentes in vnam fidem &
 Ecclesiā adduxit. *Alias oues habeo*, inquebat ille
 ad Iudæos, *quæ non sunt ex hoc ouili, & eas oportet*
me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.
 Hinc Tertullianus vir Apostolicorum tempo-
 rum: Vnde accepit Apostolus summū lapidem
 angularem dicere Christum, nisi de Psalmi signi-
 ficatione: *Lapis quem reprobauerunt ædifican-*
tes, &c. Et Cyrillus. Fundauit Ecclesiam, ipseque
 est fundamentum, in quo & nos tanquam lapi-
 des sumptuosi extruimur.

Eph. 2.
 Ioan. II.

L. 5. adu.
 Marc. c. 17.

L. 4. in Isa.
 c. 49.

Vocant etiam λίθον ἁγίων, *lapidem ele-*
ctum, quoniā primus electorū, & in quo omnes,
 & propter quem omnes alij à Deo electi sunt ab
 æterno, vnus Christus est. Hinc primo capite
 Petrus asseruit, eum præordinatū fuisse ante huius
 mundi constitutionē. Et Paulus nulla circuitione
 vsus scribit. *Elegit nos in ipso ante constitutionē mun-*
di, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Eph. 1.
 Ergo non temerè ab hominibus in Saluatorē &
 redemptorem electus & assumptus est, vt in eo
 omnem fidei & salutis suæ rationem constitue-
 rent, sicut de Theoda, Iuda Galilæo, & aliis ali-
 quot pseudochristis atq; seductoribus refertur:
 sed à Deo omnisapiente electus, & cōsilio atque
 decreto æterno destinatus noster seruator & iu-
 dex. Ergo in portu nauigamus, & omnis salus
 nostra est iam in vado, modò in Christo ad finem
 vsque permaneamus. *Non rapiet quisquam oues Ioan. 10.*
meas de manu mea, inquit: quia Pater qui dedit mi-
hi, maior omnibus est. Ideo Paulus exultans ait: *Rom. 8.*
Ego scio & certus sum, quia neque mors, neque vita
neque creatura alia poterit me separare à caritate
Christi.

Dicitur etiam hic lapis *pretiosus*, primò quo-
 nia Deo Patri filius est dilectus, in quo sibi bene
 complacuit. Pater diligit Filium, & omnia dedit
 illi in manu. *Pretiosus* quoque est in semetipso, eo
 quòd omni æternitate atque natura ipsa Deus,
 quo nihil maius, nihil præstātius, nihil pretiosius
 cogitari potest. Erat enim in principio apud
 Deum: & Deus erat Verbum. Ait de seipso: *Ego Ioan. 1.*
 & Pater vnus sumus. *Pretiosus* insuper, quando Ioan. 10.
 secundum alteram substantiam, conceptus est, Luc. 1.

232 COMMENTARIA IN CAP. II.
 de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, &
 quidem ex semine sanctissimorum Patriarcha-
 rum, Regum, atq; Pontificum illustrissimi san-
 guinis Hebræorum; immensis diuini Spiritus
 donis ornatus: omni præditus potestate in cælo
 & in terra; Angelis cunctisque aliis creaturis su-
 perior. Vniuersis quoque verè Christianis pretio-
 sus & carus est hic lapis, Christus, quãdoquidem
 illo nihil pretiosius habent. Hunc præferunt pa-
 tri, matri, vxori, liberis, ac sibimetipsis. Ideo nã-
 quam Petrus, quibusdam deficientibus ab illo,
 perstans dixit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vite
 aterna habes: & nos credimus & cognouimus, quia
 tu es Christus Filius Dei viui. Ecce nos reliquimus
 omnia, & sequuti sumus te.* Iacobus & Ioannes
 relictis retibus & patre sequuti sunt Domi-
 num. Matthæus & Zachæus amorem eius mul-
 tis opibus suis prætulerunt. Paulus cætera om-
 nia arbitratus est vt stercora, vt Christum lu-
 crificeret, & cæt. Ergo quantumcumque lapis
 iste Christus cum suo Euangelio, suisque sa-
 cramentis, ab impiis contemnatur, rideatur,
 abiiciatur: est tamen & coram Deo, & in
 seipso, & in electorum animis prætiosissimi-
 mus.

Et qui crediderit in eum, non confundetur.

Promissum istud nobilissimū intimo animo re-
 condendum, & persæpe meditandum. Quisquis
 totam fidem, totam spem, totam dilectionē, to-
 tam operū suorum gloriam, totam salutis suæ fi-
 duciam in Christum collocauerit, & in certissi-
 mis promissis eius recubuerit, non frustrabitur
 sua expectatione, non pudet coram Patre

& Angelis eius, non confundetur in postremo
 omnium iudicio. Hebraicè in Isaia: *Qui credide-
 rit, non festinet.* Id est, ferat patienter, etiamsi non
 illico Christus seruator appareat: quandoqui-
 dem certissimum est, quod tandem adueniet,
 ac seruos suos liberalissimè præmiabit. Paulus
 hoc idem Isaia testimonium cum isto Ioëlis cõ-
 iungit: *Omnis qui credit in illū, non cõfundetur:* ad eò
 sollicitè & vnanimè Prophetæ & Apostoli
 nos ad Christum inuitant atque remittunt. Et
 Discipulus quem diligebat Iesus sic adhortatur:
*Filioli, manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fi-
 duciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.*
 Nam vt extrema confusione erubescant impij
 quibus exprobrabitur, *Esuriui & non dedistis mihi
 manducare, &c. Ite maledicti in ignem aeternum, &c.*
 sic ineffabilis erit eorum honor atque gloriatio
 quibus ore proprio æternus Dei filius dicet: *De-
 distis mihi manducare, &c. Venite ergo benedicti, &c.*
 Tùm enim tuti erunt ab huius mundi ærumnis
 & minis, nullo deinceps mortis horrore tabe-
 scant, nullo denique diaboli vel inferorum me-
 tu consternabuntur: sed exultabunt in gloria,
 lætabuntur in cubilibus suis, &c.

7. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus
 autem, lapis quem reprobauerunt adificantes,
 hic factus est in caput anguli:*
 8. *Lapis offensionis, & petra scandali his qui offen-
 dunt verbo, nec credunt, in quo & positi sunt.*

Hic duo traduntur ab Apostolo. Primum, quàm
 honorabilis, vtilis, atque fructuosus sit Christus

Matth. 1.
 Luc. 3.
 Isa. 1.
 Matth. 28.

Ioan. 6.

Matth. 19.

Matth. 4.
 Matth. 9.
 Luc. 19.

Philip. 3.

Rom. 10.
 Ioel. 2.

1. Ioan. 2.

Matth. 25.

Psal. 149.

piè & constanter in eum credentibus: tantum nimirum honorem & fructū ex hoc consequentur, vt cum innumerabiles turbæ reproborum in postremo iudicio coram Deo, angelis, & omnibus sanctis eius confundentur, & cum omni cōtumelia probroque tormentis æternis adiudicabūtur: ipsi è contrario à Rege regum Iesu Christo coram celebrati, ab Angelis eius rapiuntur in nubibus obuiam illi in aëra: duplici gloriæ stola, corporibus nempe & animis decorati, & cum illo regnabunt in perpetuum, & honorificabit eos Pater qui est cælis. Qualis quantusque honor, amabò, quando per Christum hoc mortale nostrum induet immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem? Cùm iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum? Et lucebunt vt stellæ in perpetuas æternitates? Ad tantum certè honorem & decorem electorum reprobi stupentes exclamabunt: *Ecce quomodo reputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est!*

Alterum est, qualis Christus prædictus sit à Dauide & Isaiâ futurus incredulis primò Iudæis, deinde gentibus, hæreticis & omnibus apostatis ac infidelibus: nimirum lapis in quem sua culpa impingent pedibus, lædentur: illident ceruices suas, & malè peribunt. Hoc autem fit, cùm illi doctrinam eius vel respuunt, vel peruertunt, sacramenta irrident & blasphemant, Ecclesiam sponsam eius deserunt & persequuntur, præcepta seruare delectant, &c. Sic enim Christum clementissimum seruatorem & liberatorem nequitia & malicia sua red-

dunt sibi scandalum & offensionem, id est, iudicem & ultorem acerrimum. Ait enim: *Qui non crediderit, condemnabitur. Qui non credit, iam iudicatus est. Qui negauerit me coram hominibus, ego negabo eum coram Patre & angelis eius.* Et dilectus discipulus scribit. *Incredulis, execratis, homicidis, fornicariis, veneficis, idolatris, pars erit in stagno ardeni igne & sulphure, quod est mors secunda.*

Hæc vtinam, satis dignè, altèque mente secum omnes recogitarent, atque frequenter meditarentur. Hinc enim pij viri sese in bonas spes erigerent, & in diuina Christi religione animos suos confirmarent contra huius mundi tyrannos, Dei contemptores, & diabolos, eorumdemque odia, minas, molitionesque flocci facerent & nauci. Nec enim electos cultores suos destituet hic lapis fundamentalis, quando in eo constantes perstiterint. *Non te deseram, ait, neque derelinquam. Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi. Si per flumina, aqua non obruent te.* Paulo ter virgis cæso, semel lapidato, terque naufraganti nunquam defuit. Eundem autem tùm præcipuo & maximo affectu honore, cùm gladio cæsum Neronis inter beatissimorum Angelorum choros, gloria sempiterna in cælis coronauit. Vnum hunc piè & constanter credentem cognoris, omnes notis.

Impij è contrario, toti contremiscent, scelera sua exhorrescentes relinquerent, & parata sibi euitarent supplicia. Sic enim Achab, Manasses, Niniuitæ, diuinorum iudiciorum

Matth. 25.

I. Thess. 4.

Apo. 6. 19.
& 21.

Ioan. 11.

I. Cor. 15.
Matth. 13.

Dan. 12.

Sap. 5.

Apo. 11.

Mat. 15.

Ioan. 7.

Luc. 12.

Iosue. 1.

Heb. 13.

Isa. 43.

indignos vos iudicatis aeterna vita, ecce conuertimur ad Genes.

Attende verò, perfidiam & cæcitatē istam Iudæorum, qua Christum à se repulerunt, Deo quidem ab æterno notam fuisse, sed non ordinatam : & à Prophetis prænunciatam, verum ab illis sponte accersitam esse, veluti manifestè docet Christus exprobrans eis, *Lux venit in mundum, & dixerunt homines magis tenebras quàm lucem. Volui vos congregare quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas : & nolistis.* Sua igitur electione & propria voluntate dixerunt cæcitatē suæ tenebras, & arbitrij libertate salutis authorem abnegauerunt & probauerunt: nec ad id cœgit illos vlla præscientia vel prophetia. Quod aduersus Hugnosticos, autumantes, ea necessariò futura, quæ Deus præuidit: stareque non posse diuinam præscientiam, cum rerum libertate ac contingentiā notandum fuit. Nec enim præcisa dæmonum ac hominum peccata necessariò ab eis committuntur, sed sponte. Hieronymus veterem hanc Simonis magi, Marcionis, & Manichæorum impietatem constanter reprobat, & libertatem humani arbitrij confirmat omnibus illis scripturis quibus Deus ex conditione sic agit & cum hominibus loquitur: *Si forsitan audiant & conuertantur. Forsitan verebuntur filium meum. Forsitan ignoscet Deus. Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, &c.* Nam verbum ambiguum *forsitan*, maiestati Domini nõ potest conuenire: sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominum seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius, quasi necessitate vel facere quid, vel non

236 COMMENTARIA IN CAP. II.

terrore percussis, ad se redeuntē egerunt pœnitentiam, & cælestes euaserunt vltiones. *Si gens egerit pœnitentiam à nequitia sua, & ego pœnitentiam agam à malo quod aduersus eam locutus sum, ait Dominus.* Et Petrus tertiam turpissimamque negationem lacrymis suis diluit: & Thomas perfidiam maiori fide compensauit.

Venerab. Beda, & eum sequutus Lyranus, particulam hanc, *non credentibus autem*, ad Iudæos præsertim referunt, quoniam per ædificantes, & hunc lapidē reprobantes significantur. Nam Christum in similitudine carnis ad se missum repulerunt, offensi eius hominis assumpti infirmitate paupertate, & abiectiōe. Quod in Spiritu futurum præuidentes Dauid ac Itaias, illum dixerunt, reprobandum à Pontificibus, senioribus populi, scribis, & Pharisæis Synagogæ rectoribus: futurumque incredulis petram offensionis & scandali. His consonat veteris Simeonis hoc de eodem Christo, quem manibus gestabat, sacrum vaticinium. *Postus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel : & in signum, cui contradicetur.* Christus quoque post parabolam de occiso à vinitoribus Hærede, explicatam, iisdem Iudæis obiicit: *Nunquam legistis in scripturis: lapidem quem reprobauerunt adificantes, hic factus est in caput anguli?* Et huius perfidiæ pœnas comminatur dicens: *Amen dico vobis, relinquetur vobis Synagoga vestra deserta.* Postea quoque Paulus & Barnabas Iudæorum turbis Euangelicæ doctrinæ contradicentibus, & Christum blasphemantibus constanter dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, &*

Ierem. 23.

Matth. 26.

Ioan. 10.

Psal. 117.

Isa. 8. & 28.

Luc. 2.

Matth. 21.

Act. 13.

Ioan. 3.
Matth. 23.

Com. in c. 25.

Ierem. & 10

cap. 2.

Exech.

Ierem. 25.

Luc. 20.

Ioan. 3.

Act. 8.

facere cogatur. De eadem re Augustinus copiose aduersus Tullium differit, decem primis capit. libri quinti de ciuit.

Nec prætermittas Christum primò conferri cum lapide fundamenti, totam Ecclesiæ structuram sustinente & portante: deinde, cum lapide angulari, duos parietes connectente: terriò deniq; cum durissimo saxo ac Marpesia caute; impingentes pro imprudentia & stoliditate sua conterente & opprimente. Nam vt piis credentibus seruator est liberalissimus atque clemētissimus: sic incredulis, apostatis, improbis vltor acerrimus. Vasa sunt apta in interitum, in quibus ostendet quàm potens sit ad vlciscendum. Enimvero vel inuitos illos pro tribunali suo sistet, loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Quis terror quæ consternatio maior, ea qua tum percellentur, cum dicer illis. *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis eius?* Et illi vultum eius non ferentes, desperationeque fracti, vlulabunt, *Montes, cadite super nos?* Tunc desiderabunt mortem, & fugiet ab eis. *Malos male perdet.* Poner inimicos suos scabellum pedum suorum. Reget eos in virga ferrea, & tanquàm vas figuli confringet eos. Ergo vt multus est ad ignoscendum, sic & multus ad vlciscendum, &c.

Discant quoque populi Christiani Pontifices, Episcopi pastores & doctores, se à Deo præponente constitutos esse huius spiritualis structuræ, i. Ecclesiæ constructores & architectos: non pecuniarum collectores, non beneficiorum nundi-

natores, aut reditionum coacervatores & decoctores. Viuos ergo lapides, id est, animos conquirât, adhortationibus ex mundi sæcibus eruât tanquàm lapidiniis, Ecclesiastica disciplina huic ædificio coaptent, & caritatis cemento eisdem Christo, aliisque viuus membris eius connectât, si muneri suo nolint deesse. Sic enim doctor gentium egit, eodem de seipso scribente: *Secundum gratiam Dei qua data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificauit.* Sic enim ædificatur illa spiritualis Ierusalem, cuius participatio est in idipsum. 1. Cor. 3. Psal. 112.

Attendât etiã omnes Ethnici, Iudæi, Hæresiarcho, hostes Christi vanos fore cunctos suos conatus: quando quidẽ inuitis illis semper erit *caput anguli*, semper summus redemptor & rector Ecclesiæ suæ tam in terris quàm in cælis. *Qui habitat in cælis iridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Dedit enim Deus Gentes illi in hæreditatem, & in possessionem terminos terræ. Imperiũ eius permanebit cum sole & ante lunam, in generatione & generationem. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, &c.* Donatus conatus est eius regnum finibus Africæ coarctare, Sabellius, Lybiæ, Arius Orientis, Nestorius Cõstantinopoleos, alij aliis quibusdam terminis terræ Ecclesiam eius restringere: sed nihil obstantibus, conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Psal. 2. Psal. 71. Psal. 11.

Denique, si tantæ cæcitatibus Iudæorum causam, si ethnicæ impietatis aduersus Christũ sibi prædicatum & oblatum, reprobatur verò, curiosius rationem inuestiges, en tibi in Apostoli

Rom. 9.

Matth. 25.

Psal. 2.

Matth. 25.

Apoc. 6.

Matth. 21.

Psal. 109.

Psal. 1.

scripto præsto est: *offenderunt in verbo*, id est, per-
 uicaciter se opposuerunt Apostolis prædicanti-
 bus ipsissimum verbum Dei, & Messiam sibi
 oblatum furiosè repulerunt: *nec crediderunt in id,*
in quo positi fuerant: id est, in Christum sibi exhi-
 bitum & destinatum, prout instituti erant ad
 credendum. Coarguitur ergo ingens hominum
 ingratitude, quod destinatam sibi salutem præ-
 fractè repulerint, & præ aliis vocati Deum au-
 dire recusauerint. Idem offendiculum vsque in
 hunc diem durat in ea gente, cuius tamen pa-
 tres plurimas de Messia promissiones acceperunt,
 quarum hæredes isti esse deberent. In eadem ho-
 die causa sunt Hugnostici, qui Christum perso-
 naliter adorandum & inuocandum negant: ex-
 pressa eius verba de proprio corpore & sanguine
 suo percipiendi in metonymias; quicquid
 de paradiso & inferno prædicauit, in metapho-
 ras suas peruertunt: catholicam eius doctrinam,
 fidem, Ecclesiã immani odio prosequuntur: pa-
 trumque suorum summam pietatem multis pro-
 bris vexant atque proscindunt. Sed vt illi qui in
 saxum, rupemque firmam & solidam violen-
 ter impingunt, non ei nocent, sed sibi ipsis: ita
 & qui in hunc lapidem erroribus, blasphemis,
 aut persecutionibus impetum faciunt, turpissi-
 mè corruent & interibunt.

Christianos etiam admonet B. Augustinus,
 ne in hunc lapidem offensionis incurrant, gra-
 tiã illius derogando, & in ipsum peccando:
 quandoquidem censeat minus esse offendere
 Christum in cruce pendentem, quàm in cælo se-
 dentem.

Darius.

Calvin.

Serm. 15. de
verb. Apost.

9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium,
 gens sancta, populus acquisitionis ut virtutes
 annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in
 admirabile lumen suum.

Postquam probauit Apostolus Christum rectè
 & appositè comparari cum lapide uiuo & an-
 gulari: & cuiusmodi futurus sit tam credenti-
 bus quàm incredulis: nunc ostendit tantam esse
 Christianorum huic adhærentium dignitatem
 atque præcellentiam, vt verè proprièque dicantur
 lapides viui, templa Deo dicata & sacrata,
 domus Dei spirituales, sacrifici spiritualium ho-
 stiarum Deo longè gratissimarum. Probatio ve-
 rò sumitur ex his diuinis ad Israël per Moysen
 sermonibus: *Si audieritis vocem meam, & custodie-* Exod. 19.
ritis pactum meum, eritis mihi in peculium de omnibus
gentibus ac populis. Mea est enim omnis terra, & vos
michi eritis in regnum sacerdotale, & gens sancta. Item Deut. 7.
Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus
peculiaris ex cunctis populis qui sunt super terram. Et
 rursum. *Populum istum formavi mihi, laudem meam*
narrabit, &c. Hæc enim elogia carnali Israëli Isa. 43.
 quondam tributa sunt, tum propter eximiam
 Abrahæ patris eorum pietatem, tum omnium
 maximè propter Christum ex eorum semine vē-
 turum. At verò, cum ille frequenter ad idola de-
 flexit, denique Messiam ad se missum despexit,
 abnegauit, crucifixit, velut adulterio, homicidio-
 que pollutus, iure à Deo vicissim repudiatus est:
 & in eius locum & ordinem populus Gentium
 credentium assumptus. Ad hos ergo conuertit
 orationem D. Petrus. Vos Deus fecit illud genus

electum, de quo loquuti sunt Prophetæ, gentem illam sanctam, populum peculiarem, quem sibi Deus vendicauit: vt quemadmodum olim populus Hebræorum duce Moyse liberatus ab Ægyptiaca tyrannide, perque tot rerū discrimina perductus est ad terram diu speratam, diuinam erga se beneficentiam orbi prædicauit: ita & vos memores illius erga vos gratuita benignitatis, celebretis apud omnes admirabilem Dei potentiam: qui noua ratione deuictis hostibus salutis vestræ, eruit vos ab ignorantia vitiorumque tenebris in admirabilem lucem suam Evangelicæ veritatis, per quam omnes & Gentium errores, & Iudæorum vmbra discuriuntur. Singulos autem titulos quibus Christianos exornat, discutiamus.

Primò, vocat eos, *genus electum*, id est, progeniem ex toto genere humano à Deo dilectam, diuinisque institutis & beneficiis præ cunctis aliis cohonestatam, & velut pecuniam Deo dicatam & sacratam. Quotquot siue ex Gentibus siue ex Iudæis Christi fidem amplectimini, in Iudæorum locum & ordinem estis suffecti. Abscisi sunt velut rami inutiles, vos inserti estis in bonam patriarcharum oliuam. Vos estis verum semen Abrahæ, quotquot opera Abrahæ facitis. Obstinati verò illi qui Messix reluctantur legibus, sunt ex patre diabolo, cum desideris eius obtemperent. Vos præpotens Deus fecit ex lapidibus (i. idolorum lapideorum cultoribus, ait Clemens Alex.) genuinos filios Abrahæ. Et quid dico Abrahæ? Imò germanos Dei viuentis & omnipotentis filios, &

Christi sui cohæredes.

Recogitate ergo dignitatem vestram Christiani, & indignissimum turpissimumque existimate, deinceps seruire diabolo, aut carnis mundique cupiditatibus. Nam dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius: fratres Christi: & regni eius cohæredes esse.

*Io. I. 10. 29.
Rom. 8.
Ephes. 3.*

Notate etiam summam in vos Dei bonitatem, qua tot hominum myriadibus in Oriente, Occidente, Septentrione, ac Meridie, in tenebris exterioribus & interioribus relictis, & velut à se repulsis: vos elegit, vocauit, totiesque in peccatis prolapsos erexit & iustificauit, cum iustissimè reprobare atque perdere potuisset. Quid retribuetis Domino, pro omnibus quæ gratis tribuit vobis? An non maxima ingratitudine rei eritis, si non redamaueritis Dominum sic vos amantem?

Psal. 115.

Quibus autem meritis præcedentibus, quibus virtutum officiis, sic præ cunctis aliis eligi à Deo meruistis? Nullis prorsus. Ergo fundamentum salutis vestræ, quod est electio, omnino à gratia & beneuolentia Dei pendet. Non est autem gratia, inquit Augustinus, nisi gratuita: quia nihil boni ante feceramus, vnde talia dona mereremur. Magis quia ne non gratis inferretur supplicium, ideo gratis præstitum est beneficium. Nihil præcesserat in meritis nostris, nisi vnde damnari deberemus. Ille autem non propter nostram iustitiam, sed propter misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.

*Eph. 1.
Ioan. 1.*

*Expof. 2. tit.
Psal. 18.
Rom. 5.*

Tit. 3.

144 *Quædam*, tametsi non secundum carnem & sanguinem, nihilominus iuxta fidem & pietatem estis veri Israëlitarum, & semen electum sanctumque sanctis patris Abrahamæ. Est enim pater, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed iis qui sectantur vestigia fidei quæ est in præputio eius. *Cognoscite quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahamæ, &c.*

Secundò, illos appellat *regale sacerdotium*, id est, tam magnificentum, augustum, & sacrum, ut prope diuinum sit atque cæleste. Est autem hinc venusta immutatio verborum Moysis, cum D. Petrus vocet *regale sacerdotium*, quod ille dixit, *sacerdotale regnum*. q. d. Moyses vocabat patres vestros sacrum regnum, quia totus populus quasi regia libertate gaudebat, & ex eius corpore electi erant sacerdotes: proinde utraque dignitas quasi permixta erat. Nunc vos, estis sacerdotes regij, & quidem præstantiore modo: quia singuli Christo per Baptismum, sacrum chrismæ & oleum consecrati estis, ut sitis & regni eius socij, & sacerdotij participes. Tametsi ergo aliquid vobiscum simile habuerint Patres circumcisi, illis tamen per Baptismi gratiam longè præstatis.

Attende ergo quanta sit facti huius lauacri præstantia & efficacia, qua nos non solum ut viua membra viuenti Christo coniungimur & incorporamur, ut spirituales Reges & sacrificij eius participatione reddamur. Et Reges quidem, ut per eius gratiæ virtutem prauis cupiditatibus animorum, & voluptatibus, corporum impetremus, eisdemque velut infestissimos hostes ac

perduelles frangamus & extinguamus. Reges inquam, inauguramur, ut intellectu, voluntate, memoria, sicque omnes animæ facultates: deinde, oculos, aures, linguam, manus, pedes, & reliqua corporis nostri membra, sensuumque exteriorum organa, sic ad diuinam obedientiam flectamus, & iuxta sacræ legis præscripta moderemur atque regamus, ut nihil in nobis sit, quod non pœnitentia Deo subiiciatur & obtemperet. Magno præsentique animo calcetur superbia & omnis ambitus, pessum eat auaritia & auri sacra fames, extinguatur carnis lasciuia, gula frenetur, nec vllum aliud lethale peccatum regnet in nostro corpore. Nam fortior est qui seipsum vicit, quam qui plurima regna. Et latius reges audum domando spiritum, quam si Lybiam remotis Gadibus iungas, & uterque Pœnus seruiat vni.

Ita etiam in *Sacerdotes* spirituales omnes sacramur & ordinamur, ut hostias laudis gratiarum actionis, sacrificia precum & orationum, munera eleemosinarum spiritualium & corporaliū, oblationes cordis contriti & humiliati, & alia plurima sacrificia iustitiæ, eidem Deo viuenti & possimus & debeamus vniuersi immolare. Hunc itaque diui Petri locum, hoc spirituale sacerdotium, hanc sacrificandi formam, nec Papa, nec Episcopi, nec ab his ordinati Sacrificij, aut Monachi, de se tantum intelligendum contendunt, ut calumniantur & oblatrant Hugnostici: nec venit notanda Pontificis Rom. sacrilega audacia, qua sibi vendicet, quod omnibus Christianis commune est, quemadmodum R. Gualtherus cum suis vrsis ac lupis helueticis vlulat: quando

Rom. 4.
Gal. 3.

Exod. 19.

quidem hanc dignitatem, hunc gradum, hoc sacerdotium spirituale, sine ullo sexus aut conditionis discrimine, vniuersis in Christo renatis, & sacro Chrismate vnctis & sacratis concedimus, prædicamus tribuimus, & commune esse constanter & palam profiteamur. An nõ ergo sepulcrum patens, & horrendum exhalans est guttur istorum, & linguis dolose agunt? An nõ venenum aspidum sub labiis eorum? Iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus & tetræ calumniis suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam sic Ecclesiæ tuæ pastoribus obloquendo, irritauerunt te, Domine, &c. Quæ in hunc locum norauerunt sanctissimi Patres, subiicio.

Clemens Alex. hinc colligit, nos ne aures quidem stupri ac fornicationis sermonibus inquinare debere, vt pote qui Dei imaginem circumferamus, simulque Deo donati & dicati, genus electum, regale sacerdotium, &c.

Athanasius inde contendit, licere nobis etiam die sabbathi operari, eo quod populo quidem Iudæorum prohibitum esset, verum Sacerdotibus permissum: nos autem omnes simus regale sacerdotium.

Cyrillus Alex. vnumquemque admonet, vt sacerdotium agat animæ suæ, ignem fidei semper fouens in altari suo, & lucernam scientiæ accendens, lumbis sancta castitate præcinctis, eo quod scriptum sit: Omnes vos sacerdotes Domini eritis: Gens sancta sacerdotum, &c. Idem postea docet deponenda esse à nobis vestimenta fordida, id est, morum vitia, & inquinamenta libidinum, vt offeramus Deo hostias

laudis, orationum, misericordiæ, pudicitæ, iustitiæ, & sanctitatis: quandoquidem simus genus electum, regale sacerdotium, &c. Omnes enim quicumque vnguento sacri chrisomatis delibuti sunt, subiicit, sacerdotes affecti sunt, sicut Petrus dicit ad omnem Ecclesiam. Vos estis genus electum, &c.

Hilarius iubet, gloria sæculi tumentes, & nobilitatis carnalis opinione nimium elatos, factum deponere: quoniam iis qui in Christo renati sunt, dictum est: Beati pauperes spiritu. Vos genus electum, regale sacerdotium, &c.

Ambrosius ex iisdem asseruerat, nos vt sacerdotes, sic & reges constitui, qui offeramus Deo in Ierusalem sapientiæ suæ munera, quibusque data est gratia verbum Dei loquendi, & quadam potestate regali flectere populos, & animas mulcere sanctorum, &c. Idem alibi, hoc beneficium refert inter ornamenta, quibus Deus Pater per aduentum filij genus nostrum illustrauit, quod nos effecerit filios lucis, filios promissionis, filios Abraham, filios Dei, genus electum, regale sacerdotium, veros Israelitas, &c.

Tertio titulo dicitur *gens sancta*. Sed quopacto id verum esse potest, cum gentiles ante conuersionem ad Christum, & multiplici idolatria, & aliis nefandis sceleribus, essent contaminati? De Iudæis quoque suis dicat Iſaias: *Falsi sumus immundi omnes?* Respondeo. Sacras vndis tincti in nomine sanctiss. Trinitatis, omnia scelera deposuerunt: quæ verò postea deliquerant, pœnitentia per Christum instituta, deleta sunt. Pau-

Apoc. 5. 20.

Psal. 5.

Psal. 139.

Orat. exhortat. ad Gentiles.

Hom. de festiuitate.

L. 4. in Leuitico.

Isa. 51.

1. Petr. 2. L. 9. in Leuitico.

In Psal. 118.

In Psal. 117. Oton. 6.

L. de vocat. gent. cap. 6.

Isa.

lus enim ad Corinthios horrendis olim sceleribus contaminatos scribit: *Et vos hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Gens ergo Christiana, verè sancta est atque dicitur, quoniam munda ta est, & in dies purgatur & sanctificatur à peccato originis per Baptismum, & à lethalibus per pœnitentiam. Deinde, etiam sancta est, quia per Christum Deo oblata est atque dicata. Sancta denique, quoniam omnem vitæ puritatem, morumque synceritatem ac sanctimoniã huius religionis professio requirit. Leuit. 19. Deut. 14. Psal. 14. Isa. 33. &c. Quantum ergo falluntur, qui sub Christianæ libertatis titulo carnis libertatem affectant, mundoque seruire student?

Quartò, Christianos appellat, *Populum acquisitionis*, seu, in acquisitionem, qui in lucrum accessit, quem sibi Deus vt proprium vindicauit: sic enim λαὸς εἰς ἀποκτήσειν non incommodè à quibusdam interpretatur. Syrus: congregatio redempta. Dominus enim nos vocauit, vt tanquam verè suos, & sibi addictos possideat. Atque hunc sensum comprobant verba Moyfi. *Si custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de omnibus gentibus ac populis.* Vult igitur Aposto-
Exod. 19.

rus, filium suum non solum in formam mercatoris, verum & serui misit in hunc mundum, qui vos vitæ suæ, corporis sui, sanguinis sui, animæ suæ pretio ab hostibus redemit, & Deo Patri suo acquisiuit atque restituit. Magnitudinem tanti beneficij, quæso vos, attentis animis expendite. Qui serui eratis, nunc *Reges*: qui profani, nunc *Sacerdotes* spirituales: qui reprobi & prope desperati, nunc *genus electum*: qui omnibus peccatis conscelerati, nunc *gens sancta*: qui perditii, nunc *acquisiti*: qui mortui, nunc *viuentes*: qui abiecta rudera & veteres ruinæ, nunc *lapides*
Eph. 2.

viui, ædificati supra fundamentum Apostolorum, Prophetarum, & omnium sanctorum, quod est Christus Iesus. De ista facta per Christum acquisitione, eiusdemque fructu ac vtilitate, Paulus scribit: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Er ad pastores Ecclesiarum minoris Asiæ: *Attendite vobis & uniuerso gregi in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopo regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo.*
I. Cor. 6.
Act. 20.

Attende in his incomparabilem erga nos Dei bonitatem, qua nos natura pollutos, sanctificat: fædos & reprobos eligit: ex filiis iræ atque gehennæ, peculium & hæreditatem suam facit: Satanæ denique mancipia, in regiam libertatem euehit. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret. Commendat caritatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Ergo multo magis recõciliati, salui erimus ab ira per ipsum.* Quòd si à Deo empti atque redempti, iam non sumus proprij iuris: sed membra Christi, & templa
Ioan. 3.
Rom. 5.
I. Cor. 6.

Spiritus sancti. Quanta ergo iniustitia aduersus eius voluntatem & imperium toties peccando insurgere?

Subiicit tandem Apostolus tot acceptorum à nobis beneficiorum causam finalem, d. *ut virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Harum virtutum nomine, summa infinitaque Dei misericordia, bonitas, beneuolentia, prouidentia, sapientia, potentia, misericordia, veritas, &c. comprehenditur: quoniam omnes hæc Dei virtutes & perfectiones in aduentu & negotio Christi cunctis patefactæ sunt. Has porrò & voce, & calamo, & vita, nos decet in æternum prædicare, mirari, & celebrare: ne plusquam belluinæ ingratitude arguamur atque damnemur. Et hoc etiam B. Petrus desumpsit à Prophetis, in quibus ita Dominus loquitur: *Populum istum formauit mihi, laudem meam narrabit.* Christus caput sanctorum pro completo redemptionis opere promittit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Et membris suis: *Populus qui creabitur, laudabit Dominum.*

Ad hoc etiam officium pertinet publica & constans fidei Christianæ loco & tempore facienda confessio: aliàs ille nos abnegabit coram Patre & Angelis eius. *Benedicite Deum cali,* inquit Angelus Raphaël, *& coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Et Paulus ait. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ecclesia prisca iure damnauit Elchefsartas, dicentes nõ esse peccatum in persecutionibus, ore negare

Christum, modò corde fides in eum seruaretur.

Cur verò tantopere Dei virtutes, & beneficia per Christum nobis exhibita celebrare & annũciare iubemur? *Quia de tenebris* vel superstitionis ethnice, vel Iudaicarum umbrarum *nos vocauit in admirabile lumen suum* Euangelicæ doctrinæ atque fidei Christianæ: quò patet plusquam magnifica gratiæ ac misericordiæ Dei nostri largitas atque magnitudo. Meditemur itaque, qualis fuerit ante Christum nobis prædicatum & reuelatum nostra omnium conditio. In tenebris interiorib. omnium errorum & vitiorum versabamur, quæ nos ducebant ad tenebras exteriores, vbi est perpetuus fletus & stridor dentiũ. Et hoc desumpsit Apostolus à Propheta dicente: *Tenebra operient terram, & caligo populos: super te autẽ orietur Dominus, & gloria ei in te videbitur.* Hoc olim per dẽsas Ægyptiorũ tenebras adumbratum fuit: quandoquidẽ Israëlitæ clarissimo luminæ gauderent, infidelibus in plusquam cimmeriis tenebris degentibus. Cũ itaq; Christus sit lux mũdi, & doctrinæ atq; fidei suæ splendore illuminet omnẽ hominẽ venientem in hunc mũdũ; vbicunq; admissus fuerit, illic resulgebit vera religio: vbi defuerit, obtinebunt crassissimæ tenebræ. Hinc Paulus ad quosdam qui non ita pridem crediderant, ait. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulare.* Et ad alios: *Abiicitus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis, sic vt in die honestè ambulemus.*

Hæc porrò doctrina & fides verè est *lumen admirabile*, quoniam omnium errorum tenebras dispellit; aperit verò mysteria cælestia, quæ

Ioan. 3. &
15.

Rom. 3. &
8.

Philip. 2.
Tit. 2.

Isa. 43.

Psal. 21.

Psal. 101.

Matth. 10.

Marc. 8.

Tob. 12.

Rom. 10.

Enf. l. 6.

hyst. c. 28.

Matth. 3. &
22.

Isa. 60.

Exod. 10.

Ioan. 2.

Ioan. 1.

Eph. 5.

Rom. 13.

omnibus sapientibus huius mundi, omnibus Philosophis, Poëtris, oratoribus, quantumvis sagacibus retroactis sæculis fuerant ignota, *Ab-scendisti hæc*, inquit Dominus, à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Et quia per sapientiam suam Mundus non cognouit Deum, placuit Deo per stultitiã prædicationis, saluos facere credentes. Sic stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, &c.

10. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc misericordiam consequuti.*

Illustrat dignitatem quæ Christianis contigit, per aduentum Christi, & susceptam religionem eius: simulque superiores honorum titulos confirmat Prophetæ testimonio: quod & Paulus in eundem finem allegat. Testimonium autem duo summatim comprehendit. Primum, quales fuerimus aliquando, antequam ad religionem Christi vocati simus: nimirum, *Non populus Dei*: ergo diaboli, & inferorum ciues. *Nec misericordiam consequuti*: ergo itam indignationem, ultionem, extremamque maledictionem: & (vt loquitur Paulus) *vasa iræ aptata in interitum*.

Ergo incorrupta per primam generationem natura nostra, nihil nisi peccatum, ad peccandum procliuatatem & damnationis materia reperitur: Ideo vt ad hanc communem conditionis nostræ miseriam agnoscendam & meditando ferio perducamur, Scripturæ personat: *De celo prospexit Dominus super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinave-*

runt simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Non inuenio in me, id est, in carne mea, bonum. Conclufit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.

Quod autem Gentilium respublica verè non fuerit populus, apertè Moyses scripsit: *Prouocabo eos* (Iudæos refractarios & improbos) *in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Quod B. Augustinus sic exponit. Neque enim fuit cæcus multitudinis iuris consensu, & vtilitatis communionione sociatus: eò quòd non sit ius vel iustitia, vbi Deo non seruitur. Quomodo enim populus Dei, qui tot dæmoniis seruebat, quor idolis? Omnes siquidem dij gentium dæmonia. Et Isaias: *Ecce gentes quasi stilla stula, & quasi momentum statera reputata sunt. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Tanti momenti est, si Deum vera religione cognoscas & colas.

Alterum quod Osæ testimonio comprehenditur est, quàm ingens bonum, quos thesauros, quanta beneficia per aduentum ac religionem Christi consequuti simus: videlicet, vt iam verè simus populus Dei, id est, filij & domestici eius. Ita grandem indulgentiam, peccatorum remissionem, & misericordiam nacti, vt ex incredulis ac infidelibus, credentes, fideles, & veri Dei, veri cultores & serui iam euaserimus. Quis hæc attendens vt decet, non statim agnoscat Dei summam in filios hominum beneuolentiam? Quis non assurger illico in gratiarum actionem, & continuam laudem Dei? Itaque cum beatis

Matth. 11.

1. Cor. 1.

Ose. 3.

Rom. 9.

Rom. 9.

Psal. 13. & 53.

Psal. 95.

Isa. 40.

L. 19. de ci- uis c. 11.

Thren. 3.
Psal.
Psal.

254 COMMENTARIA IN CAP. II.
prophetis exclamandum : *Misericordiae Domini quia non sumus consumpti. Misericordias Domini in aeternum cantabo. Misericordias eius super omnia opera eius.*

Monemur denique vt scimus grati Deo, qui nos nihil tale meritos, plusquam paterna benignitate & clementia respexit : & hæredes regni cælestis ex mera misericordia scripsit, cum posset nos in massa perditionis & cæcitate mentis derelinquere.

II. *Carissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere à carnalibus desideriis, qua militant aduersus animam.*

Quia paululum intermiserat institutas exhortationes ad pios & Christiana religione dignos mores, vt de Christi dignitate, gratia, clementia & operibus; postea, de Christianorum præstantia & ornamentis dissereret : nunc ad intermissas paraneses reuertitur. Ac primò quidem docet etiam fugienda esse peccata externa & corpora, sicut initio huius capituli docuerat deponenda esse peccata interna & spiritualia. Vocat autem hoc loco *desideria carnalia*, ea quæ ex fomite peccati originalis in carne suboriri solent, vt sunt inordinatæ cupiditates honorum, dignitatum, sacerdotiorum, & præfecturarum, quæ ad superbiam referuntur : *desideria pecuniarum*, opum, thesaurorum, quæ ad auaritiam pertinent : præposterus affectus corporum scortantium, & aliarum libidinum, quæ ad luxuriam spectant : *desideria* comestationum ac ebrieta-

tum, quæ gulæ tribuuntur : & cætera huiusmodi peccata, quæ ex carne oriuntur, per carnem exercentur, & palam etiam ab hominibus spectantur, damnantur, & sæpe à magistratu plectuntur. Vnde & Syrus legit, *à concupiscentiis corporis*. Rursum, etiam per *carnis desideria* comprehendit Apostolus peccata quæ passim committuntur aduersus præcepta secundæ tabulæ Decalogi, veluti sunt quæ contra parentes admittuntur, homicidia, furta, falsa testimonia, &c. Denique, non tantum externa prohibet peccata, verum & prauos affectus & cogitationes, quibus ad peccandum sollicitamur.

Duplici autem argumento ab his cauendum & abstinendum esse suadet. Primo à communi omnium hominum conditione, videlicet quod omnes aduenæ simus atque peregrini : igitur non oportet nos rerum huius mundi curiosos vel amatores esse, vt potè in aliena republica versantes. Nam sicut peregrini ac exules, obiter per hunc mundum tanquam per terram alienam, aut aliquod diuersorium transcuntes, ad cælestem patriam festinare debemus.

Secundò, ratiocinatur Apostolus à pugna iugique dimicatione carnis & animæ. *Carnalia desideria*, inquit, *militant aduersus animam*, Christi gratia sanctificatam, reformatam, & iustificatam, vt eam peccatis contaminent, diabolo subiiciant, & sempiternis mancipent suppliciis. *Militant* inquam die ac nocte : *extra & foris* à fronte & à tergo, à dextris & à sinistris, vt æternam eius salutem omnino præpediant atque subuertant. Ergo velut ab hostibus infestissimis

& perniciosissimis sollicitè cauendum est. Qui enim illis desideriis seruiunt, parum differunt à porcis, canibus, asinis, & aliis belluis, quæ passionum corporearum æstu abripiuntur, & sine ratione ac modo ad eas complendas feruntur. Ait autem Spiritus sanctus: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Insuper, docet, his desideriis vacantes, & in voluptates humanas seipso immergentes, faciliè tandem à Deo deficere, & spiritualia dona fastidire. Idcirco ait *fornicatio, ebrietas, & vinum auferunt cor.* Item. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.*

Notanda in primis est summi huius rectoris Ecclesiæ, ac principis Apostolorum eximia modi ratio ac humilitas: qui cum suo iure posset magna autoritate præcipere, maluit demissione & caritate magna non solum rogare, sed etiam obsecrare. Nouerat enim animos hominum facilius vinci & flecti hac prece quàm duris ac seueris imperiis. Sic & Paulus scribit ad Philemonem. *Fiduciam habens imperandi tibi quod ad rem pertinet, magis obsecro.* Et alibi. *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Obsecro vos ego vincetus in Domino, ut ambuletis vocatione qua vocati estis, &c.* Hos autem humilitatis gradus & caritatis affectus à Christo præceptore didicerant, qui pro lucrands Deo Patri hominibus, semetipsum exinanuit, &c. A Christi ergo institutis absunt quàm longissimè arrogantes & tyranni, qui omni verbo imperant, minantur, tonant, fulmi-

nant, &c. Christianos iterum atque iterum monet aduenas esse ac peregrinos, quoniam vbicumque terrarum

rarum agant, huic mundo sunt hospites. Deus namque non commorandi, sed hæc transeundi spatium dedit. Ergo non decet nos huic mundo nimium addictos esse: sed patriam nostram, ciuitatèque permanentem, cælum empyreum, id est, paradysum computare. At verò, tot diuina & apostolica monita, non possunt obesse, quin plus nimium cuncti mundum diligant, quærant, & carius, quàm cælum votis completantur.

Non vniuersa tamen carnis desideria prohibentur aut damnantur, quandoquidem desideriis cibi, potus, somni, sanitatis, item calefaciendi, & induendi carnem suam, etiam sanctissimi Prophetæ Apostoli, aliquando, sine peccato inseruierunt. Ab his ergo tantum abstinere iubemur, *que militant aduersus animam*, sunt immoderata, & Diuinis mandatis aduersantur. Hinc Paulus scribit. *Debitor sumus carni, non ut secundum carnem viuamus. Curam carnis ne feceritis in desideriis. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.*

Leue quidem videtur sibi blandienti carni, si cupiditatibus suis indulgeat, voluptati aliquando laxet habenas: sed tamen in his periclitatur anima: quæ si perdat, nihil iuuabunt omnia mundi commoda. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patitur?* Pœnitentia dolorque voluptate comparantur. Ergo sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.

Sed quid hoc postulat Apostolus ab his, quos paulò ante vocat *genus electum, gentem sanctam*

Psalm. 37.

Ost. 4.
Eccl. 19.Vesf. 8.
2. Cor. 5.
Eph. 4.

Philip. 2.

Philip. 3.

Hebr. 11.

13.

Rom. 8.

Rom. 13.

Gal. 5.

Matth. 6.

lapides viuos, populum Dei? Non fidem, non gratiam adoptionis semel acceptam possunt electi ad tempus amittere? possunt planè: aliàs non moneret Paulus, *Qui stat, videat nec cadat.* Item. *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem, existimetur aliquis nostrum deesse.* Sed neque timuisset, ne Serpens qui seduxerat Euam astutia sua, ita corrumpere Corinthiorum sensus & animos à simplicitate, quæ est in Christo. Denique, nec Dauid, nec Ionas, nec Aaron sub veteri Testamento: nec Petrus, nec Thomas sub Euangelio tam fœdè lapsi essent, si in fide ac bonis moribus electi peccare non possent, vti blaterant Caluiniani.

Verùm, quibus auxiliis id præstabimus, quod hîc iubet princeps Apostolorum? Si Diuinæ gratiæ præsidia in primis studiosissimè conquisierimus. Ait enim Paulus: *si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Ter ipse rogauit Dominum, vt stimulo carnis liberaretur: & responsum est ei. *sufficit tibi gratia mea.* Deinde, si Diuinis verbis, ne concupiscentiis prauis adhærescamus præcipientibus, credamus & obediamus. Denique, si colloquiis & confortiis impudicorum abstinuerimus; & ieiuniis, abstinentiis, vigiliis, sanctisq; laboribus, carnis lasciuientis & superbientis impetus fregerimus, eadēmq; rationi & sancto Spiritui seruire compulerimus. Sic enim & Apostoli, & sancti patres castigauerunt corpora sua, & in seruitutem redegerunt, ne reprobi efficerentur.

Cyrillus Alex. rectè ex superioribus verbis colligit, non sufficere ad perfectam virtutis ra-

tionem à malis desistere, nisi etiam à malis abstineamus concupiscentiis. Et quemadmodum duplex est macula, videlicet, animæ & corporis, ita meritò etiam necessaria duplex purificatio animæ & corporis, &c.

Damascenus eadem versans, docet, malis cupiditatibus obsequendum non esse. Addit verò ex diuinis vocibus. Non concupisces vxorem proximi tui, non domum, non agrum, non seruum, non ancillâ, non bouem, &c. Post concupiscentias tuas ne eas: & à voluntate tua auertere. Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Subiicit & hoc simile Chrysofomi. Vt passerem nihil pennæ iuuant, cum laqueo interceptus est; ita nec tibi quicquam prodest ratione præditum esse, si ab improba concupiscentia expugneris.

12. *Conuersationem inter Gentes habentes bonam: vt in eo quod detractant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

Hæc secunda exhortatio est de politica humanaque conuersatione inter Gentiles, adhuc à fide & religione Christianorum abhorrentes, in omni pietate, & virtutum officiis transigenda, ne illis essent offendiculo, sed exemplo. Est enim nobis viuendum in hoc sæculo non solum coram Deo, & Angelis eius, verùm etiã cum hominibus, magna ex parte infirmis, morosis, improbis, maledicis. Idcirco non tantum cauendum ab occultis peccatis, quibus solus Deus

260 COMMENTARIA IN CAP. II.
offenditur; sed etiam à manifestis & publicis
sceleribus, quibus & proximi prouocantur ad
peccandum, & maleuoli ad religionem no-
stram blasphemandam atque lacerandam in-
citantur. Quinimò cunctis quibus conuiu-
imus, studiosè & diligenter præluendum est
exemplis bonorum operum, cum in Deum, tum
in proximos, amicos, & inimicos. Sic enim
Christus fieri iubet: *Luceat lux vestra coram homi-
nibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Pa-
trem vestrum qui in caelis est.* Et rursum. *Providentes
bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus
hominibus.* Rursumque. *Honestè ambulate, etiam
ad eos, qui foris sunt.*

Matth. 5.
Rom. 12.
2. Cor. 8.
Coloss. 4.

Qui autem prauis exemplis alios ad peccan-
dum incitant atq; deprauant, tanquam Dei con-
temptores & animicidæ maledicuntur & plectun-
tur, dicente Domino: *Commaculastis nomen meum
sanctum, polluistis nomen meum in gentibus.* Et alibi.
Per vos nomen meum blasphematur inter gentes. Chri-
stus quoque grauissimè succenset scàdalum aliis
obiicientibus, ait. *Va mundo à scandalis. Si oculus, si
manus, si pes scandalizat te, erue eum abs te, &c.* Ergo
conuersatio nostra inter alienos à fide, debet
esse pia, honesta, exemplaris, vt hîc suadet sum-
mus post Christum Ecclesiæ rector.

Ezech. 39.
Isa. 52.
Rom. 2.
Matth. 18.

Ostendit etiam Apostolus, quàm difficilis &
periculosa fuerit Ecclesiæ initio Christianorum
conditio. Viuebant enim passim inter Iudæos
adhuc incredulos, & Gentiles idolorum cultui
deditos, qui omnes paribus odiis Christum &
eius religionis professores persequebantur: &
ipso tantum dictu, horrendis & execrandis ca-

lumniis eos palam vexabant & lacerabant tan-
quam maleficos homines, & indignos qui præ-
senti luce fruerentur. Referunt enim Iustinus,
Tertullianus, Athenagoras, Minutius, Arnobius,
Eusebius, & Nicephorus, in primis eis imposi-
tum fuisse, quòd in sacris cœtibus suis carnibus
humanis vescerentur, & sanguine sitim exple-
rent. Occasionem vnã calumniæ adfert Eu-
sebius, quòd Simoniani & Gnostici (Nicetas &
Pellus illis addunt Psallianos & Euchitas) hæ-
retici, huiuscemodi execrandis escis vterentur:
& cum hi nominari vellent Christiani, alios om-
nes his pares & participes esse ethnici putabant.
Alteram addit Oecumenius, nimirum, quòd
Christianorum serui adhuc gentiles, ex dominis
audientes, se in sacra Communione vesci cor-
pore & sanguine Christi: & non satis intelli-
gentes, ad calumniam rapiebant, dicentes eos
humanis pasci carnibus. At, de Ethnicis non ad-
modum mirum.

Com. in hunc
locum.

Sed omne prodigium superat, quòd Theodo-
rus Beza, eiusdemque furfarris Ministri & præ-
dicantes, istorum verborum Christi, *Accipite &
comedite, Hoc est corpus meum: Nisi manducaueritis
carnem Filij hominis, &c.* non ignari, eandem ca-
lumniam aduersus totam Ecclesiam Cath. nunc
instaurant, & verbis scriptisque quàm possunt
atrocibus ac virulentis adaugeant, nos esse di-
sitantes, Antropophagos, Cyclopes, Cre-
ophagos, Hæmatopotas; & quicquid aliud bla-
sphemix spiritus illis suggererit.

Matth. 26.
Ioan. 6.

Veluti scilicet Dominus noster Iesus non
religionem, sed belluinam & Cannibalicam

Psal. 73.

quandam feritatem ipse primus exercuisset, & suis inde præcepisset. Exurge Domine Deus, iudica causam tuam, memor esto impropiorum tuorum, eorum quæ ab his insipientibus sunt tota die. Redde improprium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.

Psal. 78.

Secunda calumnia tunc Christianis intentata erat, quod in suis nocturnis, vigiliis, luminibus extinctis, sine vlla religionis, aut consanguinitatis differentia promiscuè commiscerentur. Tertullianus scribit, hoc illis ideo tributum fuisse, quod fratres ac sorores sese mutuo compellerent, & fraterno planè amore se complecterentur. Sed & quod fratres nos vocamus, inquit ille, non aliàs infamant, quàm quod apud ipsos (ethnicos) omne sanguinis nomen de affectione simulatum est, &c.

Apologes.

Tertiam calumniam refert Augustinus, quod Christus fuerit magus, artibusque magicis miracula fecerit: iisdemq; artibus Discipulos suos imbuerit. Sed Iudæorum inuentum fuit dicentium: *In Belzebub principe demoniorum eiicit demonia*, quod illico Dominus fortissimis argumentis confutauit. Apostolosque aduersus huiusmodi sycophantias communiuit dicens: *Si patrem familias Belzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?*

L. I. de conf. eu. c. 9. 10. § II.

Luc. II.

Matth. 10.

Apologes.

Quartò, quicquid aduersum & calamitosum humanis rebus accidisset, Christianis imponebatur, vt testatur Tertullianus his verbis. Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non

influit arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, & cæt. statim acclamatur, Christiani ad leonem. Subscribit Arnobius inquires. *L. I. adu. gentes.* Dicitis, Postquam Christiana gens cæpit esse in mundo; terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum, &c. Cyprianus sic de querelis cuiusdam Demetriani *L. ad Demetrian.* loquitur. Conqueritur quod bella crebrius insurgant, quod fames sauiant, quod imbres & pluias serena lingua suspendant. Dixisti per nos fieri, & quod nobis imputari debeant omnia ista, quibus nunc mundus quatitur & vrgetur. De his quoque copiosè disserunt Augustinus, quinque prioribus libris de ciuitate, & Orosius lib. 7. hist. Hoc autem genus seu potius immensum pelagus calumniarum his paucis colligit noster Apostolus, *in eo quod detractans de vobis, &c.*

Subiicit autem optimam rationem conuincendi calumniatores esse, ἀναστροφὴν καλὴν, conuersationem piam, honestam, & morum integritatem. Apologiam non debere constare tam oratione, quàm vita & moribus. Impiorum detractiones & maledicentias reuincendas esse, non tam disputando, quàm bene viuendo. Vnde & postea idem Apost. scribit. *Cum modestia & timore conscientiam habete bonam, vt in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.* Paulus similiter *1. Petr. 3. 1. Cor. 10. 2. Cor. 6. 1. Act. 24.* præcipit. *Sine offensione estote. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum.* Et de seipso ait. *Ipse studio sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.* Hic de-

fensionis modus quandiu inter Christianos vi-
 guit; superiores fuerunt omnibus aduersariis
 suis: at postquam neglecta vitæ innocentia, cœ-
 perunt verbis agere, verba verbis, solui & op-
 poni potuerunt ab impiis, fractiq; boni mores,
 ludibrio Christianorum apologias exposuerunt.
 Utinam igitur respiscat aliquando tibi Chri-
 stianus, vt resumat tandem solidam defensionem
 practicam, sciatque elumbem esse defensionem,
 quæ verbis ipsis siue bonis moribus adorna-
 tur. Eruditè in hanc sententiam scripsit vir
 ethnicus. Malè mecum agitur, si me oratio magis
 quàm vita purgat.

Laet. l. 3. c.
15. & 16.
Tull.

Nunquam ergo defuerunt Ecclesiæ ac profes-
 sioni Catholicæ detractores, qui eam probris &
 maledictis vexarent, nec deerunt vnquam, vt est
 sempiterna Satanæ aduersus eam amulatio, vt
 sunt irreconciliabiles inter semen mulieris & se-
 men serpentis inimicitia, ac Esaü etiam ab ytero
 cum Iacob bellum gessit: quare nec mirandum,
 nec deficiendum, si etiam hoc sæculo à Turcis,
 hereticis, hypocritis, & politicis quibusdam pro-
 ditoribus, nunc aperte, mox ex insidiis oppu-
 gnetur. Vincendi sunt huiusmodi hostes con-
 stantia & patientia nostra: ipsisque moribus &
 concionibus comprobandum, sanctam, veram,
 Apostolicam, & diuinam esse religionem no-
 stram, quam produnt vel negligunt.

Gen. 2.
Gen.

Non est verò nostra causa laborandum, vt
 bene de nobis sentiant homines, aut propria
 gloriæ studio & appetentia bonis incumben-
 dum moribus ac operibus: sed quærenda om-
 nipotentis Dei gloria, vt & Christus suadet.

Luceant opera vestra bona coram hominibus, vt glori- *Matth. 5.*
ficient Patrem vestrum qui in celis est. Ut enim pra-
uis operibus debita ei reuerentia subtrahitur, &
obedientia denegatur, quemadmodum testifi- *Isa. 52.*
cantur Prophetæ: ita piorum virtutibus & bo- *Ezech. 36.*
nis operibus glorificatur. *Rom. 2.*

Quando verò & quomodo id fiat, exponit A-
 postolus dicens, *Ἐν ἡμέραις ἐπισκοπῆς*, in die
 episcopatus, inspectionis, seu visitationis. Ni-
 mirum, vel cum ipsi Gentiles inquisierint in vi-
 tam & mores Christianorum, ipsosque inculpa-
 biles & irreprehensibiles inuenerint: vel cum
 Deus inspectione misericordiæ illos visitauerit,
 & ad se illos conuerterit: tunc glorificabunt
 Deum & ipsi in eum credendo & sperando, in-
 super Christum benedicendo & celebrando,
 quòd tam piam, humanam imò & cælestem in-
 stituerit religionem. Nisi enim Deus singulari
 misericordia & gratia hominem respexerit, non
 potest ab infidelitate ad veram fidem, quantum-
 libet bonis aliorum exemplis permoueatur, ani-
 mum suum adiuicere. Hinc Tertullianus refert *Apolog.*
 Plinium secundum iubente Traiano imperato-
 re in Christianos quidem inquisuisse, nihil au-
 tem retulisse, nisi quod præter obstinationem
 non sacrificandi (nimirum idolis,) nihil aliud
 de sacris eorum comperisset, quàm cætus ante-
 lucanos ad canendum Deo & Christo, & ad cõ-
 ferendam disciplinam: homicidium, adulteriũ,
 fraudem, perfidiam, & alia scelera prohiberent.
 Cæterum, & imperator, & Proconsul in inue-
 terata infidelitate perstiterunt, quia Deus eos
 singulari gratia sua non est dignatus.

Inisio Dial. & Apol. 1. Euf. 1. 3. hist. cap. 32.
 Econtrario autem Iustinus martyr de seipso
 testificatur, quòd conspecta Christianorum in
 tormentis constantia, morumque integritate,
 relicto gentilismo Christianismu amplexus sit:
 Simulque vnum & alterum tantumdem fecit-
 se. Quinetiam ex Clemente Alex. refert Euse-
 bius, quendam Pharisaum D. Iacobi apud He-
 rodem accusatorem, conspecta Apostoli in
 morte constantia, ad Christum conuersum, &
 ab eodem Baptizatum, cum illo martyrium
 subiisse. Sed & venerab. Beda testis est, tor-
 torem S. Albani martyris, perspecta ipsius pie-
 tate, extremum nuncium idololatriæ remisit-
 se. Sic innumeri ethnici Catharinæ, Barbaræ,
 Agnetis, Cecilix, Lucix, aliorumque marty-
 rum exemplis permoti. Ideoque rursus scri-
 bit Tertullianus. Non deficiet hæc secta, quam
 tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur.
 Et idem alibi tyrannos his verbis laceffit: cru-
 ciate, torquete, dammate, atterite nos. Proba-
 tio est enim innocentix nostræ iniquitas ve-
 stra. Exquisitior quæque iniquitas vestra illece-
 bra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties
 metimur à vobis. Semen est sanguis Christia-
 norum, &c.

L. ad Scap- pul. Apologes. cap. 11.
 Damascenus ex hoc Apostoli loco docet vi-
 tam honestam, moribus bonis, & obedientia
 instituendam: & quòd nobis probè viuenti-
 bus, Deus gloria afficitur, & colitur. Conne-
 cit ex Basilio. Disce homo, Euangelicam vitæ
 rationem, oculorum accuratam compressione,
 linguæ continentiam, corporis subactionem,
 mentis puritatem, animi summissionem, iræ ex-

EPISTOLÆ I. D. PETRI. 267
 tinctionem. Angariatus, æqui bonique consule:
 vexatus, tolera: conuitiis laceffitus, ora, &c.

13. *Subiecti estote omni humana creatura propter Deum, siue Regi quasi præcellenti:*

14. *Siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.*

Tertia ista exhortatione monet Apostolus Chri-
 stianos de reuerentia & obedientia præstanda
 Magistratui, cuiuscunque gradus sit vel ordinis:
 idque suadet aliquot apertis argumentis. Notat
 autem Hieronymus, Chrysoctomus, Augusti-
 nus, Oecumenius, Apostolos, & alios priores
 doctrinæ Christianæ professores variis suspicio-
 nibus laborasse, quod vt nouâ mundo religio-
 nem introducerent, & Mosaicam atque Ethni-
 cam quæ prius seruabantur, antiquarent; ita &
 leges politicas subuerterent, seditionibus cun-
 cta replerent, & ab obedientia Regibus & ma-
 gistratibus hæctenus exhibita omnes reuoca-
 rent. Ac de huiuscemodi calumnia scribit Ter-
 tullianus. Circa maiestatem Imperatoris infa-
 mamur, tamen nunquam Albiniani, aut Ni-
 griani, vel Cassiani (aliquot seditiosorum &
 perduellium nomina sunt) inueniri potuerunt
 Christiani. Et paulò post. Christianus nullius est
 hostis, nedum Imperatoris, quem scimus à Deo
 constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & reue-
 reatur, & honoret, & saluum velit cum toto Ro-
 mano imperio. Colimus Imperatorè quomodo
 nobis licet, & ipsi expedit. Sacrificam⁹ pro salute

In cap. 3. ad Tit. in ca. 13. Rom. Epist. 5. Com. in hunc locum.

L. ad Scapu- lam.

Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, &c. Eadem fusiùs persequitur in Apologetico aliquot capitulis.

Originem porrò calumniæ dedit, etiam antenatum huic mundo Christum, quidam Iudas Galilæus, palam docens in Iudæa, non licere populo Dei pendere tributum Cæsari idololatræ & gentili, vt patet ex Actis Apostolicis: cui maxima Phariseorum & Iudæorum pars adhæsit, vt testatur Iosephus. Hoc errore per Iudæam adhuc inualescente, quæstionem sanè odiosam & periculosam Christo dissoluendam semel proposuerunt: *Si licet tributum Cæsari dare, an non?* Eundemque accusauerunt coram Pilato Romanorum vicario, quòd prohibuisset tributa dare Cæsari: & quòd subuertisset gentem eorum docendo à Galilæa Ierosolymam vsque. Christiani ergo quòd cum solum Christum summum totius orbis regem & iudicem profitebantur, tum quòd Apostolos genere Iudæos & Galilæos suæ religionis ac vitæ præcipuos doctores haberent, his imposturis & calumniis passim à Gentibus vexabantur atque damnabantur.

Has ergo calumnias docet hoc loco B. Petrus à piis Christianis, per contrarios mores & opera longè diuersa refellendas & confutandas esse, magna nimirum erga legitimum Magistratum & principatum obseruatione, & prompta obedientione. Eandem ob rem Paulus quoque docebat. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et in Epistola ad Titum. *Admone eos principibus & potestatibus sub-*

ditos esse, dicto obedire. Et ad Timotheum. *Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, nomen Domini & doctrina blasphemetur.* Rursumque ad eundem Timotheum. *Obsecro fieri orationes & postulationes pro Regibus, & omnibus qui sunt in sublimitate constituti, vt quietam & tranquillam vitam agamus.* Aded crebris & grauibus adhortationibus studuerunt Apostoli Christianos in officio continere, & inuectam calumniam à se, suisque repellere.

Ad hæc quoque Tertullianus pietatem Christianorum, & circa Imperatores & magistratus ab his constitutos obseruantiam his verbis describit. Pro salute Imperatorum Deum inuocamus æternum, Deum verum, Deum viuum, quem & ipsi Imperatores propitium sibi volūt. Et paulò post, formam, finemque præcationum his refert. In cælum suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: sine monitore, quia de pectore oramus: precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt. His autem omni luce clariùs demonstratur & probatur, prorsus falsam & diabolicam fuisse piis Christianis impositam de rebellionibus & seditionibus calumniam.

Obseruandum autem, hanc obedientiam extendi solum vsque ad aras: id est, quandiu ciuilibus magistratus sua tantum petierit, non autem quæ Deo debentur. Cum enim manifestam im-

Act. 5. &
21.

L. 18. antiq.
c. 2. & L. 20.
cap. 5.
Matth. 22.

Luc. 22.

Rom. 13.

Apolog.

1. Tim. 2.

1. Tim. 6.

pietatem inuhere, culturumque Deo debitum conuellere tentauerit, cum piis Machabæis constanti fortique animo dicendum est: *Et si omnes obediunt Regi, ut discedant à lege patrum suorum; ego, & filij, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus, non est nobis utile relin-*

1. Mach. 2.
2. Mach. 7.
Exod. 5. &
10.
Dan. 6.
3. Reg. 18.
Tob. 1. & 2.
Act. 4.

quere legem Dei. Non audiemus uerba regis Antiochi, &c. Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ nobis per Moysen data est. Alià exempla nobis proposuit Spiritus sanctus in Moyse, Daniele, Elia, & Tobia qui Regibus impia statuentibus, piè sanctèque obedire detrectarunt. Item in Apostolis, qui magistratui Iudæorum Euangelij cursum prohibenti, responderunt: *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus.* Habet igitur hic mundus ordinem suum, qui per occasionem religionis non est turbandus, quatenus id licet incolu-
mi gloria & Ecclesia Christi.

Expendenda iam sunt argumèta, quibus Apostolus id probat. Ac primum quidem ducitur à summo auctore Deo cum dicitur: *Subditi estote omni humanae creaturæ, seu ordinationi, propter Dominum Deum, qui author est huius ordinis & potestatis, volens omnia inter homines certo ordine iustisque legibus fieri: & non horrenda confusione permisceri, ut inter pisces maris, & feras sylvarum, mutuò sese lacerantium atque deuorantium. Vel propter Dominum Iesum, qui hanc obedientiam docuit verbo & exemplo, factus obediens & subditus matri suæ, & Ioseph cuius putabatur esse filius. Soluit item didrachma tributi: & præcepit reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo.*

Luc. 2.
Matth. 17.
& 22.

In obediendo igitur Regibus & principibus non sunt spectanda illorum peccata: sed quod vices Dei gerunt in terris, maiestatemque illius inter homines referant, qui eos in hos honoris gradus extulit atque constituit. Vel *propter Deum*, id est, tamen adhuc sint ethnici, idolatræ, & Christianæ religionis nostræ aduersarij & persecutores, ut Herodes, Nero, Domitianus, & horum Duces, Vicarij, Proconsules, & ministri sicque suo loco ac officio pœnitus indigni: obedite tamen eorum humanis constitutionibus *propter Deum*, qui vos ita subditos esse voluit. Obedite non simpliciter propter eos: sed *propter Dominum*, qui vult filios suos ita legibus humanis morigeros esse.

Magistratum porò hîc vocat *κρίσιν ἀνθρώπων*, creaturam, seu ordinationem & constitutionem humanam, quia ad conseruationem societatis humanæ introductus est magistratus. Nam verbum *κρίζειν*, vnde nomen *κρίσις* est etiam fabricare, ac ædificium construere significat. Humanam autem ordinationem appellat non quod ab hominibus primùm ac potissimùm sit excogitata (quandoquidem nihil est aliud, nisi recta, & à Deo tracta ratio, imperans honesta, prohibensque contraria, ut Tullius ait: ac præclarum domum Dei, quemadmodum & Demosthenes fatetur:) sed quod hominum tantum sit propria, non etiam belluarum. Plato quoque Legumlatores deorum *ἀκούστας* esse dicit, non alia ratione, quàm quod authoritate Diuina magistratus est constitutus. Et certè vt

fuis legibus auctoritatem inter Gentes facerent Dei præsentiam, aut numinis alicuius reuelationem commenti sunt, vt constat de Lycurgo, Romulo, Numa, & alijs.

Considerandum etiam quod Apostolus præcipiat, non vni aut alteri formæ, id est, Monarchiæ, vel Aristocratix, vel Democratix, vel Oligarchiæ, vt fuerunt, suntque adhuc diuersæ rerum publicarum species, patendum esse: sed *omni*, idèoque ait, ἀκούσαι: & continuò per diuisionem id digerit, vt omnem perduellionis occasionem tollat. Itaque omni magistratui, & omnibus legibus atque constitutionibus politicis, quæ manifestam impietatem, (vt dictum est) non continent, parendum est, propter Dei reuerentiam, qui illos vocauit, instituit, probauit nõsque eis subesse præcepit: & qui resistunt, damnationem sibi acquirunt.

Videat autem magistratus, in primis officij sui esse, vt Dei gloriam prouehat, legesque & cultum eius seruandum & promouendum curet, eum ab illo se constitutum esse, ac omnem in alios potestatem accepisse cognoscat. Ideo coniuncta olim fuerunt Sacerdotum & Regum officia, vt patet in lege naturæ, Patribus, Melchisedec & beati Iob historiis. Postea verò diuisa sunt in Aarone & Iosué, sed sic tamen vt curam diuinæ legis, & religionis protectionem pro sua sorte susciperent. Sic enim Dauid, Salomon, Asa, Iosaphat, Ezechias, & Iosias, de sacris seruandis & instaurandis fuerunt valdè solliciti. Ita maximi & optimi imperatores Christiani Constantinus, Iouinianus, Theodosius, Valentinianus, Honorius,

Honorius, & ex Christianissimis regibus nostris Clodouæus, Carolus magnus, Ludouicus, Dagobertus, &c. Hinc regnorum salus & gloria, honorificante Deo illos qui se honorificauerint. Hodie religionis pudet, nisi dum quæstus est, &c. Et hætenus de primo argumento.

Secundum est, à præcellenti maiestate & auctoritate, qua reges cæteros mortales antecellunt, aded vt in eos necis & vitæ iura obtineant, & vbi ipsi adesse nõ possunt, duces, capitaneos, satrapas, vicarios, præsidēs, quæstos, qui eorum vices subeant, mittere ac præficere valeant. Præsumunt enim illi non fortuito, aut casu: sed Deo sic volente ac ordinante. Nolo vos, inquit, anxie disputare, quibus artibus, quo ve iure adepti sint regna & imperia, sed contentos esse, quòd non sine prouidentia Dei, qui constituit & transfert regna de gente in gentem, quique aliquando pro peccatis populi facit hypocritas regnare, datque nonnumquam reges in furore suo.

Deinde, Reges præcellunt etiam in eo, quod satellites, stipatores, ac exercitus habeant ad nulum sibi obtemperantes: sint quoque præsto illis carceres, vincula, lictores, furcæ, gladij, laquei, iusque mandandi & imperandi. Est itaque parendum, & propter iram eorum effugiendam, & propter conscientiam puram Deo seruandam. Sapiens rectè monet: *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra iram fluminis.* Hesiodus quoque ait: Stultus est quisquis potentiori sese opponit. Ergo diligenter cauendum ab omni perduellione atque seditione: studendum au-

Plutar.
Valer.
Plin.

Rom. 13.

Gen. 14.
Iob. 1. & 41.

1. Reg. 2.

Dan. 2.
Iob. 34.
Ose. 13.

Rom. 13.
Eccl. 4.

tem humanæ tranquillitati.

Regis autem nomine, monarchiam Petrus intelligit, ubi vnus præest, siue rex, siue Imperator, siue Dux, aut Tyrannus dicatur. Ac regis quidē imperium dicuntur Ægyptij primū instituisse, vt est apud Pliniū. Romæ monarcha dicebatur Dictator, Imperator, Cæsar: nam regium nomē inuidiosum erat propter exactos Tarquinos: Asiaticis tamē nomen βασιλέως erat suaue. Ideo B. Petrus horum habita ratione, Regē appellat. Huic subiicit ἡγέμονες, quod noster interpretes, *Duces*, alij Præsides, vocant, seu per aristocratiam, siue per oligarchiam Rempublicā administrant: seu etiā inferiores sint magistratus per ciuitates & prouincias destinati. Nam & hi à Deo Opt. Max. mittuntur atque cōstituntur cum auctoritate & potestate, Christo dicēte, Pilato Romano vicario: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi data esset desuper.* His igitur parendū est propter Deū. De his vide Aristoteli lib. 8. Ethicorū, c. 10. lib. Politic. c. 5. & lib. 1. Rhetor. c. 8. itē Platonis dialogum, cui titulus est πελαγιδος.

Statuens ergo D. Petrus parendum esse Ducibus, primū à Deo, huic à Regibus missis & cōstitutis, vult profectō vt miles Christianus sese aduersus hostes imperij, patrię, & religionis educi permittat, & strenuā operā in militia præstet: quia Duces non pacis tantū verūm etiā belli tēpore, potestatem habent: & his vtroque tēpore obtemperandū est. Ita enim Abrahā pater fidei nostrę, & Iosué, & Gedeon, & Iephte, & Daud, & Machabei, militē collegerūt, lustrauerūt & in hostes Israëlīs eduxerūt, & feliciter pugnaverūt.

Tertium argumentum Apostoli desumitur à causa finali instituti Magistratus, videlicet, quoniam à Deo constituuntur Reges, Duces & Magistratus, vt suppliciorum metu cohærceant improbos, tranquillitatis humanæ tollant perturbatores, præmiis verò ac honoribus probos ad virtutes incitent atque promoueant. Duces inquit, à Deo *missi sunt ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Ergo qui aduersus eos insurgunt, & ciuilem pacem perturbant, Diuinis consiliis se opponunt, & hostes humani generis sese comprobant & ostendunt. Id quoque Paulus confirmat scribens: *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui male agit.* Ideo subditi estote, nō solūm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Habes in his, quæ sint Magistratus in subditos officia. Non enim in hoc constitutus est, vt dominetur, terreat, insolescat, opprimat, deglubat, dicatve, Oderint, dum metuant, sit pro ratione volūtas, quod est tyrannorum. Sed vt suppliciorum terroribus ac publicis exemplis sceleratos reprimat & puniat; bonos autem tuendo in pace & tranquillitate viuere faciat, premiisque condecoret. Nam & Dominum ipse rex regum ait: *Qui me honorificauerint, honorificabo: qui autem me contempserint, erunt ignobiles.* Et in Euāgelio dicitur, *Reges gentium dominantur eorum,* id est, beneficentiam erga pios omnes exercere debent, hisque promereri, vt patres patrię & populi & dici & esse valeant: sunt enim in hoc constituti. Hoc tamen ab illis sæpius non

I. 7. cap. 16.

Ioan. 19.

Rom. 13.

1. Reg. 2.

Luc. 12.

præterit, non contemnendus tamen est honos, quod sub horum tutela viuamus, quod violentorum hominum rabie non simus expositi, improbis nō licet quicquid libet, homines mutuo non sese inuadant & deuorent, mundus utcunque pacem habeat, quodque hoc genus regiminis deatque, quamuis deforme atq; corruptum, melius tamen & utilius sit, quam *ἀναρχία*, rerumque omnium confusio.

Debent etiam Reges, Duces, Magistratus ferri quo sunt muniti, aduersus improbos stringere, non solum ut & illos pñiant, aliique metu contineantur, sed etiam ut eorum peccata publicè vindicent, & publicam de his ultionem sumant. Hinc in lege diuersa diuersis sceleribus à Deo ipso constituta supplicia. Nimirum, ut lapidibus obruerentur blasphemi, magi, arioli, falsi testes, & adulteri. Flammi comburerentur pseudo sacerdotēs, & filie pontificum adulteræ. In lignum agerentur sacrilegi, seditiosi, grassatores, prædones. gladio cæderentur, homicidæ, permulsiq; alij facinorosi. Quibus probatur varia suppliciorum & mortis genera Magistratum potestati à Deo tradita esse, ut his & bonos tueantur, & malos vel inuitos arceant à sceleribus, vel tollant de medio.

Nec putandum, hanc potestatem per Euangelium Christi imminutam aut sublatam fuisse, quin potius comprobatur: ut potè cum dixit, expedite ut asinaria mola suspendatur in collo viti scandalum præbentis, & demergatur in profundum maris. Insuper, Centurionè, Regulum, aliòsque Cæsaris officarios miraculis

Leu. 24. &

24-

Leu. 24.

Dent. 21.

2. Reg. 21.

Matth. 18.

Matth. 8.

Ioan. 4.

suis cohonestauit. Paulus fornicarium in manus Satanæ tortorum omnium sæuissimi, tradidit: optauitque ut absunderentur, qui alios conurbabant. Petrus denique, Ananiam & Saphiram de medio sustulit, & hinc confirmat potestatem datam in vindictam malorum.

1. Cor. 5.

Gal. 23.

Act. 5.

15. Quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Quantum est argumentum Apostoli, quo suadet obediendum esse Magistratui, à diuina voluntate & ordinatione, quæ omnibus nobis regula debet esse & credendorum & faciendorum. q. d. Vniuersis cogitationibus, consiliis, & rationibus nostris, diuina voluntas est præferenda, eidemque super omnia obtemperandum. Sed Deus vult innocentiam vitamque feruorum suorum tueri potius obedientia, patientia, & vitæ integritate, quam seditionibus, aut contentiosis disputationibus: magisque virtutibus obstruenda esse maledicorum ora, quam verbis. Igitur obedientia & reuerentia Magistratui est præstanda, non armis aduersus ipsum insurgendum aut certandum. Sic ergo viuite, ut infideles & ignorantes, qui vobis obloquuntur, obmutescere & pudescere compellantur. Ac de hoc superius dictum est, versu. 12.

Tantum hinc obseruo, infideles à B. Petro iurè accusari imprudentiæ ac ignorantia. Quantuncunque enim de prudentia & sapientia huius

fæculi gloriarentur ac intumescerent, eos tamen stultitiæ & ignorationis damnat Spiritus sanctus, quòd verum Deum, sanctissimamque legem ac religionem eius non agnoscerent. Nam si cognouissent eum, professoribus eius non maledixissent. Sic Christus odia mundi, & persecutio Apostolorum suorum, cæcitati hominum tribuit, & dicens: *Hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.* Et crucifigentibus se aiebat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Paulus denique de iisdem. *Si eum cognouissent, ait, Dominum gloriæ non crucifixissent.* Sic vani sunt omnes in quibus non subest scientia Dei. Et sine notitia Creatoris omnis homo pecus est.

16. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem: sed sicut serui Dei.*

Hoc quinto & postremo argumento concludit Apostolus, obseruandû & audiendum esse Magistratum, à simplicitate & candore verorum Christianorum: quem opponit quorundam hypocritarum & libertinorum impietatibus & seditiosis conatibus. Hi enim solebant quicquid in sacris literis occurrit de libertate Christiana deprauare, & ad libertatem carnis detorquere: atque hoc specioso velo atque prætextu scortationes, sacrilegia, seditiones, proditiones, & alia absque numero scelera sua palliare & te gere. Dicebant (vt refert Paulus:) *Faciamus mala, vt inde eueniant bona. Bibamus & comedamus, cras enim moriemur.* Huiusmodi fuisse veteres Gnosticos refert Irenæus martyr, & astipulantur Epi-

phanus & Philastrius, palam prædicantes: liberum esse homini credenti & fideli quiduis agere, quantumuis turpe & impurum: nihil huic imputari propter fidem in Christum: quam licentiam carnis maiori ex parte verbis, scriptis, & operibus instaurare Hugnostici nunc temporis enituntur.

Contrà verò docet hîc princeps Apostolorû, libertatem Christi morte & sanguine partam & concessam, non esse libertatem carnis, sed animæ à peccato, diabolo, & inferis: nec doctrinâ Christianam eximere subditos ab obedientia Magistratibus debita, nec filios à parentû autoritate, nec seruos à iugo domini, nec vxores à potestate virorû suorum. Hanc ob ré Paulus quoque scribit: *Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum me libertatem in occasionem detis carnis.* Et vener. Beda in hunc D. Petri locum commentatur. Liberi rectè vocamur qui per Baptismum à peccatorum summis nexibus absoluti, qui à dæmoniacâ seruitute redempti qui filij Dei effecti, non tanto dono libertatis potiorem peccandi libertatem accepimus, quinimò si peccamus, mox libertate perditâ, serui efficiamus peccatorum. Et quisquis se liberatum ad hoc putat à Domino, vt licentiùs peccet, talis suam libertatem in velamen malitiæ mutat.

Ergo libertas Christiana non est effrenis quedâ licentia ad quodlibet audendum & patrandum, sed liberatio à seruitute peccatorû, quæ in nobis per meritum & gratiam Christi, clauium autem & sacramentorum Ecclesiæ ministerio remittuntur atque pœnitentia delentur: indèque pròptiores

Ioan. 16.

Luc. 23.

1. Cor. 2.

Sap. 13.

Hieron. in
Epistaph.
Nepot.

Rom. 3.

L. I. cap. I.
& 20.

Gal. 5.

Rom. 6.

& alacriores simus ad obsequendum diuinæ voluntati. Sic enim Paulus docet. *Liberati à peccato, serui facti estis Dei.* Id ergo de Christiana libertate tutò gloriabitur, qui Christiani viri præstiterit officia, videlicet, ab omni proximorum iniuria temperauerit, caritatem exercuerit, fidem Deo & hominibus seruauerit, legibus honestis sese subiecerit, ab omni malo abhorruerit, omni denique virtuti studuerit. Hinc lex coercens non est posita: *sed iniustis, sceleratis, & contaminatis, patricidis & matricidis, &c.* Imò lex non est ei lex, sed officij gratissimi optata occasio, & pacis zelus piissimus.

B. Augustinus libertatis Christianæ verum authorem Deum solum his verbis agnoscit: ille ab omnibus liberat, cui seruire omnibus vtilissimū est: & in cuius seruitio placere perfectè sola libertas est. Idem differens in quibus illa consistit, hæc scriptis mādatur: Hæc est libertas nostra, cum subdimur veritati. Et ipse est Deus noster, qui nos liberat à morte, id est, à conditione peccati.

Ipse enim veritas ait: *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Idem rursum. Bonus etiam si seruiat, liber est: malus autem etiam si regnet, seruus est: nec vni hominis, sed quod est grauius, tot dominorum quot vitiorum. De quibus scriptura. *A quo quis denictus est, huic est seruus addictus est.* Idem eiusdem libertatis vsum sic exponit: Hęc spes nostra est fratres, vt à libero liberemur, & liberando seruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis, liberati serui efficiamur caritatis, &c. Non ergo dicat Christianus: liber sum,

1. Tim. 1.
L. de quantitate anime.
cap. 34.
L. 2. de libero arbitrio. c. 13.

Ioan. 8.
L. 4. Decernit. cap. 3.

2. Petr. 2.
Tract. 41. in Ioan.

redemptus sum, faciam quod volo, nemo me prohibeat à voluntate mea. Noli libertate abuti ad liberè peccandum, sed vttere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. Hoc conemur, id agamus. Prima libertas est, carere criminibus, &c.

17. *Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum time, Regem honorificate.*

Hæc est quarta exhortatio, qua mira breuitate & grauitate verborum, quatuor amplissima vitæ Christianæ comprehendit officia. Nimirum, quid non solum magistratui legitimo, sed omnibus ferè ordinibus hominum debeamus: quod nec Philosophi, nec amplissimi oratores huius sæculi multis libris sunt adhuc assequuti.

Primò autem docet, omnes in vniuersum homines siue Iudæos, siue Gentiles, siue Christianos, decenti honore atque reuerentia colendos esse. Hoc enim incredibiliter valet ad conciliandos animos, tollenda discordiarum seminaria, pacemque serendam & fouendam: sicut è contrario, contemptus & despicientia irritat corda, & concordia pacique omnino aduersatur. Honorandi porrò sunt omnes homines, eò quòd sunt ipsius Dei viuents & omnipotentis opera præcellentissima: deinde, ad illius vitæ, sapientia, bonitatis, sanctitatis, adeoque vnitatis & trinitatis imaginem & similitudinem conditi: postea, omnes Christi filij Dei sanguine & morte redempti: denique, eiusdem gratia, & gloria sempiternæ capaces. Propterea scribit

Com. 1. l. 1.
medit. c. 2.

Augustinus. Homines amo, non eò quòd animalia, sed eò quòd homines sunt, id est, rationales animas habent, quas amo, etiam in latronibus. Et Paulus coapostolo Petro consentiens, inquit. *Honor & pax omni operanti bonum. Honore inuicem præuenientes. Cui honorem, honorem.* Et de piis Ecclesiarum præfectis & pastoribus statuit. *Qui in vos bene præsent Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

Rom. 2.
Rom. 12.
Rom. 13.

1. Tim. 5.

Homines autem honorant, qui dona Dei in illis agnoscunt, illa magnificant & pro dignitate celebrant, de his bene sentiunt & loquuntur, eisdemque pro dignitate & loco cédunt & assurgunt. His verò præceptis apostolicis repugnant qui æmulantur, invident, despiciunt, detrahunt, lacerant. Peccant & hi, qui falsos rumores, vel etiam libellos famosos de proximis spargunt, eosque diffamare student, &c.

Fraternitatem diligite.

Hoc secundum præceptum non tam latè patet quàm primum, quoniam præsertim ad Christianos spectat, quos veluti fratres ac germanos, eiusdem fidei ac religionis consortes, eiusdem Ecclesiæ & cõmunionis affectas, eiusdem Christi nobiscum membra, singulari amore & arctiori caritatis necessitudine debemus amplecti, & aliis omnibus præferre. Hinc Paulus ait: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Et rursus. *Caritas fraternitatis maneat in vobis.* Augustinus docens certos gradus ordinesque in officiis caritatis seruandos esse, scribit: Omnes quidem homines diligendi sunt,

Gal. 6.
Hebr. 1.
L. I. de doct.
Christi.

sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus (quæ autem maior oportunitas, quàm religio?) constrictius tibi, quasi quadam sorte iunguntur. Dauid de alienis à sua fide & religione dicit. *Qui te oderunt Domine, oderam, &c. Odium Ecclesiam malignantium, &c.* de his verò qui eandem legem & pietatem colebant: *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedent mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*

Psal. 138.
Psal. 22.

Psal. 101.

Notandum D. Hieronymum quatuor fratrum ordines ex diuinis literis constituere. Cognitione fratres dicuntur, qui sunt ex vna familia, vt Abraham & Lot, Iacob & Laban: affectu fratres dicuntur, sicut Christiani omnes. *Ecce quàm bonum habitare fratres in vnum: Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Carne & sanguine, vt Cain & Abel, Esau & Iacob, Moses & Aaron: genere vt omnes homines ab vno propagati.

L. adu. Heluidum.

Gen. 13. &
29.

Deum timete.

Hoc tertio præcepto docet Apostolus, honorem quo inuicem præuenire nos debemus, dilectionem fratrum, & reuerentiam Regibus & magistratibus præstādā, ortum habere debere ex Diuino timore & amore, atque ita hæc præcepta appositè & eleganter libi cohære. q. d. Quisquis Deum timer, fratres suos amat, vniuersum genus hominum vt opus Dei reueretur, & Regibus suum honorem habet. Ergo timor Dei fons & causa est omnium virtutum, & vitæ Christianæ officiorum. Deum itaque in cunctis consiliis & operibus vestris habete præ oculis,

& timentes eum sub eius iudiciis contremiscite, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Aliàs loquetur ad vos in ira sua, & in furore suo conturbabit vos, eam dicit: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

Nec solùm timeatis eum, ne vos damnet, ne perdat, ne adiudicet tormentis nunquam finendis, quoniam etiam sic timent eum reprobi atque diaboli: sed præsertim timete in eum delinquere, quia infinita est bonitatis, clementiæ, beneuolentiæ, humanitatis, & misericordiæ erga totum genus nostrum. Nam mauult amari vt pater, quàm timeri vt Dominus: & hac de re hominem non simpliciter condidit, vt reliqua: sed ad imaginem & similitudinem suam. Similitudo autem solet esse filiorum ad parentes, potiusquam seruorum ad dominos. Hic timor filialis dicitur, & frequenter in sacris literis præcipitur. *Timete Dominum omnes sancti eius. Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Beati omnes qui timent Dominum, &c.*

Regem honorificate.

Quarto præcepto, Regis nomine, comprehendit in primis ipsum Cæsarem ac Imperatorem Romanum, qui tùm in Europa cùm in Asia longè latèque dominabatur: sub quo imperio & vltima monarchia, Christus concipi, nasci, adulescere, prædicare, crucifigi, orbem redimere, resurgere, ac Ecclesiam suam orbe toto colligere voluit. Tertullianus & Lactantius addunt, Christianos pro diuturna imperij Romani, conseruatione vel eò maximè orare debere, quòd eis persuasum sit, cum eius vniuersa ruina, mun-

dum quoque deficere debere.

Opportet ergo Christianos propter Imperatorum & Regum omnium salutem, & propter ciuitatem, prouinciarum, & rerumpublicarum rectores & moderatores preces ad Deum fundere, & eos debito honore afficere. Nam Deus eos ordinauit & constituit in hac sublimitate, Deinde, potestatem illis concessit, qua subditos ab omni violentia tutari, quod iustum est eis ministrare, pacem publicam seruare, cultum Dei promouere, legibusque illius Regis Regum fasces & sceptrum sua submittere debent, vt feliciter imperent. Dauid noluit manum extendere in Saulem, quanquam vt in hostem infestissimum, tyrannumq; manifestissimum belli iure potuisset, vt docet Augustinus lib. contr. Adimatum. c. 17. eò quòd vnctus esset iussu Domini. Nathan propheta & Bethsabee regina adorauerunt, id est, eximia reuerentia venerati sunt regem Dauid: 3. Reg. i. Ibidemque dicitur, quod Adonias adorauit regem Salomonem. Christus ipse semper de Regibus honorificè sensit & loquutus est. *Reges gentium dominantur eorum, & benefici vocantur. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, &c.* Paulus quoque Iudæorum violentia & rabie opprimendus, appellauit ad Cæsarem dicens: *In Cæsarem nihil peccauit. Ad tribunal Cæsaris sto. Cæsarem appello.* Ignatius scribit. *Honora fili, Deum & Regem. Honora Deum, vt auctorem vniuersorum & dominum: Episcopum autem, vt sacerdotum principem, & imaginem Dei ferentem. Tertullianus. Colimus Imperatorem sic quomodo nobis licet, & illi expedit, vt hominem, à Deo secundum, solo*

Matth. 10.
Psal. 2.
Matth. 25.

Iacob. 2.

Gen. 2.

Psal. 33.
Psal. 18.
Psal. 124.

Apolog.
Lib. 7.

Luc. 22.
Matth. 22.

Act. 25. 27.

Epist. ad
Smyrnen.

L. ad Scap.

Deo (in rebus tempor.) minorem, &c.

Nec prætermittendum, quod Petrus timorem Dei, Regum ac magistratum honori præposuit, ut doceret sic eum verendum esse, ei que parendum, ut interim nihil in Deum & leges eius peccetur.

18. *Serui subâiti estote in omni timore dominis: non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Quinta exhortatio ista specialiter dirigitur ad seruos, quos sui officij admonet Apostolus, nimirum, ut sortem & conditionem suam in hoc mundo seruilem patiēter ferant; secum reputantes quod verè liberi sint coram Deo & Angelis eius, si pietate & virtutib⁹ incubuerint. Deinde, qualescūmq; dominos siue fideles, siue infideles; siue humanos & clementes, siue duos morososque nacti fuissent, eisdem fideliter, humiliter, & diligenter seruirent.

Com. in c. 6.
ad Eph.
Notandum autem cum D. Hieronymo, initio Christianissimi, dominos infideles existimasse, à seruis fidelibus se contemnedos esse: alios indignum putasse viros sanguine Christi redemptos, & filios Dei per adoptionis gratiam effectos, idolorum cultoribus inferuire, aut eisdem cohabitare. Hac autem ratione permotos summos Apostolos Petrum & Paulum multis præceptis contrarium inculcasse, ut doctrina Christi non blasphemaretur ab impiis velut seditiosa, & perturbatrix legum ciuiliū atque politiarum humanarum. Hinc Paulus: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus*

1. Cor. 7.
Gal. 3.

es? Non sit tibi cura. Et rursum: *In Christo non est seruus, neque liber, &c.* Iterumque. *Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo: non ad oculum seruientes, &c.* Et quantum hoc insidebat illi animo, palam rursus declarat. *Quicumque sunt sub lege serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina eius blasphemetur.* Denique ad Titum Cretensium antistitem scribit: *Tit. 2. Admone seruos dominis suis subditos esse.*

Obseruandum in his duabus exhortationibus duas esse species legum ciuiliū, & præceptorum dominicorum. Prima, quæ versatur circa religionem, cultum Dei, & res ei sacras. Si hæ apertè repugnent Diuinis legibus, semper constantèrque cum D. Petro dicendum est: *Obedire oportet Deo, magisquam hominibus: & obtemperandum Christo dicenti: Reddite quæ sunt Dei, Deo. In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Sic tres Hebræi maluerunt in fornacem mirè succensam deturbari, quàm statuam auream adorare. Machabæi clamauerunt: *Obediemus præcepto legis, non præcepto Regis.*

Altera legum species versatur circa res humanas, ut de colendis & metendis agris, pascendis pecoribus, venationibus, venditionibus & emptionibus, mensuris, pecuniarum pretiis, tributis, &c. quas Apostoli præcipiunt omnino seruandas esse. Sic Ioseph seruiunt Pharaoni, Mardocheus Assuero, Dâniel Nabuchodonosori, Balthafari, & Dario, Israëlita seruiunt Egyptiis quadringentos annos, Chaldæis septuaginta, &c.

Act. 5. &
22.

Habuerant præcedentia sæcula Iudam Galilæum, Ægyptium impostorem, Sadochum, turbam quandam Phariseorum, Spartacum, & alios perduelles, qui signis erectis, & classico sonante genus omne seruorum euocauerant ad pileum, libertatis signum. Fuerunt & nouissimis temporibus, per Flandriam Arteuilia; per Galliam Beza, eiusdemque infanix ministri & satellites; per Germaniam Anabaptistæ & Rustici, per Lutheri scripta ad omnes seditiones, rapinas, incendia, cædes, & rebelliones excitati: qui tandem suarum turbarum, pœnas iustissimas dederunt: vt discerent omnes legitimæ potestati subesse, Et si enim coram Deo inter Christianos non est discrimen, & tanti æstimatur seruus, quanti Dominus: tamen in hac vita ciuili Diuina ordinatione sunt certi personarum gradus, & vult Deus vt quidam imperent, alij seruiant, nec discrimen istud tollit Euangelium, sed astruit.

Luc. 2.
Matth. 17.
& 22.

Addit autem Apostolus, *cum omni timore*, vt significet purum, simplex, & spontaneum debere esse seruorum obsequium. q. d. Cauete ne dominos tacite irrideatis, ne clam subfannetis, ne obmurmuretis, ne contempnatis, nec ad oculum seruiatis: sed syncerè & alacriter, cogitantes, vos eo ipso seruire Christo, quippe qui hanc seruorum obedientiam requirit. Hoc Paulus dicit *seruire cum timore & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo*. Nam si aduersus conditionem & necessitatem suam serui fremût, parati iugum excutere cum licebit, certè non seruiunt in simplicitate cordis, nec pio timore atque reuerentia, sicut

Eph. 6.
Coloss. 3.

sicut Domino. Maximum siquidem seruorum vitium est, ait D. Hieronymus, dominis contradicere, & cum aliquid iusserint, secum multitare.

Subnectit tandem, seruis parendum esse dominis *non tantum bonis*, vt potè fidelibus qui non affligunt iniuste; & humanis ac æquis, qui humanitatis memores, non sunt supramodum austeri: sed etiam *τοῖς σκολίοις*, asperis, prauis, iniquis. Virg. *Dyscolis*, sententia quidem, (etiam iudice Beza) rectè expressa, licet altero Græco vocabulo. Frequens enim & familiare, est præsertim in nouo Testamento, voces Græcas in Latinum transferre, vt Angeli, Prophetæ, Apostoli, Diaconi, Euangelij, Ecclesiæ voces, latinis iam familiares & vulgatæ fatis manifestât. Ergo præter omnem rationem furcifer Marloratus, (qui decreto regij Magistratus, ob seditiones & turbas Rotomagi excitatas, de infelici arbore pependit) cum suo M. . . .

furit in Sorbonicos, hosque *turpi inscitia*, vir turpificatus accusat immeritò, quod hoc loco etiam voce *Dyscolis* vtantur, vt *dissolutos & irregulares* significent. At, ne vnicum quidem horum hæc scribentem indicare potuit. Bacchatur rursus furiosè: *Ex tam absurda interpretatione fidei articulum struere volunt, quod Papæ, & cornutis eius bestiis obediendum sit, quantumuis grauem & minimè ferendum tyrannidem exercent*. Sic furiosi Apostatæ sibi monstra confingunt, quæ doment pro libito. Ecquis, nisi planè amens & vecors, vnquam crederet, Sorbonicos fidei articulos struere velle ex suis interpretationibus? En quibus calumniis

& artibus, noui apostoli ex Geueua prodeuntes, imprudentibus turbis imponunt, ac miserrimè illudunt. Cùm verò Principi populi diuini, id est, Papæ; deinde, Episcopis quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo, tam præfractè maledicunt atque conuiciantur, & obloquuntur, eorum cōfortes sese comprobant, qui pro pari culpa descendunt in infernum viuentes.

Sed quænam est *grauis illa & minimè ferenda tyrannis*, quam Papa & Episcopi in vos volunt exercere? An quod aliquando ieiunetis, & à carnis, delicatoribusque eduliis abstineteis? Grauis, fateor, tyrannis his, qui non Deo seruiunt, sed suo ventri: carnisque curam faciunt in desideriiis suis, cum Epicureis dicentes. Edamus & bibamus: cras enim moriemur. An verò, quòd secundùm ea, quæ solemniter nuncupastis Deo vota monastica, nimirum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis, (nam hæc Marloratus fidefragus miserat aliquando) vitam moresque componatis? Grauis profectò sarcina Veneris cultoribus, & his qui dormiunt in lectis eburneis, & lasciuunt in stratis suis: quique epulantur super terram, & in luxuriis enutriunt corda sua: qui denique ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Sed his qui se castraerunt propter regnum cælorum, iugum suaue, & onus leue ac supra quàm dici potest iucundum atque delectabile.

Verùm enīmuero, non Sorbonici solùm, sed omnium ætatum & linguarum Theologi constanter docuerunt & asseruerunt, ad fidem perti-

nerè Obedientiam debitam Præfectis suis, siue corporibus, siue animis nostris præsent: quod & hoc loco princeps Apostolorum omni constantia comprobatur, & nos pro virili ex aliis similibus locis adfirmamus.

Multa de seruitutis speciebus, legibus, & conditionibus, &c. diximus in com. ad Philemonem, quæ hîc repetere nolumus.

19. *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste.*
 20. *Quæ enim gloria, si peccantes & colaphizati sufferitis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum.*

Sexta exhortatio ista non tantùm seruos ac subditos monet de obedientia Præfectis ac Magistratibus præstada: sed & vniuersos per orbem Christianos ad omnem patientiam & tolerantiam in afflictionibus & persecutionibus propter pietatem & iustitiam illatis. Sensus verborum talis esse potest. Hęc est euangelica perfectio, hoc præclarum viri Christiani officium, hæc vera & solida gloria coram Deo, si propter timorem Numinis, dictante conscientia recta cupientèque placere Deo, quis patienter sustineat tristitia & graua, idque gratis, & præter merita sua. Etenim nullam laudem meretur, sed vituperium; nullum præmium, sed potius supplicium coram Deo & angelis eius suscipiet, qui propter furta, blasphemias, similiaque scelera sua per Magistratum plectetur, &c.

Ex hoc autem primò notandum, eos qui propter crimina propria pœnis subiiciuntur à Ma-

Act.

Act. 20.
Ephes. 4.

Num. 16.

Amos 6.
Iac. 5.
Iob. 21.Matth. 19.
Matth. 11.

gistratu, nunquam esse cum sanctis Martyribus comparandos. Nam illi peccatis suis debitas lunt pœnas, isti propter nomen ac gloriam Dei indebitis subiiciuntur cruciatibus. Illi coacti & repugnâtes, isti patienter & persæpe gaudentes. Illi exempla proponuntur aliis malefactoribus, vt illorū pœnis terri, minus peccent, Martyres verò vt Diuinæ veritati ferant testimonium, & alios ad eiusdem constantem & fortem confessionem animent. Ideo Christus non simpliciter dixit, *Beatos esse qui persecutionem patiuntur*, sed addidit, *propter iustitiam*. Item. *Beati estis cum maledixerint vobis homines mentientes, &c.*

Epist. 61.

Hinc Augustinus retundens vanam Donatistarum de martyribus suis iactantiam, docensque hæreticos & schismaticos martyres Dei esse non posse, scribit. Multotiens disputado & scribendo monstrauius non eos posse habere Martyrum mortem, qui Christianorum non habent vitam: cum martyrē non faciat pœna, sed causa. Et idem alibi. Hæretici qui propter iniquitates, errores, seditiones, sacrilegia, molestias patiuntur, nomine martyrij se iactāt, vt hoc pallio dealbati facilius ferantur, quia lupi sunt. Et alibi. Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionē, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam & Agar persecutionem passa est à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur. Ideo in psalmo vox illa intelligenda est verorum martyrum volentium se discerni à falsis martyribus, *Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta*. Alibi denique rem

Ser. 50. de verb. Dom.

Epist. 50.

Gen. 21.

Psal. 42.

acu tangens ait. Viuunt latrones, & volunt gloriari vt martyres, S. Bernardus quoque docet, *Ser. 66. in Cantic.* pertinaciam esse, non constantiam; & Iudæ proditoris, atque diaboli similem obstinationem & desperationem, non fortitudinem animi, quod quidam illorum non modo patienter, sed & læti videntur aliquando pro suis hæresibus mori.

Interea docemur omnes, nostrā cōsilia, studia, & opera tum maximè Deo probari, si hunc nobis finem & scopum proponamus, vt eius volūtati obsequamur, & decretis pareamus, non autem moueamur solo hominum respectu. Nam si oculus iste fuerit simplex, totum corpus lucidum erit. Si autē nobis negotiū esse cum Deo reputauerimus, studebimus profectò malū bono vincere: quinetiā beneficiemus his qui oderūt nos, & orabimus pro persequentibus & calumniātibus nos. Qui autem vel ieiuniis, vel orationibus, vel eleemosynis dant operam, vt videantur ab hominibus, partem suam reponunt cum hypocritis.

Matth.

Rom. 12.

Matth. 5.

Matth. 6.

Adhæc, perspicimus huius mundi odia, minas, proscriptiones, vincula, tribunalia, furcas, gladios, cæteraque tormentorū genera, pro Christi doctrina, fide, sacramentis, Ecclesiæque tolerata, & si carnis iudicio ignominiosa sint, coram Deo gloriosissima & vtilissima esse. Hinc enim Paulus constanter gloriatur de carceribus, de vinculis, de plagis, & stigmatibus domini Iesu, quæ in corpore suo portabat. *Ter virgis cæsus sum*, inquit, *semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, &c.* Etenim qui confortes sunt Dominicæ passionis, erunt &

2. Cor. 11.

294 COMMENTARIA IN CAP. II.

resurrectionis. *Si bene facientes*, ait Petrus, *patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*

Sed quid? Nullam prorsus laudem meretur nullamve mercedem accipiet, qui pro peccatis suis inflictas pœnas animo pœnitenti, libenti, & præsentî tolerat? Nonne latro pœnitens, confitens, & inuocans, doctore D. Hieronymo, supplicium suum mutauit in martirium? Dauid, Ezechias, Manasses, Ionas iustissimis Dei nostri animaduersionibus castigati, clariores euaserunt? Profectò Psalter dicit: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Bonum mihi quia humiliasti me.* Respondeo igitur, quod & si Dominus tam per seipsum quàm per alios peccata nostra iustè puniat, pœnitentia tamen & patientia nostra sacrificium erit ei gratissimum, si manum eius æquis animis tulerimus, & cum Dauide, aliusque aliquot ex toto corde dixerimus: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Hic vre, hîc seca, vt in æternum parcas, &c.

Apparet denique, illos nec rectè cogitare, nec loqui, qui dicunt: Libenter sustinerem hanc iniuriam, si eam meritis essem. Cùm potius sit dicendum, *Æquiore animo istud probrû feram, quod sciam me promeruisse.* Nec me pudet iniuriarum, quas propter Deum & iustitiam libenter patior. Sic enim Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilij ludæorum, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati. Nam Christianum est, bene agere, & pro ea re ab hoc mundo ingratiſſimo mala recipere. *Retribuebant mihi mala pro bonis*, ait Propheta, *& odium pro dilectione mea, &c.*

21. *In hoc enim vocati estis; quia & Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequeamini vestigia eius.*

Confirmat superiorem exhortationem de patientia & obeditione, primò à vocatione & professione nostra, quæ est, vt abnegemus nosmet ipsos propter Deum, qui nos ea lege ad se vocauit, vt patienter feramus improborum iniurias. Hac enim tolerantia itur ad regna cælorum. *Per multas tribulationes*, inquit Paulus, *oportet nos intrare in regnum Dei.* Et Christus: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. In mundo pressuram habebitis.* Sic enim vult Rex cælestis milites suos temporariis istis afflictionibus & exercitus perenni secum gloria coronare. Fallunt ergo semetipsos, qui in Iesu Crucifixi professione, opes, honores, voluptates sibi repromittunt: de cruce autem nihil cogitant.

Secundò eandem confirmat, simulque omnes Christianos consolatur & animat ad crucis tolerantiam exemplo Christi pro nobis dira multa perpetientis. Ab immanitate hominû improborum, inquit, mentes oculos auertite, conuertite autem ad Christû filium Dei longè carissimum, sanctissimum, innocentissimum, qui propter nostra peccata, tam dura & ignominiosa passus est. Non est autem discipulus supra magistrum, nec seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, inquit, & vos persequentur. Paulus quoque docet, prædestinatos & vocatos homines ordinatos esse, vt fiant conformes imaginî Christi. Et rursus scribit: *Si commortui*

sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus. Si socij passionum estis, & consolationis eritis.

Christus ergo non solum nobis considerandus est ut redemptor, saluator, doctor iustitiæ, & pastor Ecclesiæ, verumetiam contemplandus ut absolutissimum exemplum veræ pietatis, innocentiae, patientiae, atque constantiae in aduersis, quod imitemur. Ut enim in illud conuerterimur oculos, illic cessabit omnis acerbitas, & conticescent impatientis animi motus. Si passus est innocens, cur non ego peccator patiar? Aut quid ego conqueror, cum ille nihil questus sit? Reliquit mihi exemplum tribulationum, non deliciarum: contumeliarum, non honorum: dolorum, non voluptatum: crucis denique & mortis, ut sic in æternum viuam.

Nec prætereundum, quod in Christo nobis quædam proposita sunt ad mirandum & suspiciendum, alia verò ad imitandum. Quod enim ambulauit super mare, transfiguratus sit in monte, illuminauit cæcos, curauit leprosos, claudos, surdos, & mutos, verbo suo mortuos reuocauit ad vitam, si conemur præstare, stulta & temeraria erit æmulatio. His enim se Deum omnipotentem, & tam animarum quam corporum fortissimum redemptorem esse comprobare studuit: non ut imitemur hæc fecit. Quod verò instanter orauit, uigilaui, ieiunauit, docuit, iniurias & calumnias patienter tulit, pro inimicis apud Patrem intercessit, mortem denique pro iustitia præsentis animo tulit, &c. hoc profectò ad imitandum pro viribus nobis reliquit, dicens: *Exemplum enim*

dedi uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Et Palus ait: *Estote imitatores mei, sicut ego Christi.* Estote imitatores Christi. Petrus denique hinc aperte suadet, *Christi pro nobis patientis sequenda esse uestigia.* At verò non tantum in cruce moriens passus est, sed etiam orans, ieiunans, flens, docendo, peregrinando, esuriendo, &c. Quæcunque verò Hugnostici hinc & alibi adferunt aduersus Quadragesimale ieiunium, copiosè dissoluimus Com. in c. 3. Ionæ Prophetæ.

Cyprianus martyr ex hac Petri sententia sic colligit. Si in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via, per Christi exempla gradiamur, sicut Io. nos instruit dicens. *Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare, &c.* Sequitur autem Christum, ait alibi, qui præceptis eius insitit, qui per magistrum eius uiam graditur, qui itinera eius sectatur, qui id quod Christus & fecit, & docuit, imitatur, &c.

Athanasius fidei Christianæ inuictus propugnator, de iisdem ait. Christus colaphis cæsus, nihil contra fecit. Nonne potuit imperare, ut Dathan & Abiron, terra uiuum deglutiret? Sed sustinuit, nobis relinquens exemplum ut nos per eius uestigia incedamus. Tu autem homo non sustines ab homine tecum eiusdem naturæ contumeliis affici? Imitare Dominum tuum, &c.

Saluianus Massiliensis quondam lectissimus antistes, eos iustis censuris carpens, qui Christi uestigii non inhærent: scribit. Videlicet, uestigia Saluatoris sequimur in circis, in theatris. Tale nobis scilicet, Christus reliquit exemplum, quem

1. Cor. 4. &
11.
Eph. 5.

L. de bono
patientia.

1. Ioan. 2.

Ser. De zelo
& liuore.

L. de uirginitate.

Ioan. 19.

L. 6. de uero
iudicio &

prossident.

Ioan. 11.

Luc. 11.
Heb. 5.

fleuisse legimus, risisse non legimus. Et hoc vtrumque pro nobis, quia fletus compunctio est animæ, risus corruptio disciplinæ. Et ideò dicebat: Vx vobis qui ridetis, quoniam flebitis: & beati qui fletis, quoniam ridebitis.

Luc. 6.

22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*

Argumentum sumptum à Christi patientis exemplo corroborat & amplificat ab eiusdè summa sanctitate & innocentia. Hic summè innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & cælis excellior ac purior: qui non potuit à quoquam coargui de peccato: ille cuius summā innocentiam etiam veteres Prophetæ palam asseruerunt, adfirmantes eum nec verbulo quidem peccaturū: crudelissima tamen & indignissima cum viuens tū moriens passus est. Quid ergo mirum, quid durum si plurimis & grauissimis peccatis cōmaculati patimur? Dominus gloriæ à sceleratissimis hominibus ineffabilibus malis affectus est. Serui nunquam sic viuunt vt omni culpa vacent. Seruitutis ergo iugum, & illatas à Dominis iniurias ferre debent patienter.

Isa. 53.

Locus sumptus est ex Isaiæ libro, & capite, in quo Christi passiones, earumdèmq; fructus graphicè depingit, recensita prius excellentissima eius sanctitate, qua nullum vnquam peccatum vel habuit, vel habere potuit: sed innocentissimum, iustissimum, purissimum, atque sic coram Deo Patre sufficientissimum fuisse qui pro peccatis totius mundi satisfaceret, & eundem Patrem cunctis credētib; & obtemperātib; sibi, propitium & placatum redderet.

Heb. 5.

Quo loco duæ Caluini in Christum hæreses, seu potius teterrimæ blasphemix apertè & solidè refelluntur. Prior est, qua eum in assumpta hominis natura verè peccatorem, ac reum fuisse Diuinæ maledictionis adfirmat. Eundem insuper accusat, quod mollitiæ animi mortem refugerit, vota inconsideratè emisserit eadèmq; retractanda & reuocanda, mediatoris officio fungi detrectauerit, in voces desperationis plenas eruperit, &c. quæ sanè omnia peccata sunt grauissima. Atque ita planè falsa essent vniuersa quæcunque in Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum scriptis de illius perpetua sanctitate, gratia, & iustitia referuntur. Insuper, non fuisset idoneus ac sufficiens mundi redemptor: sed alio Mediatore indiguisset, qui peccatis suis offerret ac intercederet.

Alterà heresis est, quòd Christus simpliciter & perse oppositus iudicio Dei, non meruerit: nec in eo reperta est dignitas, quæ posset Deum promereri. An non hæc totius salutis humanæ præcipuum fundamentū funditus euertunt ac tollunt? Vniuersèque generis humani spei rationē, quæ in vnus Christi meritis nititur, infringit & labefactat? Sic enim & Christus (referens horresco) plurima peccata fecisset, & dolus in ore habuisset, dicēs sanguinem suum fundi in remissionē peccatorū, & Apostoli cunctis hominibus imposuissent, adfirmantes Christū nobis factū esse iustitiā, & sanctificationē, & redemptionē. Verū, hæc copiosius retulimus & cōfutauimus priore dialogorū hebdomada, Dialog. 4. & 5. Sæctos patres hunc locū explicantes, & ad vsum suū referentes tantū subiicio.

S. Irenæus martyr, hinc concludit Christum

Com. in cap.
5. Galat.Inc. 12.
Ioan. v. 27.Inc. 27.
Matth.Iust. L. 2.
cap. 17. §. 1.

Matth. 26.

1. Cor. 1.

L. 4. cap. 37. verè principem esse cælestium, terrestrium, & infernorum, quoniam homo iustus, qui peccatū non fecit. Et alibi docet, Christi carnē esse eiusdem speciei & rationis cum nostra, tamen in ea nullum vnquam peccatum admiserit.

L. adu. In-
dæc, cap. 10. Tertullianus Apostoli verba ponderans, docet Christum de ligno crucis pendentem non fuisse iuxta legem maledictum, eo quod nullum delictum proprium haberet dolum de ore suo loquutus non fuerat: sed omnem iustitiam, & humilitatem exhibuit, &c.

Dent. 21. S. Athanasius tractatu de salutari aduētū Christi inde probat aduersus Apollinarium, Christū verum corpus humanum assumptum gestasse, peccatum autem nullum in eo contraxisse, sicut & alibi dicit: venit princeps mundi huius, & in me, &c.

1 Ion. 14. S. Hilarius ex eodem testimonio confirmat, illum lauacri Ioannis egentem non fuisse, sed ad assumptum creationis nostræ corpus & nomen, vt per illud in aquis ablutionis nostræ purgationem sanctificaret.

In cap. 45. S. Hieronymus, Deum Patrem aduersus Iudæos Christi calumniatores sic loquentem inducit. Quid mirum si filium meum, iustum regem miserim mundo, siue ab inferis suscitaue-
Isa. rim, cuius omnes vię rectæ sunt? Peccatum enim non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.

Catech. 13. S. Cyrillus Ierosol. ex eodem loco sic ratiocinatur. Multi per orbem crucifixi sunt, sed nullum præter Christum, exhorrent dæmones, quoniam illi quidem propter peccata sua mortui sunt, hic autem pro alienis. Peccatum enim ipse

non fecit. Non Petrus erat qui hoc dicebat adu-
Isa. 53. larus magistro, sed Isaias qui corpore nondum adorat, spiritu aduentum præuidens.

23. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.

Dixit de innocentia Christi, nunc addit summam eius patientiam sub cruce. Cum probris incesseretur, vocareturque Dæmoniacus, Samaritanus, blasphemus in Deum, vorax, potator, vini, seditiosus in Cæsarem, subuersor gentis, seductor: non reiecit maledicta. Et quum non deessent grauissima scelera, quæ in Iudæis iurè verèque in Iudæos posset eiaculari, obtulit tamen, quinetiam pro illis Patrem feruenter orauit, D. Pater ignosce illis. Insuper, cum grauissima supplicia in domibus Annæ, Cayphæ, Pilati, Herodis, & Caluarie loco pateretur, non comminabatur vt faciunt homines irati, qui vindictam spirant. Et cum pro Diuina virtute sua, hostes suos, vel fulmine cælitus vocato, vt olim Elias in duos quinquagenarios: vel tellure iussa dehisce (vt Dathan & asseclis contigit) semel potuisset omnes extinguere, deglutire, & in æternum demergere interitum: nihil tamen vel comminatus est istorum, vel intulit. Nec solum non rependit malum pro malo, sed & voluntariè & libenter se iniquissimis iudicibus Cayphæ & Pilato tradidit, à quibus iniustissimam mortis sententiam accepit. *oblatum est enim quia ipse
Isa. 53. voluit.*

Hoc extremum Græci paulò aliter legunt, scilicet *παρὸδίδου τῷ κρινοντι δικῶς*. Tradidit ei qui iudicat iuste. Quod variè exponunt. Didymus. Tradebat iniuste iudicantes se, ipsi Deo iuste iudicanti puniendos. Alij: Tradebat vindictam Deo. His consentit Syrus interpretès istis verbis ex tralatore.

Tract. 22. in
Joan.
I. 1. ad Tra-
summundum.

Tradens erat iudicium suum iudici iustitiæ. Augustinus. Sed commendabat illi qui iuste iudicat. Fulgentius. Commendabat autem iudicanti iuste. Alij. Tradebat seipsum Deo pro peccatis populi affligendum & percutiendum: iuxta illud Isaiæ: Propter scelus populi mei percussit eum. Christus denique tradidit se Deo, tanquam iusto iudici, qui abundè remuneraret patientiam eius, & compensaret iniurias, etiamsi ipse Christus seipsum non vindicaret: vt iterum respexerit Petrus ad illud Isaiæ: Ideo disperitiam illi plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. Quod Paulus his quoque verbis tradit: Factus est Patri obediens usque ad mortem crucis: propter quod exaltauit cum Deo, &c. Videmus Iesum propter ignominiam mortis gloria & honore coronatum.

Isa. 53.

Philip. 2.

Heb. 2.

Hic autem primùm quæritur, quanam ratione Petrus dicat Christum Iudæis nec maledixisse, nec comminatum esse, cum è cōtrario, appellauerit eos mendaces, filios diaboli, generatione prauam & adulteram, hypocritas, cæcos, & duces cæcorum, filios gehennæ, occisores Prophetarū, ofores Dei, sepulchra mortuorū? Apertèq; cōminatus est eis, eiectione in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentiū? Væ toties indixerit Pharisæis? Concilio Pontificum & Scribarum interminatus est, Videbitis filium hominis ve-

Matth. 12.

et 23.

Matth. 8. et
22.

Matth. 26.

nientem in nubibus cum potestate magna & maiestate? Ductus ad mortem comminatus est eis postremā internecionē: Respondet Augustinus, quod Luc. 23. habita iusta causa licet fratre vocare fatuū, quomodo & Christus Cleopham, & Paulus Galatas Luc. 24. infensatos appellauit. Sic Stephanus & Petrus Gal. 3. Iudæos vocauerūt persequutores & homicidas Act. 3. 4. et Prophetarū, deniq; Christi proditores & Deici- 7. das: quandoquidē velut publicis prædicatoribus verbi Dei, incumbere eis ex officio peccata hominū palam traducere, coarguere, ac dānare, vt vel ab illis maturè respicerēt, vel iustam reprobationis & perditionis suæ sententiam exaudirent. Hanc ergo peccatorum reprehensionem, nec Christo Petrus adimit, nec huius exemplo Isai. 58. concionatoribus, ora claudit: sed loquitur de cōtumeliis, quas quis ex ira & odio in alterum effundit, vt stomacho suo faciat satis, & proximum denigret, non emendet: quod à Christo alienissimum semper fuit. 2. Tim. 4.

Perpendamus etiā, quid nos in Christo deceat imitari, nempe vt placidè feramus iniurias, nec de illis vindicandis cogitemus. Ita enim fert prauum hominis ingenium, vt accepta iniuria, animi protinus ebulliant ad cupiditatē vindictæ & dicamus: Quomodo fecit mihi, sic facia illi: & reddam unicuique secundū opus suum: quod Sapiēs districte dānat & prohibet. Ita oderat Esau Iacob pro benedictione subrepta, dicebatq; in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidā Iacob fratrem meū. Sed quid deus de hac vindicandi cupiditate statuerit, dicat Propheta: Propter interfectionē, & propter iniquitatem in fratrem tuū Iacob, operiet se Abdia. 1.

Prou. 24.

Gen. 27.

confusio, & peribis in aeternum. Piè igitur Moyses statuit: *Ne quaras ultionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum.* Et multis, & sæpè vindicta obfuit.

Addit autem Apostolus ad piorum consolationem, quod si patienter ferant impiorum probra & violètiã, Deum habituri sunt vindicem, qui eorum ius famãmque haudquaquam negliget. Ideo insigni hoc epitheto Deũ Petrus exornat, quòd *iustè iudicet.* Ergo nostrum est æquo animo mala tolerare, Deus interea partes suas non negliget, quin se nostrum vindicem ostendat. Ideo sapiens ait. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.* Ad hoc etiam pertinent ista verba Evangelica. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei alteram, &c.* Et hoc Apostolicum: *Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim. Mihi vindictam: ego retribuam dicit Dominus.*

B. Irenæus martyr hunc D. Petri locum peculiari sibi tralatione reddens, eundem adhibet ad confirmandum, quòd Christus æternus Dei filius, idem numero factus sit homo: & non alium esse Iesum, alium Christum: nec alium filium altissimi, & alium filium Virginis: contra veteres Gnosticos, qui eum in plures discerpebant.

B. Cyrillus Alex. hinc quoque non parum consolationis sanctis in afflictione positis exoriri doget, quòd certiores sint, iniuriantes non impunè euasuros. Beatus quoque Paulus à Pontifice quodam cæsus, hanc habuerit consolationem, *Cadet te Deus, mire decalbate.* Humanæ igitur imbecillitatis hæc etiam cura est, vt credas

NON

non vitaturos supplicia, iniuriantes.

Beatus, inquit Ambrosius, qui potest tantam habere virtutem, vt laceffitus non irascatur, cõmorus se nolit vlcis. Inimici hoc agunt, vt prouocent ad iracundiam. Maledicunt, vt maledicamus: criminantur, vt crimen retorqueamus: conuiciantur, vt excitent nos ad vicissitudinem contumeliæ. At, *Christus cum malediceretur, non remaledicebat, &c.* Ad eius ergo similitudinem atque imaginem iustus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat laceffitus, & nõ aperit os suum: vt illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum.

B. Fulgentius ex iisdem istis Apostoli sententiis, aduersus Arrianorum inficiationes rectè cõtendit, Christum non tantum corpus, sed & animam humanam, id est, perfectum torumque hominem assumpsisse, vt totum redimeret atque saluaret. Quod enim dicitur, *Cum malediceretur, non remaledicebat,* propriè ad animæ patientiam pertinet. Vt autem B. Petrus & animæ nobis & carnis in Christo demonstraret exemplum, adiunxit, *Cum pateretur, non comminabatur.* Commendabat autem iudicanti iustè, &c.

24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitia viuamus: cuius liuore sanati estis.*

Sumpta occasione ex Prõphetæ oraculo, more suo paululum digreditur in fructus passionis & mortis Christi. Non enim solum patientiæ

V

Leu. 19.

Eccli. 21.

Matth. 5.

Luc. 6.

Rom. 12.

Dent. 31.

E. 3. cap. 18.

L. 10. in 10.

cap. 30.

Act. 23.

In psal. 37.

Isa. 53.
Ierem. 51.L. 1. ad Tract.
sim.

exemplum nobis in illa propositum est, sed alij quoque fructus longè ampliores & vberiores sunt inde colligendi: nimirum, quòd nostrorum peccatorum remissionem meruerit, & pro peccatis eis in iudicio Dei debitis satisfecit: ex quibus consequitur, quòd à cætero semoti omnino à peccatis, iuste ac piè viuere debeamus. Christus, inquit, cum ipse nulli peccato esset obnoxius, tamen sarcinam peccatorum nostrorum, quo nos oneratos liberaret, sustulit in proprio corpore, & in ligno crucis velut purissimum holocaustum pro nostris sceleribus immolatus est: suæque morte immerita nobis debitam mortem depulit, & pretiosissimo sanguine peccatorum maculas fordèsque nostras deterxit. Illam autem acerbissimam passionem sustinuit, non vt deinceps pro nostro ingenio viuamus: sed vt peccatis extremum valere iussis, sanctam iustamque vitam in hoc sæculo viuamus. Nos offenderamus, ille vapulauit: nostra erat culpa, in illum sæuit animaduersio. Memores igitur omnes, serui præsertim quòd Christi plagis, vulneribus, sanguine, morte, doloribusque, animæ nostræ sanatæ sunt, ne in æternum perirent, æquioribus animis plagas iniuste inflictas sustinere: & hac etiam in re Christum saluatorem nostrum imitari debemus.

Hinc primùm, exemplo Petri doctrinã Christianam ex oraculis Isaïæ desumentis & amplificantis discamus, sanctorum Prophetarum libros quos decet ac oportet habere in pretio, velut ipsius Spiritus sancti; non autem hominum,

voces & testimonia, eorumdemque lectioni atque meditationi incumbere: & sacras conciones, adhortationèsque illorum autoritatibus communire. Nam & Dominum his proposita sua corroborantem passim habemus in Euangeliiis, atque nunc Moïsis, Dauidis, Isaïæ, Danielis verba nominatim citantem: mox & Ionæ, & Eliæ, & Elisei historias pro concionibus exponentem: Ieremiæ denique ac Ezechielis, & Osæ, & Micheæ, & Malachiæ sententias comprobantem. Quid his frequentius occurret in Epistolis Pauli, præsertim ad Rom. ad Gal. & ad Hebræos? *Sapientiam ergo omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit: vt profecrat de thesauro suo noua & vetera.*

Inde, ab utròque Isaïa videlicet & Petro, exemplum capiamus passionis ac mortis Domini nostri meditandæ, ac publicis Ecclesiæ cœtibus non rarò proponendæ. Hæc siquidem pretiosissimus est Ecclesiæ Christianæ thesaurus, ac totius mundi salus, atque vnica spes & confidentia nostra coram Deo. Hanc quondam Abel in agnorum immolatione, hanc pater Abraham in filij sui sacrificio, hanc Moyse in serpente æneo, hanc sacerdotes in cunctis victimis adumbratam piis votis contemplantur, & aliis exponebant: hanc Dauid in Psalmis præcinebat: hanc Isaïas disertis verbis prædicat. Et huius memoriam viri Christiani ingrata sempiternaque obliuione debebunt? Tantam gratiam iustis honoribus & memoriamente non persequentur? Non perpetuò celebrabunt?

Tanti beneficij recordationē in crucis, ac Christi desuper affixi, cruenti, & pro nobis dira patientis imaginibus, oculis ac mentibus humanis propositam, cum Iudæis, Turcis, & Hugnoticis horrebunt, conspuent, deiicient, pedibus calcabunt? Apagere tantam amentiam, & planè diabolicam ingratitude.

Cùm verò tam dura diraque passus sit capite, oculis, auribus, ore, manibus, pedibus, latere, totòque corpore & animo, idque non pro vllis delictis suis, sed pro nostris, (non enim pro se, verùm pro nobis doluit) attentis animis meditemur, quanti Deus animas nostras fecerit, quanti filio eius illarum salus constiterit, quantæ denique vtilitates ex his nobis accedant. Illis enim passionibus & Pater nobis placatus est, & iudicio eius pro peccatis totius mundi factum satis, & apertum nobis regnum cælorum; & adoptionis, iustificationisq; animarum nostrarum gratia promerita, & Sacramentorum Ecclesiæ mercatâ mirabilis efficacitas, & (vt summatim dicam) inexhaustum infinitumque bonorum pelagus nobis acquisitum & donatum. Constante ergo cū Augustino dicamus. Tuta & firma requies est mihi in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito. Patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniã misericordiã affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis. Iterum. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem venerit, quoniam peccata mea illum vince-

Isa. 13.

Manual. cap. 21.

Cap. 23.

re non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si cum amauiero, &c.

Addens porrò, *in corpore suo super lignum*, vim mortis eius exprimit, docetque nullum conuenientius salutis hominum procurandæ perficiendæque remedium fuisse, quàm vt filius Dei factus filius hominis in ligno crucis affixus moreretur, tametsi Diuinæ potestati & misericordiæ non defuerint alia plurima, vt piè docet Augustinus. Subscribit his verbis Gregorius. Cùm Deus ex nihilo omnia fecit, posset etiam ex nihilo hominem reparare. Et Leo Papa. Filius Dei ex omnipotentia, qua est æqualis Patri poterat solo verbo hominem reparare: sed operibus Dei congruebat, vt hostilis aduersitas de eo vinceretur, de quo vicerat.

Ambrosius hunc locum perpendens ait. O diuinum crucis illius sacramentum in qua hæret infirmitas, virtus libera est: affiguntur vitia, eriguntur trophæa? Ergo & tu crucifige peccatum, vt moriare peccato. Qui enim peccato moritur, viuunt Deo. Viuamus ei qui proprio filio non pepercit, vt in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, vt nos in illius rediuiuo corpore viueremus. Lignum illud crucis velut quædam nostræ nauis salutis, vectura nostra, non pœna est.

Idem rursum alibi. Doles ergo Domine, non tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem: & nos æstimauimus te esse in doloribus, cùm tu non pro te, sed pro

L. 13. de Trin. c. 10.
& L. de agone Christ. cap. 11.
L. 20. mor. cap. 26.
Ser. 14. de Pass. Domini.

L. 1. de Spiritu sancto, cap. 8.

Com. in cap. 22.

L. 11.

L. 11. 13.

310 COMMENTARIA IN CAP. II.
me dolores. Sed quid mirum si pro omnibus do-
luit, qui pro vno fleuit? Et quid mirum si mo-
riturus pro omnibus tædiat, qui Lazarum resu-
scitaturus illacrymat? Sed & ibi piæ sororis la-
crymis commouetur, quia mentem humana tã-
gebant: & hîc alto operatur affectu, vt quia in
carne sua peccata nostra perimebat, mœrorem
quoque animæ nostræ suæ animæ mœrore abo-
leret.

Mirum, aut potius miserandum, quantis arti-
bus hoc Christi beneficiû Satanæ per Caluina-
nos obscurare, & eius memoriam labefactare
conetur. Aiunt enim, *fidem Christianam nihil repe-
rire in crucifixi contemplatione, quo se sustentet: illic
tantum apparere carnis infirmitatem, ac extrema de-
sperationis materiam. Christo memoria excedisse se mis-
sum esse Salvatorem mundi. Nihil salutis nostræ actum
fuisse, si corporea tantum morte defunctus esset. Eum
tunc de æterna animæ suæ salute dubitasse. Imò in voces
desperationis plenus erupisse. Sanctissimum sangui-
nem eius in terra iam dudum putrefactum & con-
sumptum, non superesse. Denique, cum totis viri-
bus incumbunt, vt sacrosanctum incruentum-
que Eucharistiæ sacrificium, (per quod cruenti
& in cruce peracti sacrificij memoria toto orbe
annunciatur & celebratur) tollant de medio:
nõne mortis & passionis Christi omnem recod-
ationem quantum in eis est, pessundant atque
labefactant? Audent tamen impij homines Cã-
tholicis viris imponere, quod doceant, mortis
Christi sacrificio tantum à culpa post Baptismû
homines liberari, pœnam verò satisfactioni-
bus redimi: cum è contrario credamus, docca-*

Ioan. 11.

Cal. in Har-
monia.

Hæc confu-
tauimus in 1.
hebd. Dia-
log.

I. ut. 22.

I. Cor. 11.

EPISTOLÆ I. D. PETRI. 311
mus, palamque profiteamur, pœnas æternas
culpæ capitalibus debitas vna tantum Christi
passione & morte pœnitentibus condonari: sa-
tisfactionibus autem nostris supplicia solum
temporalia remitti.

Vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.

En altera mortis Christi utilitas. Non tantum
gratia iustificationis & remissionis peccatorum
nobis propter eam offertur atque confertur:
sed & vt peccato, carne, mundòque moria-
mur, vt eidem Christo consurgamus & con-
uiuamus. Istud & Paulus his verbis effert. *Qui Gal. 5.*
*sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis
& concupiscentiis.* Et ad Rom. scribit, veterem
hominem nostrum per Baptismum consepul-
tum esse Christo, vt & nos conresurgentes, in Rom. 6.
nouitate vitæ ambulemus. Item, crucifixum
esse, vt destruat corpus peccati, & ultra non
feruiamus peccato. Omnibus ergo modis fal-
lunt semetipsos, qui ob Christianæ religionis
professionem, honores, voluptates, aut opes
mundi tum sibi repromittunt, cum de baiulan-
da cruce cogitare debeant.

Cuius liuore sanati estis.

Adhuc apertius redemptionem nostram de-
scribit. Vos inquit, animis grauiter vulneratos,
peccato originali, mortali, veniali, Christus per
flagra, vulnera, vibices, tumetes ac sanguine ple-
nos liuores, mortẽ denique suã Christus sanitati
planè restituit. Hinc igitur acceptã ferre debetis
iustificationẽ vestrã. Quod vitæ pristinæ vestræ
peccata deus seu per Baptismû seu per pœniten-
tiam condonauerit, huius vinculis, huius plagis.

huius vulneribus, huius sanguini, huius cruci, huius morti debetis. Ergo discenda, exercendaque nobis patientia, ut condolere magis lædentibus possimus, ac pro ipsis Dominum orare, & in bono malum vincere, quàm contra Redemptoris nostri exemplum vim vi repellere.

Cyrellus Alex. de hoc loco ita sentit. Quoniam taurorum hircorumque sanguis, & iuuenearum cinis ad peccatorum ablutioem nõ sufficiebat, ipse Christus vnus pœnas pro omnibus luit. Liuore namque ipsius sanati sumus, & delicta nostra ipse in corpore suo in lignum rulit: crucifixus autem pro omnibus, ut morte vnus in ipso omnes viuamus.

Ambrosius autem. Pro nobis, non pro se dolebat: & infirmatus est non propter sua, sed propter nostra peccata, ut nos suo liuore sanaret. Quid vtique est homo in plaga, & sciens ferre infirmitatem, nisi quia plagæ (nostræ) habebat compassionem?

25. *Eratis enim sicut oves errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum uestrarum.*

Claudit hoc caput pia grauique admonitione de nostra infelici priscaque conditione, in qua nascimur, adolescimus, & vniuersi perimus, nisi nos ad Christum conuertamus. Sumit autem similitudinem ouium errantium ex Psal. *Erraui sicut ouis quæ perit, & Isaiâ. Omnes velut oves errauimus.* Memor Euanglicę parabolæ, qua Dominus sese confert cum pastore, aberrantẽ ouem quærẽte, & in humeros suos ad caulã referente.

Antea, inquit, sicut oves palantes absque duce, alij aliõ aberrabatis, quod quẽmque sua ferebat cupiditas, existimantes licere quicquid liberet: sed ab errore pristino nunc conuersi estis ad Iesum pastorem & curatorem animarum uestrarum. Hunc si sequamini ferendis præter meritum afflictionibus malorum, illo duce peruenitis ad immortalitatis gloriam.

In his primùm attende, quàm misera & exitiosa sit omnium hominũ extra Christum conditio. Non enim solùm comparantur cum pecudibus, sed à recta viã longè aberrantibus, & ferarum lanatiibus omninõ patentibus ac expositis. Sic donec Christus ad sui noticiam & protectionem nos colligat, omnes à salute sumus alieni, & tendimus in exitium. *Nemo venit ad Patrem, Ioan. 6. & ait ille, nisi per me. Ego sum via, veritas & vita: 14.* ergo nisi duxerit ille, omnes aberramus: nisi docuerit, in mēdaciis versamur: nisi viuere dederit, in morte sumus. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos facere credentes. *Act. 4.*

Ex quibus apparet Zuinglianos turpiter falli & fallere, quando Herculem, Theseum, Numam Pompilium, & quosdam alios Ethnicos in cælis collocant, tamen nihil vnquam de Christo vel audierint vel crediderint. Nam, ut rectè Augustinus sentit, sine fide incarnationis & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiqui iusti à peccatis mūdari, non solùm in filiis Israël, sed etiam extra eundem populum, nec iustificari, nec salutem consequi potuerunt. Et idem rursus. Si salui erunt aliqui sine Christo, & iustificantur aliqui *Zuingl. in confess. fides Bullinger. Galtherus. L. 2. de grat. Christi & pec. orig. c. 24. L. 6. cont. Iulian. c. 12.*

L. 4. in Io.
cap. 1.

In psal. 61.
Isa. 53.

Psal. 118.
Isa. 53.

Luc. 15.

sine Christo, ergo Christus gratis mortuus est, &c. Non est præter unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, aliud nomen sub cælo, in quo oporteat saluos fieri nos. Et ideo dictum est. *In Christo omnes uiuificabuntur, &c.*

Aduerte etiam, quàm necesse sit ut eiusdem Christi gratia & misericordia nos præueniat, illuminet, & ad ipsum perducatur. Enimuerò ut ouis errans sua sponte non redit ad pastorem, nisi quærat; ita pereundum esset uniuersis peccatoribus, nisi per Spiritus sancti gratiã in uiam reuocarentur. De quolibet sanctorum & electorum dicit Psaltes: *Præuenisti cum in benedictionibus dulcedinis.* Et de semetipso. *Misericordia eius præueniet me, & subsequetur me omnibus diebus uitæ meæ.* Idem Augustin. coacervatis plurimis sacramentorum literarum testimoniis, aduersus Pelagianorum libertatem arbitrij nostri nimium extollentium hæreses ita confirmat. Puto propter regnum cælorum esse dictum. *Inclina cor meum in testimonia tua. A Domino gressus hominis diriguntur, & uiam eius uolet. Paratur uoluntas à Domino. Inclinet corda nostra ad se, ut eamus in omnibus uis eius. Dabo eis cor agnoscendi me, & aures audientes. Dabo eis cor aliud, & Spiritum nouum dabo eis. Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis, &c.*

Nec prætermittas duos insignes perdulcèscque titulos Christi. Est enim *Pastor* diligens, ac per uigil *Episcopus* animarum nostrarum. Ne timeas igitur quin fideliter uigilet pro tua salute, modò in eius ouili & custodia te semper contineas. De

hoc enim ait Propheta: *Sicut pastor gregem suum Ies. 40. pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, factus ipse portabit.* Deus Pater quoque per Ezechielem inquit. *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascet eas, seruum meum Dauid* (1. Christum ex semine Dauid secundum carnem) *ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Ideo & de semetipso concionatur: *Ego sum pastor bonus.* *Ego sum pastor ouium, &c.* Caue ergo ne uoces alienorum, ut pote Turcarum, ethnicorum, schismaticorum, & pseudoprophetarum, audias & sequaris: sed unius Christi in Ecclesia sua loquentis.

Sed quibus quantisque modis (inquies) pascit nos etiamnum hodie? Primò, uerbo euangelico tam scripto quàm tradito fidem gignit, fouet, & pascit; ut Iacobus docet. *Voluntariè genuit nos uerbo ueritatis.* Et Paulus ait ad Corinthios: *Per euangelium in Christo uos genui.* Secundò, efficacissimis sacramentis, ut Baptismo, quo regenerat & adoptat in filios & heredes: & Eucharistia per quam carne & sanguine nos fouet in uitam æternam. Tertiò, sanctissimæ uitæ præceptis & exemplis, d. *Discite à me quia mitis sum, &c. Exemplum dedi uobis, &c.* Quartò, gratia spiritali & caritate, quam infundit cordibus nostris per Spiritum sanctum immissum, & clamantem in nobis, Abba, Pater. Quintò denique, etiam temporalibus bonis, quātum necesse est ad hanc uitam transigendam. Promisit enim, quærentibus regnum Dei, nihil reliquorum defuturum esse.

Ad hæc, dicitur *Episcopus* animarum, non possessionum, ait B. Thomas, sicut multi moderni,

I. Tim. 2.

I. Cor. 15.

Psal. 20.

Psal. 38.

L. de pr. d. s. sanct. c. 20.

Psal. 118.

Psal. 36.

Prou. 8.

3. Reg. 8.

Ierem. 24.

Ezech. 36.

Ioan. 10.

Iac. 1.

Ioan. 6.

Matth. 11.

Ioan. 13.

Rom. 5.

Matth. 6.

intendentes possessionibus, non animabus, de quibus propheta: *Quasi custodes agrorum facti sunt.*

*Ierem. 3.
De scientia
Dionysij
Alex.*

Notat magnus Athanasius beatos Apostolos prudenter admodum humana Saluatoris primum Iudæis attulisse, ut eos iam Christum venisse persuasos, paulatim ad credendam eius Diuinitatem ex signis & miraculis perducerent, demonstrantes istiusmodi opera non hominis, sed Dei esse. Certè Petrus cum hominem passibilem diceret Christum statim adiunxit: Hic autor vitæ est. Et in Euangelio dixit: *Tu es Filius Dei uiuentis.* Et in epistola, cum Episcopum animarum, & Dominum suum, & Angelorum, & potestatum pronunciat.

*Act. 2. &
3.
Math. 16.*

CAPVT TERTIVM.

1. *Similiter & mulieres subdita sint uiris suis: ut & si qui non credunt uerbo, per mulierum conuersationem, sine uerbo lucrifiant.*
2. *Considerantes in timore castam conuersationem uestram.*



O c caput tertium diuiditur in 12. uersus, tres autem præcipuas partes. Prima septem uersibus plurima continet domestica præcepta, quibus docentur mulieres Christianæ, quo pacto sese gerere debent cum uiris suis: & uiri pij cum uxoribus. Secunda, septem sententiis Apostolus redit ad varios locos communes, id est, generalia vitæ

Christianæ præcepta, seu officia ad omnem sexum & conditionem pertinentia. Postrema pars egregiam ac perutilem concionem de morte Christi, atque fructibus illius complectitur.

Dicturus ergo hic totius Ecclesiæ Christianæ summus post Christum pastor & rector, de piæ fidelisque matronæ muneribus ac officiis, sic exorditur. *Similiter & mulieres, &c. q. d. Falso criminamur & traducimur inter ethnicos, quod seruos à dominorum suorum potestate, subditos à magistratus obseruatione, matronas quoque à uirorum suorum consortio & debita subiectione per euangelicas conciones subtrahamus: cum è contrario, (ut superioribus præceptis patet) illos docuimus Regibus & Magistratibus etiam infidelibus & dyfcolis, omnem in rebus huius sæculi reuerentiam & obeditionem debere. Ita & nunc omnibus matronis Christianis mandamus, ut maritos suos etiam adhuc ethnicos, reuerentur, obseruent, & audiant: quandoquidem etiam inde fieri poterit, ut quos ad fidem veram non commouet nostra prædicatio, eos uxoribus obedientia, sancta conuersatio, diuini numinis timor, castitas, modestia, & temperantia permolliat: & ad Christi religionem atque salutem perducatur. Siquidem pertinentes per Baptismum commutatis esse moribus, cernentesque in eis multa veræ virtutis exempla fortassis inflammabuntur, huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori consortes sunt, uelint & professionis esse socij: sicque saluabitur uir infidelis per mulierem fidelem. Habet enim perquam acres stimu-*

los syncera probitas, quæ sæpenumero propius animaduersa facit, vt carnalis amor vertatur in spiritualem.

Hinc primùm apparet, quàm tetris calumniis per organa sua conatus sit diabolus cunctis suspectam ac odiosam reddere Catholicam religionem, & Apostolicam doctrinam, quando in vulgus spargebat huius præcones & assertores, diuortia & lites inter vxores & maritos procurare, sicque omnem pacem & tranquillitatem domesticâ perturbare, ac tollere de medio. Hæc autê impostura eò verisimilior videbatur, quòd Apostoli docerent, fœminas nunquam admittere debere eas virorum ethnicorum libidines plusquam belluinas, & naturali vsui contrarias, quibus Orientales & Græci plus satis erant addicti, vt patet ex gregibus exoletorum quos fouebant, capite primo ad Rom. ac historiis tam Ecclesiasticis quàm humanis. Hanc Marco Tullio exprobrat Sallustius.

Referunt etiam Iustinus martyr ac Eusebius quandam vxorem factam Christianam, mariti sui contubernium fugisse, eo quòd nouas vias libidinis exquireret. Linus Papa narrat quatuor concubinas Agrippæ præfecti Romani, simùlq; Albini cuiusdam vxorem, Petri prædicationibus de pudicitia, virorum thoros superiori ratione omnino deuitasse. Chrysostronus etiam testis est, Neronem occidendi B. Paulum occasionem inde captasse, quòd pellicem quam in delictis habebat, ad fidem conuersam, illius impurum & sodomiticum congressum fugere & abominari persuasisset. Recitatur denique in Actis Apost.

*Apolog. 1.
L. 4. hist. c.
17.*

*Libello de
pass. B. Pe-
tri.*

*L. 1. adu. vi-
tuperat. vite
Monastice.*

Felicem Iudæ præsidem contremuisse, cum audisset Paulum disputantem de iustitia, castitate, & futuro aduersus nefanda peccata iudicio.

Petrus itaque hanc calumniam depulsurus, & piæ Christianæque matronæ traditurus officia, primo constituit loco, vt sint viris suis morigeræ ac obsequentes, atque velut capitibus & dominis suis obediens: quando videlicet nihil contra ipsius naturæ, Deique leges præcipiunt, nec ad vllam impietatem impellunt. Ita enim & Deo iubenti obaudient, & maritorum animos sibi conciliabunt, totique familiæ atque sibimetipsis magnam pacem & honestatem acquirunt. Sic autem & Paulus loquitur, d. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ.* Et rursum. *Mulieres, estote subditæ viris sicut oportet in Domino.* Rursumque. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in vârum, & car.* Primæ enim mulieri, ac omnium fœminarum matri dictum est: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Atque hæc de primo Christianæ fœminæ officio.

Secundum Apostolus constituit in pia illarum conuersatione, quando videlicet moribus, gestis, dictis, exemplis, potiusquam vultus pulcritudine, aut splêdido vestitu conabitur maritum infidelem aut improbum reddere meliorem. Efficacior quippe est, ait D. Bernardus, vox boni operis, quàm elegantis sermonis. Vnde Paulus ait. *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem: cum videlicet exemplis domesticis*

Act. 14.

Eph. 5.

Coloss. 3.

1. Tim. 2.

Gen. 3.

1. Cor. 7.

animum viri sui lenit, & allicit ad audiendam sectandamque doctrinam Christianam, & occasiones multas subministrat ne pereat ille, cuius salutem æternam cunctis aliis rebus debet anteferre. Augustinus adfirmat matrem suam Monicam castitate, patientia, pietate, obedientia, prudentiâque singulari virum suum Patricium ex impuro Manichæo, tandem Christo lucrificasse. Ita Cecilia Valerium quem tanquam leonem ferocem susceperat, tanquam mitissimum agnum ouili dominico sociavit. Eadem feruntur de Natalia Hadriani, & Martha Marij viri Persici vxore, & compluribus aliis, &c. At nunc è contrario plurimæ noscuntur, quæ vt Eva Adæ, Dalila Samsoni, Ethnica Salomoni, Iezabel Achabo maritis suis, causæ fuerunt ruinarum.

Tertium piæ matronæ officium designat Apostolus, vt in omnibus cogitationibus, verbis, & factis Diuinum timorem semper animo retineat. Si aliquid iubeat maritus, si exigant liberi, si res domestica postulare videatur, quod Deo pateat aduersari, potius hunc metuat, quàm mariti indignationem, aut domus suæ iacturam. Nam Christus animarum nostrarum sponus in Euangelio tradit. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sed eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Hic enim timor, ait Gregorius, est principium iustitiæ, custos sanctitatis, & anchora salutis.

Quartum officium est, studiosa diligensque conseruatio castitatis, ac inuiolata thori fides. Hanc enim præ cæteris exigunt mariti, quandoquidem alias non paucas imbecillitates & im-

L. 9. confess.
c. 9.

Matth. 10.
Luc. 12.

perfectiones in vxoribus non grauatè tolerant ac dissimulant: nunquam autem adulteria, aut vagas libidines. Illas etiam diuinæ & humanæ leges grauissimis suppliciis coercendas & castigandas esse sanxerunt. *Non mœchaberis. Non concupisces vxorem proximi tui. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, morte moriatur mœchus & adultera.* Propter vnicum Dauidis & Bethsabeæ adulterium, septuaginta millia hominum mala peste triduo consumpti sunt: & vnà cum Vria aliquot alij viri fortes gladiis Ammonitarum cæti. Vt Achabi & Iezabelis, Herodis & Herodiadis stupra damnantur, sic è diuerso Iosephi & Susannæ exempla castitatis celebranda & imitanda proponuntur. De reliquis piarum vxorum in viros suos officiis, deque matrimonio infidelium cum infidelibus, copiosius disseruimus Com. in lib. Ruth.

B. Ambrosius hæc perpendens scribit. Extra paradysum vir factus est, mulier intra paradysum: vt scias quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute, vnusquisque gratiam sibi comparat. Denique extra paradysum factus vir melior inuenitur: quæ in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est, & virum ipsa decepit. Vnde Apostolus Petrus subiectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memorauit. Idem rursus: Mulieris gratia plurimum valet, vt viri eius conuertatur affectus per vxoris suæ bonam conuersationem, & incredulus se conuertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris grauitas, & pudicitia, & eius bona conuersatio, vt virum suum

Exod. 10.

Leuit. 20.

2. Reg. 12.

L. de parad.

c. 4.

L. 6. de sa-

cramentis, c.

322 COMMENTARIA IN CAP. III
vocat ad fidem & deuotionem, quod prudentis
viri sermo frequenter operatur.

D. Hieronymus Ep. ad Celantiam, de institu-
tione matrisfamilias, ex his Apostoli verbis sic
colligit. Si etiam gentilibus maritis debetur ho-
nor iure coniugij, quanto magis reddendus est
Christianis?

L. 1. par. al.
c. 72.

Damasceus probaturus quod mulieres viris
suis subditas esse oporteat, nec citra eorum au-
thoritatem quicquam facere, laudat quod in
Genesi Deus dixit: *Ad virum erit conuersio tua,*
& ipse dominabitur tui. Item. *Mulier si maritum ha-*
buerit, & vouerit aliquid, quo die audierit vir, &
non contradixerit, voti rea erit. Sin autem renuerit vir
eius, non manebunt vota. Denique, quod hic
scribitur à D. Petro: *Mulieres subdita sint viris*
suis, &c.

Gen. 3.

Nam. 30.

3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circun-*
datio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.

Quantum matronæ Christianæ munus hic
traditur, nimirum vt modestus sobriusque sit
ornatus corporis eius, atque temperati animi
externum iudicium, sicut è contrario dissolutus,
nimisque curiosus superbae & corruptæ mentis
certum est argumentum. Quia ergo contigit
mulieres tribus præsertim modis in his pompis
& vanitatibus peccare, has breui enumeratione
recenset, & diuina auctoritate prohibet, tan-
quam per Baptismum Deo renatis & sacratis
fœminis illicitas.

Primus abusus est in artificiali capillorum

colore, compositione, crispatura, & in bella
luina cornua erectione. Item cum hos ferro
contorquent in cincinnos, plicaturas, & alias
circum capita sua ligaturas, vt spectantium oculos
detineant, & ad prauas cogitationes atque
concupiscentias prouocent & accendant. Non
quod simpliciter prohibeatur mulieribus capil-
litium nutrire, seruare, aut modeste componere,
cum Apostolus dicat, *Mulier si comam nutriat,* 1. Cor. II.
gloria est illi. Turpe est mulieri tonderi, aut decaluari,
capilli pro velamine ei dati sunt. Et Christus non
semel admiserit obsequium Magdalene tergen- Luc. 7.
tis sibi pedes promissis ac propriis capillis.
Quinetiam Samsoni cum capillis crescentibus, Ioan. 12.
eam mirabilem fortitudinem restituerit, quam
in detensione illorum misere perdiderat, & cæ- Ind. 16.
tera.

Sed nimia curiositate atque illis se or-
nate, ac ostentare vt alios ad illicitos amores
commoueas, omnino prohibetur: præcipitur
verò vt velamento illos operias & contegas
præsertim in conuentibus Ecclesiasticis. Ait
enim Apostolus. *Omnis mulier orans aut propheta-* 1. Cor. II.
tans non velato capite deturpat caput suum. Debet
mulier velamen habere super caput suum propter an-
gelos: qui videlicet Ecclesiis præfunt, adsuntque
publicis & priuatis precibus Christianorum, at-
que in his omnem pudicitiam & modestiam re-
quirunt atque diligunt.

Secundus muliebris ornamenti abusus est
in superflua applicatione auri, argenti, vel gem-
marum in capillis, in mitris, in collo & colla-
riis applicatione: insuper in manicis, catenulis,

324 COMMENTARIA IN CAP. III.

inauribus, speculis, torquibus, annulis, speculis, cingulis, vel aliis partibus, vestium aut corporum vana adhibitione. Hæc enim humilitati simplicitatiq̄ue professionis Christianæ repugnant, nullam vtilitatem adferunt, nulla necessitate adhibentur : ideóque vana & superflua iurè censentur & prohibentur non hîc solùm à B. Petro, sed etiam à Paulo doctore gentium. *Mulieres, inquit, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. Imò & ipse Dominus omnipotens grauissimas pœnas & miserias comminatur se immisurum in huiusmodi pomparum studiosas dicens. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, &c. Et erit pro suau odore, fætor : pro Zona, funiculus : pro crispanti crine, caluitium : & pro fascia pectorali, cilicium.*

Tertia species damnati fastus & ornatus spectatur in vestimentis, togis, & palliis, quando scilicet, vel nimis pretiosa sunt, vel superflua, vel discissa, vel diuersorum colorum, &c. Ista enim tam curiosa corporum ornamēta neglecti animi signa sunt. Nam si diuitiis cælestibus & virtutibus studerent adornari, hæc non tam impensè amarent, aut eisdem oblectarentur : sed potius despicerent, & cum regina Esthere coram Deo protestarentur : *Tu scis necessitatem meam, quòd abhominer signum superbie mee & gloria, quòd est super caput meum, & detester illud quasi pannus menstruatæ. Cogitarentque non frustra notatum fuisse Epulonem, quòd indueretur purpura & bisso. Has igitur tres muliebris fastus & pompæ*

species, & sub his reliquas omnes prohibens princeps Apostolorum, satis docet eas sobrio ac honesto contentas esse debere ornamēto.

Hîc primùm intuere, quàm verè iurèque scribat D. Hieronymus : *φιλόκοσμος* genus fœmineum est. Multasque etiam insignis pudicitia, quamuis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari. Ex sacris notum est, quanto studio Ruth, Bethsabea, Iezabel, Susanna, Iudith, filia Sion, id est, probæ simul & improbæ fœminæ muliebrem ornatum curauerint. Nunc quantum nugas istas mirentur, & vanitates sectentur, notius est, quàm vt hoc loco recenseam. Satis sit curiositatem istam à summis Apostolis coargui atque damnari. Viderint contemptrices sancti Spiritus per eos loquentis & differentis, quid tandem summo omnium viuorum & mortuorum Iudici de his sunt responsuræ.

Hæc autem præcipiens B. Petrus, inquit Hieronym. non eas iubet squalore, sordibus, & horrentibus pannorum assumentis tegi : sed immoderato cultui, & nimis exquisito interdicit ornatum, simpliciẽmque commendat ornatum atque habitum. Idem rursus alibi. Solent quædam, cum futuram virginem sponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio, auferre linteamina, nihil in collo, nihil in capite auri sinere : reuerà bono consilio, ne habere discat, quod postea ponere compellatur.

Ambrosius de iisdem scribit. In propheticis scriptis reprehenduntur filia Sion, quod alta

Epist. ad Gaudentium.

1. Petr. 3.
1. Tim. 2.

Epist. ad Celantiam.

Epist. ad Gaudentium.

Exhortat. ad Virgines.

1. Tim. 2.

Isa. 3.

Esther. 14.

Luc. 16.

ceruice procederent, nutibus oculorum, & itinere pedum trahentes simul tunicas, & ludentes pedibus. Et idèò gloriam vestis earum, & ornatus earum crines & cincinnos Dominus ablatum esse se dicit. Vnde & Apostoli dixerunt: *Non in plicatu capillorum, neque in tortis crinibus, &c.* Idem rursus. Cùm Petri Apostoli epistolam legerem, aduertì, quòd omnis sapiens, etiam diues. Nec sexum exceperit, qui scēminas ornatum omnem non in pretiosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit.

Cyprianus martyr eorundem Apostolorum verbis laudatis, ex his concludit. Si mulieres quoque admonent coercendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum; quantò id magis obseruare virginem fas est, cui nulla ornatus sui comperat venia: nec deriuari in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? Idem ex iisdem alibi contendit, istiusmodi ornamenta non decere mulieres Christianas & castas, sed meretrices, sicut in Apocalypsi dicitur, Meretrix magna pallium purpureum habere, & adornari auro, lapidibus pretiosis, & margaritis. Item in Genesi, Thamar cooperuisse se pallio, & sic adornasse, vt visum sit Iudæ eam meretricem esse.

4. *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quietis, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

6. Sextum piæ matronæ officium his docet esse,

vt hominem in corde absconditum, id est, ipsam animam rationalem, spiritum, adèòque ipsam conscientiam (quam Paulus vocat interiorem *Eph. 3.* & spiritualem hominem) studeat spiritus *1. Cor. 2.* fe-
dati, mansueti, pacifici, & modesti incorruptilibus donis atque virtutibus exornare. Sit ei maxima summæque sollicitudo animum suum immortalem decorandi, potiusquàm fragile & mortale corpus vermibus & putredini dicatum: nihil agat ex affectibus muliebribus, nihil intemperantiæ, lasciuia, arrogantia, ambitioni tribuat: sicque & Dei, sanctorum angelorum eius, & viri sui gratiam merebitur, arctissimèque conciliabit. Nam hic spiritualis ornatus magnificentissima res est, & pretiosissimus thesaurus coram Deo.

Hic est ergo verus & omnium pretiosissimus ornatus Christianæ scēminæ, si gerat intus animum pium, nulla falsa doctrina corruptum, sed veræ pietatis, honestatis, atque pudicitia studiosum; si non sit iracūda, non tumida, non procax, non rixosa, non pugnax, non zelotypa, non suspiciosa, non loquax, non maledica: sed modesta, humilis, pacifica, mansueta: quæ possit etiam iniurias mariti animo tranquillo dissimulare. Has virtutes tanquàm pretiosissimas gemmas, piæ matronæ sibi comparate debent: iis enim multò splendidius coruscabunt, quàm si margaritis, auro, & gemmis totæ onustæ incederent. Hanc quippe materiã externi cultus muliebris stolidū vulgus admiratur: alterum verò ornatū Deus, sancti angeli, homines pij amant & probant.

Ex his autem colligendum, quod si non licet

Isa. 3.

1. Petr. 3.
1. Tim. 2.
Epist. 10.

L. de disciplina & habitu virgi-

L. 3. ad Quirinum. c. 36.

Apoc. 17.

Gen. 38.

mulieribus vanis capillorum ornamentis studere, multò minus idipsum licere viris, cum posterioribus donis Dei & naturæ sint præditi, sintque; vxorum suarum capita & domini, qui verbo & exemplo debent illis præluere. Absaloni enim magno studio nutriti capilli, exterminium attulerunt. Hinc Gregorius. Pensate quæ culpa sit hoc viros appetere, à quo pastor Ecclesiæ curauit fœminas prohibere? Hieron. districtè prohibet virginibus ne cum inuenibus calamistratis, pexis, & artificiosè ornatis vlla misceant colloquia. Et Poëta canit. Sint procul à vobis iuuenes vt fœmina compti.

Qui obiiciunt rem esse leuiculam, aut etiam indifferentem, hoc vel illo modo se vestire, nullo negotio refelli possunt. Nimia enim elegantia & superfluus splendor, omnis denique excessus, ex animi vitio oritur. Ambitio porro, & superbia, & luxus, & affectatio, & lasciuiæ, & vana gloria, & contemptus pauperum, non sunt res leues aut indifferentes. Quorum igitur animi ab omni vanitate & philautia purgati erunt, ritè temperabunt omnia, vt modum non excedant.

Epist. 10. 7.

D. Ambrosius obseruat, neminem ante D. Petrum tali expressione vsu esse, vt diceret, *cordis hominem*. Duo sunt igitur, ait, & esse hominem in homine: & illum esse diuitem, qui nullum diuitiarum vsu requirat. Pulchræ autem cordis hominem dixit, eò quòd totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapientia, quæ non videtur, sed intelligitur. Exterior enim homo plurima in se membra habet: interior autem cordis homo totus sapientiæ est, plenus gratiæ,

plenus decoris. *In incorruptione*, inquit, *quieti & modesti spiritus*, qui est ante Deum diues. Et verè diues, qui in conspectu Dei potest diues videri, qui sit diues æternitati: qui non opum, sed virtutum factus recondat. Nonne tibi videtur diues, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, vt nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & noua quærat, & semper desiderando stat in summis diuitiis inops?

Idem rursus, ex hoc D. Petri loco, & similibus, laudat plurimùm virtutem pudoris, modestiæ, ac verecundiæ, quæ in beatissima Deipara enituit, quæ salutata ab angelo, præ verecundiæ non resalutauit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suspicienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus disceret, non vt sermonem refelleret. Hæc prætulit publicanum Phariseo, & commendauit eum, qui nec oculos audebat ad cælum leuare. Ideoque oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples.

B. Athanasius hunc locum refert ad Spiritum sanctum, quòd nimirum hæc piæ matronæ opera ipsius dona sint: indèque probat illum non esse creaturam, eò quòd sit immutabilis, inalterabilis, & incorruptibilis. Spiritus enim sapientiæ, inquit, fugiet dolum, & absistet à cogitationibus stultis. Petri quoque verba sunt: *In incorruptibilitate mansueti & quieti spiritus*. Rursumque in Sapientia: *Tuus enim incorruptibilis spiritus est in omnibus*.

Tertullianus libro de vellandis virginibus, &

libro toto de cultu fœminarum, grauiſſimis & acutiſſimis ſcriptis iſtas muliebres pompas & vanitates, coarguit: adfirmâtque illas ſapientiæ Creatoris ſeſe opponere, cum facies ſuas fucis immutant; haſque pigmentorum artes non niſi à tetris dæmonibus eas didiciſſe.

L. 2. pedag.
cap. 10.

Clemens Alex. teſtificatur, Lacedæmonios ſolis meretricibus permiſiſſe floridas veſtes, aurumque in his geſtare. Adicit, veſtes talium fœminarum longè præſtare corporibus. Denique, ſi pulchræ ſunt mulieres, inquit, ſufficit natura: ſi turpes, ex his quæ ſibi applicant, turpitudinem oſtentant. Idem ruruſum. Mulieres fucatas dicit eſſe ſimiles templis idolorum, quæ foris auro & picturis lucebant: intus autem repleta erant impuris idolis & dæmoniis. Alia animantia ſolo natiuo ornatu contenta lætantur: ſoli mulieri diſplicet. Igitur omnibus animantibus deteriorem ſe eſſe demonſtrat.

L. 2. pedag.
cap. 2.

5. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe ſubiectæ propriis viris.

6. Sicut Sara obediebat Abraham, Dominum eum vocans, cuius eſtis filia beneficientes, & non pertinentes ullam perturbationem.

Nunc confirmat ſuperiora piarum vxorum officia, primò, generali exemplo ſanctarum veteris teſtamenti fœminarum, quæ modoſto & decenti ornatu contentæ, cum omni fiducia in Deum, viris ſuis ſubiectæ & obediētes permanſerunt. Secundò, ex innumeris, vnam

tantum producit beatam Saram, à qua tanquam à matris exemplo ac imitatione, diſcant matrone omnes, obediendo viris ſuis, benefaciendo pro viribus, excutiendòque omnem timorem ſeruilem, præſtare ſuperius dicta piarum fœminarum officia, ſiquidem & viris ſuis gratiſſimæ, & coram Deo formoſiſſimæ eſſe deſiderent.

Ergo non impuram adulteram, non crudellem Herodiadem, non ſuperbam Iezabelem, non laſciam Ægyptiam, non procaces Ammonitidas, Moabitidas, aut ſimiles profanas diuini timoris & amoris expertes fœminas imitandas ſibi proponant Chriſtianæ mulieres: ſed beatiſſimas Patriarcharum & Prophetarum coniuges. Hæ nullis philtris, nullis fucis, nullis gemmis, nullis lenociniis, nullis ornamentis corporum: ſed virtutibus animorum ſeſe viris ſtuderunt commendare: ſed modeſtia, obſequio, pietate facilè lenierunt virilis animi ferocitatem. Sic enim Rebecca, ſic Lia, ſic Rachel, ſic Debbora, ſic Maria, ſic Rutha, ſic Noëmi, ſic Anna, ſic Bethſabea, ſic Eſther, ſic Sunamitis Sarephтана, Abigail, & aliæ abſque numero, eximia religione & virtute clariſſimæ fœminæ & viris ſuis, & Deo cariſſimæ fuerunt.

Et quoniã fœmineus ſexus potiſſimum exemplis gaudet atque commouetur, fœminarum ſanctiſſimam & clariſſimã Saram contemplantur, & ad eiùs normã formamque ſeipſas componant. Hæc porrò cum cariſſimo coniuge Abraham, pietatis in Deum, & caritatis in egenos participes, in omnibus peregrinationib⁹, laboribus,

Gen. 18.

tentationibus, ac piis operibus eidem adhæsit, semper morem gessit. Et cum nobilis genere, atque legitima coniunx esset, non ancilla, aut seruilis conditionis, modestiæ causa, Dominum eum, tanquam caput & rectorem vocabat, semet eius potestati humiliter subiiciens. Itaque sicut Abrahæ veri filij sunt, qui eius fidē & obedientiam sectantur, sic & fœminæ Christianæ Saræ filiæ sunt, si mores eius retulerint, bonis operibus sese exornauerint, & spei anchora in Deum collocata, muliebri timori locum nullū reliquerint. Istud autem quàm gloriosum, quàm magnificum, quàmque utile & salutare?

Apparet quoque ex his & similibus, argumēta sumpta exemplis veterum sanctorum, plurimum valere tum ad mores formandos, cum ad pietatem religionemque constabiliendam. Hic enim piis vxoribus proponitur Sara, decus sanctarum matronarum: sicut viris beatus Abraham. Ait enim Dominus. *si filij Abrahæ estis, opera eius facite.* Et D. Iacobus: *Abraham iustificatus est ex operibus, non ex fide sola.* Et Paulus: *Fide Abraham obtulit Isaac, &c.* Christus innocentiam suam aduersus obtectationes Iudæorum defendit exemplis Eliæ ac Elisei, qui crebriora miracula inter ethnicos, quam inter Iudæos ediderunt. Et Apostolos spicas legentes in die Sabbati excusat ab omni delicto, Davidis panes propositionis in necessitate comedentis allato paradigmatē.

Quinetiam Spiritus sanctus per veteres Prophetas ad antiquorum & auorum exempla meditando & imitanda sic ablegat. *Memento dierum*

Ioan. 8.

Iac. 2.

Heb. 11.

Luc. 4.

Matth. 23.

antiquorum, cogita generationes singulas. Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos & dicent tibi nimirum quo modo oporteat te & credere & obtemperare Domino. Et diuinus Iob ait. *Interroga generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam.* Salomon quoque scribit. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Et per Isaiam ait Dominus. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Denique sanctificatus Propheta dicit. *State super vias & videte, cogitate de semitis antiquis quæ sit via bona, ambulate in ea, &c.* Ergo vt ingratiissimi & degeneres filij sunt Hugnostici, ita & sanctorum Patrum cælesti consortio prorsus indigni, qui hos calumniari malunt, quàm imitari.

Ad hæc, cum sanctæ mulieres modestè quondam ornatint se, non omninò prohibetur his moderatus ornatus pro conditione, & consuetudine patriæ, præsertim verò vt maritis complacent, eosdemque à vagis libidinibus, & adulteriis retrahant. Nam & seruus Abrahæ dedit Rebecca Isaac futuræ sponsæ egregias vestes, & armillas aureas, quibus faciē exornaret. Noëmi quoque Ruth sponsum ambientem præcepit: *Lauare, & ungere, & induere cultioribus vestimentis, &c.* Ieremias etiam scribit, Virgines non posse obliuisci ornamentum suum, nec sponsæ fasciæ pectoralis. Patet item ex historia Thamaris, filias Davidis tanquam regias puellas, indutas fuisse talaribus, id est, regalibus vestimentis. Denique, Ecclesia cælestis ac triūphans, Agno velut sponso copulanda sponsa, dicitur ornata viro suo. Cauere autem debent, ne in his peccent nimia

Iob. 8.

Prov. 22.

Isa. 51.

Ierem. 6.

Gen. 24.

Ruth. 3.

Ierem. 2.

2. Reg. 15.

Apoc. 21.

curiositate, mollitie, suauitate, specie, forma, superfluitate, nouitate, & aliis multiplicitatibus vanitatibus.

Hinc etiam admonentur piæ fœminæ, cauere ab omni contentione, conuitiis, probris, aut verbis procacibus in maritos suos: neve illorū iram linguarum petulantia in se concitent: sed potiùs instar beatæ Saræ, eos honorandis blandisque nominibus conuenire, hanc sibi impositā legem à Deo esse credentes, vt illis velut membra capitibus, & Ecclesia Christo Domino atque spōso suo, subiiciantur. Licet enim quantum ad fidē matrimonij, & mutuam potestatem corporum æquales sint, tamen in administratione familiæ, & procurandis externis negotiis, maiori auctoritate viri præditi sunt. Nā fœmina ex latere viri facta est, ait Augustinus, vt significaretur, quàm cara mariti & vxoris debet esse coniunctio.

Notandum quoque, virtutū ac fidei imitatione nos spirituali cognatione (quæ carnali longè maior & melior est) sanctorū Patriarcharū, Prophetarum, & Apostolorum germanos fratres ac filios effici, sicut piæ mulieres beatæ Saræ filiz redduntur, si eius sanctitatē fuerint imitatæ. Qui ex fide sunt, inquit Apostolus, hi sunt filij Abrahæ. Et rursum. Non omnes qui sunt secundum carnem filij Abrahæ, sunt veri Israëlita: sed qui sectantur vestigia fidei patris Abrahæ. Iudæis autem incredulis & degeneribus dicitur. Semē Chanaam, & non Iudæ. Patris tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. Vos ex patre diabolo estis. Quid simili de causa dici possit iis, qui ex parentibus Catholicis ad hæresim deficiunt, ipsi recogitent.

Subiectio porrò fœminarum non ex virorum orta est tyrannide, sed Dei æterni ac immortalis expressa lege ista: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Quam & Paulus laudat scribens: *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditus esse, sicut lex dicit.* Et idem rursum. *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Denique & ad Timotheū scribit. *Mulier in silentio discat cum omni subiectione.* Adeo Spiritus sanctus sollicitus fuit, vt hoc animal natura superbum & arrogans, in officio suo contineretur.

Et cum superstitiosa sint, ac ideò in rebus exiguis frequenter examinentur, sintque pro imbecillitate natura timida: quinetiam vereantur ne si viris se subiiciant, magis contumeliose ab illis tractentur: præcipit Apostolus, vt hunc pauorem abiiciant, totas Deo se dedant, & forti constantique animo vocationem suam obeant, se suaque Diuinæ voluntati committentes. Possent etiam magis generalis esse sententia, ne turbas domi concitent. Nam vt sunt ad consternationem proclues, sæpe ob rem friuolam tumultuantur, seque & familiam frustra perturbant, &c.

Clemens Alex. hæc perpendens scribit: Res est pulcherrima, mulier domus custos, quæ & se & maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant: filij quidem propter matrem, maritus propter vxorem, ipsa propter eos, omnes autē propter Deū. Aliquanto post Adolescentulæ imaginē volens describere Zeno Citizæus, eam ita effingit. Sit, inquit, pura facies,

L. II. de ci-
uit. cap. 26.

Gal. 3.
Rom. 4. & 9.

Dan. 13.
Ezech. 16.
Ioan. 8.

Gen. 3.

I. Cor. 14.

Eph. 5.

I. Tim. 2.

L. 3. ped-

est cogit. cap. II.

336 COMMENTARIA IN CAP. III.
supercilium non demissum, nec oculus sublimis,
neque fractus, ceruix minimè supina, nec remissa
membra corporis, sed erecta: sit in sermone
æumen, habitusque & motus, qui nullam spem
præbeat impudicis.

ENARRAT. in
31. cap. Pro-
uerb.

Eph. 5.

Ambrosius mulierem fortem hinc describens,
etiam ad Ecclesiam Christi sponsam eadem per-
tinere sic docet. Ipsa enim quamquam materfam-
ilias, tamen ancillam se appellare non dedi-
gnatur. Sed attendat ista pretium suum, diligit
Dominum suum, agnoscat se ancillam, nec erubescat
conditionem: quia vir non dedignatur eam
sibi vxorem assumere, quam tanti emit. *Christus
dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam
sanctificaret.* Bona coniux virum suum Dominum
vocat, sicut Sara obediebat Abrahamæ, Dominum
eum vocans, nec solum vocat, sed hoc sapit, hoc
sonat, hoc gestat corde, hoc profiteretur ore, &c.

Epist. 3.

Fulgentius ex iisdem verbis Apostoli colligit.
Petrus Apost. coniugatas fideles *sanctas* non am-
bigit appellare, dicens: *Sic enim aliquando mulie-
res sanctæ, &c.* non ergo à sanctificatione corpo-
ris & spiritus fideles coniugatas separat Paulus,
sed hoc eas cogitare dicit, vbi earum cogitationem
amplius teneri cognoscit. Quis enim nesciat
sanctam virginum cogitationem magis ad
spiritualia recurrere, & sanctarum coniugatarum
cogitationem magis coniugali necessitati
feruire?

1. Cor. 7.

27. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam,
quasi infirmiori vasculo muliebris impertientes ho-
norem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut
non impediantur orationes vestra.*

Vt mulierum

Vt mulierum officia muneratq; superius tradidit
Apostolus, ita & nunc vitis maritis earum quid cum
his agere debeant, hoc loco & ordine prescribit
huiusmodi fere verbis. Vt piarum matronarum offi-
cium est sanctis moribus animos virorum deuince-
re, ita & vestre partes sunt o viri, nequaquam vestra
in eas abuti potestate, aut tyrannide in eos exerce-
re velut in ancillas aut seruas. Nam vitæ humanæ
vobis societate datæ sunt, non belluæ: ossa de ossibus, &
carnes de carnibus vestris sunt, non alienæ: partes
corporis vestri, imò & vna vobiscum caro, & vnus
corpus. Nemo autem nisi furiosus & rabiens in suum
corpus grassatur: nemo rationis copos propria
membra lacerat. Itaque experientur vos vxores ve-
stre clementissimos vitæ humanæ socios, propria
atque propitia capita, prudentissimos rectores, ac
omnium fortunarum participes. Quo plures valeatis cor-
poris & animi viribus, hoc magis vos decet opi-
tulari illarum imbecillitati & infirmitati. Eundem
vobiscum habet Deum potentissimum Creatorem,
sapientissimum rectorem, misericordissimum saluato-
rem, & iudicem æquissimum, qui de vestro erga eas in-
stituto requiret, & de gestis iudicabit. Eiusdem vo-
biscum sunt capaces gratiæ, gloriæ, vitæque cælestis
& immortalis: vobiscum igitur elemosinarum,
ieiuniorum, orationum, & virtutum participes. Vt
communis vobis est vita æterna, sic & communia sint
ea studia, quibus ad eam peruenitur. In coniugio
Christiano nihil, aut certe quam minimam dandum
est voluptati, pietati plurimum. In qua si cõsen-
sus erit, & subinde temperabitis à mutua corpo-
rum voluptate, non interrumpentur vestre precationes,
quo sacrificio oportet quotidie litare Deo.

Sunt itaque vt hîc tradit princeps Apostolorû, quatuor præcipua piorum virorum in coniuges officia. Primum, sapienter prudētēque cum illis diu noctūque cohabitare, eodem tecto & lecto permanere, nec absque necessitate foras vagari aut pernoctare: atque minus cum pellicibus, cōcubinis, meretricibus, aut impuris adulteris consuefcere. Matrimonij namque consortium Deus constituens dixit. *Non est bonū hominem esse solum. Relinquet homo patrē & matrē, & adhærebit uxori suæ: & erūt duo in carne vna* Paulus doctor gentiū, appellat sacramentū magnum in Christo & Ecclesia: & viris præscribit, *Diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiā, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret & mundaret lauacro aquæ. Ita viri debent diligere uxores vt corpora sua. Vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesia.* Caput verò à mēbris naturalibus non nisi per acerbissimā mortem reuellitur, & simul cū illis interit. Igitur vir vxorē nunquā turpiter relinquare debet: quandoquidem *quos Deus coniunxit, homo non separet, &c.*

Secundum pij viri officium est, vt coniungi velut parti suæ imbecilliori & infirmiori multa humaniter indulgeat, imperfectiones eius sufferrat, venia contegat, atque eo meliorem compositionem corporis, velut vitro, crystallo, aut aliquo alio fragiliori vasculo diligentius caueat & prospiciat, æquiori animo ferat si quid illi ex cōgenita imbecillitate minus gratum acciderit. Enimuerò si alter alterius onera portare debemus: condonarēque inuicem, si quis aduersus alium habet quærelam, id multò rationabilis vir vxori suæ præstare tenetur. Docet quoque

Gen. 2.
Matth. 19.
Mar. 10.

Eph. 5.

Matth. 19.

Gal. 6.
Eph. 4.

Augustinus exēplo ceruorum, qui flumen tran- *In psal. 129.*
turi fortiolem præmittunt, ordinēque sequētes *& Ser. 21.*
præcedentium tergis capita cornibus grauiā su- *de verbis do-*
perponunt, ad vltimū vsque, sicque onera mu- *mini.*
tuo portantes sine naufragio pertranscunt.

Tertium pij viri officium est, vxorem suam honori habere, tanquam secum ad imaginē Dei factam, vitæ huius sociam, æternæque destin- tam, ac futuræ secum cohæredem. Adicio, intuitu quoque beatissimæ Deiparæ virginis Mariæ, ex qua Verbum caro factum est, salusque mundi exorta, fæminas suas in honesto pretio ac æstimatione debent habere, secum reputantes Christum orbis redemptorem & iudicem, vnam earū in matrē & nutricem elegisse. De illis itaque ob reuerentiam Creatoris & Redēptoris; deinde, ob finem quo cōditæ sunt cum honore cogitandū; & cum reuerentia loquendum est: suntque benignè tractandæ & non propter sexum contem- nendæ. Nam vt Christus plurimis donis ac beneficiis suis honorat Ecclesiam sponfam suam: sic viri debent vxores suas fouere, nutrire, vestire, curare, honorare, & amare vt corpora sua. Multas etiam Deus dono prophetiæ decorauit, vt Debborā, Mariā, Annā, Elizabeth, Deiparā, alteram Annam, & quatuor Philippi Diaconi filias. *A. 21.*
Luc. 8.
Luc. 10.
Matth. 26.
Marc. 16.
Ioan. 20.

Piæ fæminarum opibus cum Apostolis & Christus hîc peregrinans enutritus fuit: in ædi- bus earum hospitio receptus, docuit, & perno- ctauit: ab iisdem vnctus & refocillatus: deni- que, resurgens, iisdem in primis apparuit.

Postremò, debent viri vxores suas verbis & exemplis ad orationes, ad vigiliās, ad sacra-

incantorum communionem, ad Dei timorem, amorem, & cultum prouocare & accendere: & vt ad id sint aptiores & promptiores, à commixtione carnali sepius abstinere, vt Paulus docet. *Nolite se audare inuicem nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, &c.* Reliqua maritorum erga vxores, & vxorum circa viros suos officia diligentius collegimus Digestione tertia in librum beate Ruth.

Ceterum, tantum valuerunt hæ diui Petri exhortationes, vt initio nascentis Ecclesiæ, innumerabiles propemodum & viri & fœminæ, studio castitatis & continentiæ à licitis cõplexibus abstinerent: aliæ virgines, viduæ, & matronæ vitam ferè cœlestè in terris egerint, & virtutibus, martyrio, miraculis orbem Christianum illustrauerint: cuiusmodi fuerunt Tecla, Iphigenia, Valeria, Lucia, Agatha, Cecilia, Anastasia, Agnes, Catharina, Barbara, Potamiana, Appolonia, Margareta, quas sibi in exẽplum proponere debent tam virgines quàm matronæ Christianæ.

Ambrosius de his scribit. Mulier prior decepta est, & virum ipsa decepit. Vnde Apostolus Petrus subiectas fortiori vasi mulieres sanctas viris suis velut dominis obedire memorauit. Illa quæ adiumento facta est viro, præsidio viri indiget, quia vir caput est mulieris: ille autem qui adiumentum vxoris habiturum se credebat, lapsus est per vxorem. Vnde nemo debet facilè alteri se credere, nisi cuius virtutè probarit, nec arrogare sibi qui se pro auxilio putarit adscitum, sed magis si inuenerit fortiozem, cui se putabat esse præsidio, ab ipso gratiam mutuatur, sicut & vi-

1. Cor. 7.

I. de paradiso, cap. 4.

Cor. 2.

Eph. 5.

1. Tim. 2.

1. Petr. 3.

ros mulieribus honorem impertire præcipit.

Hieronymus eadem sic explicat. Petrus Apost. *L. I. adu. Iouinian.* experimentum habens coniugium vinculorum, vide quomodo informet Ecclesiã, quid doceat Christianos. *Similiter viri cohabitantes iuxta scientiam, &c.* impediri dicit orationes officio coniugali. Quod autem ait, *Similiter*, ad imitationem prouocat viros, quia iam supra vxoribus præceperat, *Videntes viri in timore castam conversationem, &c.* Cernis quale coniugium inter viros vxoresque præcipiat? *Cohabitanes iuxta scientiam*, vt nouerint quid velit, quid desideret deus, vt tribuant honorem vasculo muliebri. Si abstinemus nos à coitu, honorem tribuimus vxoribus: si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam. O verè digna vox Apostolo, & petra Christi. Maritis vxoribusque dat legem, & damnato carnis ornatu, castitatem prædicat, &c.

8. *In fine autem omnes vnanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles.*
9. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedictentes: quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis.*

Hac secunda parte capitis à particularibus & domesticis viræ Christianæ præceptis, iterum redit Apostolus ad generalia, id est, quæ ad omnem sexum, statum, & conditionem hominũ pertinent. Initio autè notandum, Bedã, Thomam, Lyranũ,

vulgatam editionē cum Glossa, hīc legere, *In fide autē unanimes*. Verūm, Græci omnes τὸ ὃ τέλος Romæ nuper excusa Biblia, *In fine*. Sic & Guiliardus Zegerus, Hesselius, Franciscus Lucas, & plerique nostræ ætatis enarratores Syrus: *finis verò ut sitis*: vt sensus sit, in summa, denique seu, postremò, *omnes sitis unanimes*. Quid opus singulis ætatibus & conditionibus virorū ac mulierū singulas particulatim leges, & vitæ agenda mādāta præscribere? Nimis sanè operosum, ac epistolari breuitate id foret. Ergo vt summātiū multa dicā, quædam omnibus cōmunia capita & præcepta tradam. In primis, estote omnes vnānimes, vt quemadmodū omnibus vobis eadem est professio, eodē baptismo insiti estis corpori Christi, ita per mutuā pacem & concordīā vobis sit idē animus. Non vos ætas, non fortuna, non conditio, patriæ diuersā dislingat, quæ res apud alios sæpenuerò dissidiorum ministrant feminaria: sed caritas & pax Christiana vt capi-piti Iesu, sic & mutuò vos coniungat.

Atque hic locus sit communis, seu primum præceptum Apostolicum de pacis studio, amore, vtilitate, & necessitate in rebus humanis, aduersus homines turbulentos, seditiosos, & tranquillitatis humanæ perturbatores. Vt enim beati sunt pacifici, eo quòd filij Dei vocabuntur: sic è contrario, viri tumultuosi, omnium mortalium infelicissimi, quoniam filij diaboli, (cuius perpetuum studium est in seditionibus, odiis, & bellis inter Deum, angelos & homines concitandis) iurè reputantur. Iubet itaque Apostolus, vt omnes vno sensu, eodem affectu,

Matth. 5.

Ioan. 8.

eodem iudicio præditi simus, vt quicquid vni rectum bonūque videatur, idē placeat & aliis. Sic & Paulus pro Romanis precatur: *Deus autem patientiæ, & solatiij det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt unanimes, vno ore honorificetis Deum, &c.* Obsecrat & Corinthios per nomen Domini nostri, vt idipsum dicant omnes, & nō sint in eis schismata, &c. Toto denique pectore rogat Philippēses, vt idē sapiant, eandem caritatem habeāt, & vnānimes idipsum sentiant. Vt vna in nobis anima, multæ tamen facultates: vnum cor, sed multa membra: sic in multis diuersis que linguis ac conditionibus, vnus sit in rebus diuinis & humanis consensus.

Nec suo fructu ac vtilitate caret ven. Bedæ, & aliorum lectio, *In fide autem unanimes*. Sit igitur secundum vitæ Christianæ præceptum, quo iubet Apostolus, vt in catholica Iesu Christi fide constanter retinenda, vnānimitè seruāda, & aduersus omnes hēreses, & diabolicas impugnationes ac imposturas defendendas pro viribus atq; conditione sua decertent. In fide, inquit, quæ reliquiarum virtutum fundamētum est certissimum, tam liberi quàm serui, tam viri quàm mulieres sint vnānimes; nec alius quantumuis præ aliis sibi sapere videatur, aliter disceptet, contendat, opinetur, vel sentiat, quàm cōmunis fides, & Catholicæ Ecclesiæ sententia docet: vt de nobis dici possit, quod de primis in orbe Christianis: *Multitudinis credentium erat cor vnu, & anima vna.*

Quid autem huiusmodi adhortione, nunc magis vtile ac necessarium? Hanc fidem, inquit Irenæus martyr, Ecclesia in vniuersum mundum

Rom. 15.

1. Cor. 1.

Philipp. 2.

Act. 4.

L. 1. cap. 3.

344 COMMENTARIA IN CAP. III.
diffeminata diligenter custodit, quasi vnā do-
mum habitans, similiter credit: & quasi vnā ha-
bens animam & vnū cor, consonanter hæc præ-
dicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidēs os.
Nam & si in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed
tamē virtus traditionis vnā & eadē est, &c. Vtinā
ergo, iterum autem vtinā vel breui abscondatur,
vel conuertantur, qui hanc vnitatem nunc per-
turbant, omnia verò dissidiis replent & litibus.
Et quemadmodū ē gregibus lupi, à ciuitatibus
seditiosi, ab exercitibus proditores, & ab ædi-
bus fures studiosè repelluntur: sic à Christianis
schismatici & hæretici procul abigantur. Lege
Cypr. & Aug. lib. de vnitare Eccl.

Tertium præceptum est de compassione, qua
proximorum aduersis velut nostris ac propriis
tāgimur: & prospera reputamus tāquam nostra.
Si hæc contigerint, congratulamur sine inuidia:
sin aduersa, compatimur, eisdemque pro virili
succurramus. Sic igitur inter omnes Christia-
nos talis sympathia, qualis cernitur inter mem-
bra eiusdem corporis humani. *Si patitur vnum
membrum, ait Apostolus, compatiuntur cætera mem-
bra, &c.* Quem locum explicans Augustinus,
scribit. Spinam calcat pes, oculus loco remotis-
simus proximus efficitur caritatē affectu, illuc
conuertuntur omnia membra, spina dorsi in-
curuat se, oculi quærunt, manus operantur,
cor dolet, lingua conqueritur, nihil vaccat in
homine ad subueniendum, &c. Vt ad hanc vir-
tutem suo nos Christus permoueret exemplo,
etiam de cælis descendit, vt Saulum in suos:
sæuientem increpans, diceret, *Quid me persequeris?*

1. Cor. 12.
Rom. 12.

L. 50. ho-
mil. 60. 15.

Act. 9.

EPISTOLÆ I. D. PETRI. 345
sibi ipsi illatas reputans seruorum & membro-
rum contumelias & plagas. Hac virtute prædi-
tus Iob. *Flebam, inquit, super eo qui afflictus erat, Iob. 30.
& compatiēbatur anima mea pauperi.* Paulus quo-
que præcipit. *Mementote vincitorum, tanquam simul
vincti: & laborantium, tanquam & ipsi in corpore
morantes, &c.* At, quantum hodie in hoc præcep-
tum peccatur? Sunt qui rebus proximorum
inacrescunt opimis. Sunt qui periclitante Eccle-
sia Christi, voluptatibus indulgent, nec compa-
tiuntur super contritione Ioseph. *Sunt qui ex
priuatis & publicis incommodis, quærunt sua
commoda, &c.* Amos 6.

Quartum est de philadelphia, id est, amore
fraterno, quo proximum propter nomen Dei,
velut eiusdem cælestis Patris filiū amanter com-
plectimur, & omni studio iuuamus. Nam cari-
tas Christiana, eadēque cælestis hæreditatis ex-
pectatio arctiore vinculo vos (inquit Apost.)
connectere debet, quàm sanguinis proxima co-
gnatio. Inter germanos odia grauissima, lites,
bella cruenta non rarò cōtigisse legitur, vt inter
Caïn & Abel, Isaac & Ismaël, Esāu & Iacob,
Ioseph & fratres, Absalon & Amnon, Abimelec
& 70. fratres, &c. Inter vos autem non nisi cari-
tas & concordia illa vigeat, de qua Christus
communis doctor & seruator, loquutus est. *Ma- Ioa. 15.
iorem hac dilectionem nemo habet, vt quis animā suam
ponat pro amicis suis.* Et rursum. *Omnes vos fratres Mat. 23.
estis: Est vnus pater vester in cælis.* Siracides ergo
iurè scribit, Tria probata esse Deo & homini-
bus, concordiam fratrum, amorē proximorum,
vxorem & virum bene sibi consentientes. Et

Amos 6.

Ioa. 15.

Mat. 23.

Ecc. 25.

Prou. 6.

Salomon inter sex illa quæ Deus præsertim detestatur, eum constituit, qui seminat inter fratres discordias. Isidorus. Qui à fraterna dilectione fecernitur, à Diuina participatione priuatur.

Quintum est, vt simus omnes *Misericordes*, id est, non modò iuuenus fratres, miseris eorum pro viribus succurrendo; sed etiam patienter eorum infirmitates toleremus. Et quemadmodum parentum viscera non possunt non miseratione commoueri, cùm liberos cernunt miseris premi, ita commoueamur piis animis super proximos aut spiritali aut corporali morbo laborantes, & propensiore affectu eis feramus suppetias. Hanc autem pietatem Christus promisit se magnis ac sempiternis præmiis remuneraturum. *Beati misericordes*, inquit, *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* E contrario verò, vitis inhumanis & crudelibus comminatur Iacobus Apost. *Iudicium sine misericordia*: quod & immanis Epulonis exemplum manifestè confirmat. Sed & Sapiens scribit. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Inhumanis & feris hominibus tandem Christus dicit. *Ite maledicti in ignem æternum. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Itaque alieni sunt à Christi doctrina & institutis, qui fratrum miseria non mouentur: quique à verò rectòque aberrantes lucrifacere non student. 1. Ioan. 3. Rom. 9. 1. Reg. 15.

Matth. 5.

Iac.

Luc. 15.

Prou. 12.

Matth. 25.

Sextò, vult Apostolus omnes Christianos esse *Modestos*, id est, cunctis affabiles, & in vita communi faciles, adè vt neminem fastidiant, nullum studeant lædere aut verbis asperioribus, aut feris moribus. Sunt enim aliqui tam morosi,

difficiles, & agrestes, vt cum illis vix possis quicquam benignè & affabiliter loqui, agere, aut commorari: quandoquidem perpetuò gruniunt, murmurant, detrahunt, irascuntur, rixantur. Contra verò & hîc B. Petrus præscribit omnibus modestiam: & Paulus præcipit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et ad Colossenses scribit. *Honestè, & in sapientia ambulatè ad eos qui foris sunt.* Sapiens quoque ait. *Responso mollis frangit iram: sermo durus excitat furorem.*

Philip. 4.

Coloss. 4.

Prou. 15.

Septimò, iubet Apostolus Christianos esse *humiles*, vt quisque de seipso modestè sentiat & loquatur: nulla arrogantia seipsum extollat, nullum quantumuis abiectum aspènetur. Iubet enim communis præceptor: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Superbis autem comminatur: *Qui se exultat, humiliabitur.* Paulus quoque vnumquemque nostrum hortatur. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, &c.* Est enim huiusmodi humilitas atque summissio præcipuum conseruandæ amicitiaë vinculum: sicut è diuerso, cùctorum odia parit arrogantia, *inter superbos semper sunt iurgia.* Hinc toties in sacris commendatur humilitas. Isa. 66. Prou. 6. Io. 13. Iac. 4.

Matth. 11.

Matth. 10.

Philip. 2.

Prou. 13.

Octauo loco cunctis Christianis prohibet, *Ne malū pro malo reddār*: sed potius studeat verbo, manu, & opere, de suis aduersariis benè mereri, hostibus parcere, inimicis benedicere, iniurias condonare, vtionem non sumere, aduersarios precibus & beneficiis Christo lucrifacere: quod heroicæ veræque Christianæ virtutis atque caritatis opus est singulare. Huius corrupti sæculi

nobiles & aulici, excæcati à principe tenebrarum, existimant palàmque vociferant, pusilli & abiecti animi argumentum esse, acceptas iniurias non vlscisci: ac non illicò ferro decernere, & alterutrum in inferos haud quaquam infelici duello præcipitare, ignobile ac turpe esse dictitant: quod tamen Spiritus sanctus hîc & alibi sæpe constantérque pronunciat summam esse magnanimitatem & virtutem. *Diligite inimicos vestros*, ait Christus, *benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumnantibus vos, ut sitis filij Patris vestri caelestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Et Apostolus eius inquit. *Videte, ne quis malum pro malo reddat. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quinetiam sub lege Moïsi, cum quædam liberiora viderentur ob legem talionis, per Salomonem dictura est. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei: expecta Dominum, & liberabit te.* Ergo cum malis certandum est non modò tolerantia, sed etiam beneficentia: qua vt vincuntur aliquando feræ, ita mollescit aliquoties quæ prorsus deplorata videbatur, hominum malitia. Vt igitur Deus nequaquam maledictionem suam in nos effundit, etiam cum ipsam meremur, sed potius benedictione cælesti nos præuenit & ditat: ita & nos non maledicamus iis qui maledictione digni sunt, sed felicitatem æternam illis precemur.

Ambrosius de his sic agit. Si tu nulli putaueris derogadum, alienæ linguæ flagella non metues. A flagello linguæ nos separare cupiens Petrus Apostolus monet, vt non reddamus malum pro

Matth. 5.

1. Thess. 5.
Rom. 12.

Prov. 20.

Exhorta. ad
virgines.

malo, nec maledictum pro maledicto: sed magis cum maledicitur nobis, benedictionis referamus gratiam.

Postremò, superiorum præceptorum velut rationem reddens Apostolus subiicit, In hoc vocatos nos esse, vt quasi filij Dei, eiusdem patris cælestis cælestia diuinâq; bona in sempiternum possideamus. Ideo æquum & iustum esse, vt ei tam vtilia sanctâque præcipienti, omninò pareamus. *Nam benedixit nos*, inquit Paulus, *omni benedictione spiritali in caelestibus.* Et de Christo dictum est quondam ad Abraham. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ergo illis qui proprias iniurias vlscisci volent, infelicitèr cederet quicquid illi tentabunt: quia hoc modo se Dei benedictione reddent indignos, & maledictionem in sua accersent capita. Deum itaque nos in filios adoptantem semper & ex animo benedicamus; insuper, & aduersariis quos in via patimur, propter eius reuerentiam bene precemur: vt in parte dextra illius constituti tandem aliquando his vocibus benedicamur: *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, &c.*

10. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, cœrceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.*

11. *Declinet à malo, & facias bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.*

Duobus his versibus confirmat testimonio à Davide sumpto, octauum superioris exhorta-

Matth. 25.

tionis præceptum, nimirum, Christianos ad benedicendum vocatos, & ad eam sortem ascitos esse, ad quam maledici nunquam peruenient. Sensus est. Nolite, Fratres mei, iniuriam acceptam iniuria retaliare, nec conuitia conuitiis: aliàs & ipsi improbi eritis, qui malos imitami. Contrà potius iniurias officiis, & maledicta benedictionibus pensate, vt beneficentia (qua etiam belluæ vincuntur, feræque mansuescunt) mollescat impiorum malitia. Neque enim in hoc vocauit vos Deus, vt malefactis & maledictis hostes vestros superetis: sed benefaciendo omnibus, bene loquendo cunctis mereamini à Deo benedici. Bonis malefacere, plusquam ferinum est: in benedicos esse maledicum, plusquam scurrarum. De malè merentibus verò benemereri: de maledicentibus & obtrectatoribus bene loqui, Christianæ virtutis est. Hoc si cui durum videtur, audiat Psaltem diuino afflatum Spiritu idem præcipientem. *Qui vult vitam diligere, & cætera.* Ergo si Deum volumus in nos esse beneficum simus ipsi benefici in omnes: si volumus illius vltionem effugere, ne quem omnino lædamus.

Hic autem in primis considera, quantum distet à sensibus & iudiciis humanis, cælestis doctrina. Nam vulgus hominum purat se ignaum & vile, si inimicorum proteritiæ expositum, strenuè non se vindicet: Spiritus autem Dei per Prophetas & Apostolos suos testatur, bene omnibus fore, qui sibi temperabunt ab omni maleficio & noxia. Non aliis felicem & beatam vitam promittit, nisi mansuetis, &

Psal. 33.

malorum patientibus. *Mansueti, ait, heredi- Psal. 36.
tabunt terram. Sedes ducum superborum destruxit Eccl. 10.
Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Et Christus in *Matth. 5.
Euangelio dicit: Beati mites, quoniam ipsi posside-
bunt terram.*

Aduerte etiam quibus titulis describatur cælestis ac sempiterna paradisi gloria. Dicitur *vita*, quoniam illic mors ultra non erit, neque *Apo. 21.
luctus*, neque clamor, nec ullus dolor: sed *vita beata*, inquit Augustinus, *vita secunda, L. Medit. 2.
vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita 22.
sine corruptione, sine perturbatione, sine va-
rietate, vita totius elegantia & dignitatis ple-
nissima, & cætera.* Dicitur quoque eius per-
petuitas & sempiterna duratio, *dies boni*, quoniam æterni, ibique Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. *Dies boni*, quoniam illis nulla succedit nox, nullæ determinant tenebræ: quandoquidem illic semper lucefcit Sol iustitiæ, qui nescit occasum. *Dies boni*, quia nullis dierum mortalium incommodis, nullis perturbationibus variantur. An non ergo ad hanc vitam toto corde aspirare, & hos dies bonos videre omnibus votis exoptare debemus? Ad hanc ergo vitam toto pectore contendentibus & anhelantibus hæc, quæ sequuntur, præcepta sunt obseruanda.

Primum, linguam ad eò compescere, & frenodini timoris coercere, vt ea nullum verbum oriosum, nullum maledicū aut contumeliosum, nullum detractoriū, nullum dolosum ac proditorium, nullum blasphemū proferatur: sed neq;

1. Cor. 13.

animo concipiatur vel proponatur. Ait enim Sapiens: *Mors & vita in manibus linguæ.* Et rursum. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Et Siracides. *Noli citatus esse in lingua tua, & remissus in operibus tuis.* Christus quoque affueerat, de verbis otiosis reddendam esse rationem in die iudicij. Iacobus Apostolus denique humanæ linguæ commoda & incommoda latissimè persequitur: & nos superiore anno in eius loci explicatione multa citauimus, quæ etiam ad istum pertinent.

Et quia multi sunt fraudulentæ, duplices animo, atque proditores, qui ad instar Iobai, ore quidem dicunt, *Salue mi frater;* & vt Iudas, *Aue rabbi:* id est, pacis & amoris insigne gestant ore, corde autem oderunt, & perditionem machinantur, expressè districtèque Apostolus prohibet, ne quis labiis suis loquatur dolû. Hos enim adultores & proditores Spiritus veritatis in Psalmis frequenter coarguit & damnat. *Molliti sunt sermones eius super oleum,* inquit, *ipsi autem sunt iacula. Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Auertunt linguas suas sicut serpentes venenum assidum sub labiis eorum. Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, &c.* Est igitur grauiter inueniendum in peccata, quæ per linguam committuntur, & damna quæ ex illis accidunt. Nam detractores regnum Dei non possidebunt.

Adiicit B. Thomas. Arcenda est lingua à malo multiplici, scilicet, à falso: quoniam os quod mentitur, occidit animam. Item, à nociuo: deinde, otioso: denique à doloso.

Secundum

Secundum præceptum est, vt declinemus à malo, id est, dies & noctes solliciti simus, vt quicquid malum, peccatum, Deo inuisum, ab eodèque prohibitum esse nouerimus, id vt venenum fugiamus, & vt ipsum diabolum abominemur: quod autem iustum, pium, deo que gratum & acceptum fuerit, fideliter & diligenter amplexemur. Ergo non sufficit viro Christiano mala non facere, nisi & virtutibus ac bonis operibus insudet: non rapere aliena, nisi & propria misericorditer largiatur: non blasphemare, nisi & Deum laudet pro viribus: non declinare ab hæresi, nisi & fidem Catholicam feruenter propugnet palamque profiteatur. Idcirco enim in mandatis Diuinis quædam sunt affirmantia, quibus bona opera præscribuntur: & alia negantia, quæ à malis nos reuocant. Et Dominus per Prophetam dicit. *Quiescite agere peruersè, & discite benefacere.* Et in Euangelio, arbor non faciens fructum iubetur excidi, & mitti in ignem. Ficus quoque folia tantum habens, non fructum, maledicta protinus aruit.

Tertium præceptum homini ad vitam beatam anhelanti datum est, vt tota mente paci studeat, quærat eam, & inuentam seruet, foueat, & omni tempore amplectatur. Primò quidem pacem cum Deo nihil in se admittens quod cum ab eius gratia, amore & timore separet. Secundò, in seipso cauendo ab omni rixa, ira, & turbulenta cogitatione. Tertio, cum proximis, vt quantum fieri potest per seipsum, cum omnibus pacem habeat, & inter dissidentes pacem componat. In Euangelio namque beati dicuntur pa-

Z

Prou. 18.

Prou. 21.

Ecll. 4.

Math. 12.

14. 3.

2 Reg. 10.

Math. 26.

Psal. 54.

Psal. 27.

Psal. 139.

Psal. 63.

1. Cor. 6.

Sap. 6.

Exod. 20.

Deut. 5.

Isa. 1.

Math. 3.

Math. 21.

Math. 5.

*Psal. 75.**2. Cor. 15.**Epist. 1 ad
Rustic.**Epist. ad
Theophil.
Alex.**L. de conti-
nencia. c. 7.**Conc. 2. in
Psal. 33.
Ioan. 16.*

cifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In pace quoque dicitur esse locus eius, qui est Deus pacis & dilectionis. Ergo decet nos pacem amplecti, & si fugerit, eam insequi donec apprehendamus.

Hieronymus de hac eleganter scribit. Pax querenda est, ut bella fugiamus: nec sufficit eam querere, nisi inuentam fugientemque omni studio persequamur, quæ exuperat omnem sensum, in qua habitatio Dei est. Et idem alibi. Pacem non solum volumus, sed & rogamus. Sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiiis, pacem in qua non sit bellum inuolutum, &c.

Augustinus autem. Pax perfecta tunc erit nobis, quando natura nostra Creatori suo inseparabiliter coherente, nihil nobis repugnabit ex nobis. Et rursum. Quærite pacem, fratres, Dominus dixit, *Hæc loquor vobis, ut in me habeatis pacem.* Pacem in terra perfectam vobis non promitto. In ista via pax vera non est, nec tranquillitas. Gaudium immortalitatis, societas Angelorum promittitur. Sed quisquis non illam cum hæc est quæsierit, nec illam habebit cum venerit.

12. *Quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum: Vultus autem Domini super facientes mala.*

Et quoniam superiora tam Prophetæ quam Apostoli præcepta sensui carnis durissima & obseruatu difficillima videntur, ut ea mitiget, & animos nostros ad horum obseruationem inuitet ac alliciat, subiicit ingentia præmia, quibus hæc virtutes Deus liberalissimè compensat: si-

múlque supplicia, quibus in earum contemptores animaduerrit. Quasi dicat. Non te pigeat huius laboris, ô homo qui vitam æternam desideras, neque huius virtutis sit tibi molestum officium. Si labor terret, præmium attende. *Oculi Domini*, id est, clemens, benignus, & paternus Dei aspectus est ad eos, qui studet his præceptis obseruandis, curam de illis maximam gerit, ut pios conatus eorum adiuet, prober, atque coronet. Ecquid autem felicius, quàm ante tanti Patris & regis oculos virtutum officiis incumbere? Ab eodem probari & coronari? Insuper aures diuinæ apertæ & attentæ sunt ad audiendas, imò & exaudiendas preces eorum. Quò quid præstantius & salubrius?

Hic attende eximium, & ad mitiganda quæuis piorum hominum mala efficacissimum solatium esse, quòd à Deo respiciantur, & iugiter coram facie & oculis eius versentur, ut in tempore opem illis ferat. Nam oculis affectus persæpe tribuuntur, quia per eos facillimè in corde excitantur. Magis enim mouent ea quæ videmus, quàm quæ audimus. Poëta dicit. *Oculi*

sunt in amore duces. Et Græci, *ὄρα ἔργον γίνεται*, Ex visu fit amor. Oculis item signatur misericordia. Dicuntur item parcere, videlicet mouendo cor ad misericordiam. Nam quæ cara nobis sunt, quæ fouemus, & seruata cupimus, ea crebrò respicere solemus. *Oculi mei ad si-* *Psal. 100.*
deles terra, ut sedeant mecum, id est, ut habitent, & commoretur mecum. Hunc Diuinum aspectum summis votis exoptat Psaltes, dicendo *Respice in me, & miserere mei. Protector noster aspice Deus.* *Psal. 83.*

356 COMMENTARIA IN CAP. III
Pfal. 89. *Respice in seruos tuos & in opera tua.* Ita videns vidit afflictionem populi sui, audiuitque clamorem eius, cum ab Ægyptiis opprimeretur, vt eum liberaret. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* Beata Elizabeth filio donata cōfiteretur. *Respexit Dominus auferre opprobriū meum.* Et sanctissima Deipara gratias agens dicit. *Respexit humilitatem ancilla sua, &c.*

Est & alia non minor piis omnibus consolatio, quod aures Dei apertæ sint ad preces eorum. Id est, intantum delectatur virtutibus, patientia, & constantia eorum, qui etiam lacessiti, ab omnibus maledictis abstinent, diuertuntque animos suos à malo, & conuertunt eos ad bonum, vt continuò paratus sit, ad exaudiendum illos, facilem aditum ad thronum misericordiæ suæ illis præbeat, & quicquid in orationibus petierint, non solum benignè audiat, sed & liberalissimè tribuat. Hinc Salomon ait. *Longè est Dominus ab impiis, & orationes iustorum exaudiet.* Israëlitis Dominus per Isaïam pollicetur: *Plorans nequaquam plorabis, Dominus miserans miserabitur tui: ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Et iterum. *Inuocabis & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce aduersum.* Hoc diuinæ miserationis beneficium Psaltes toto corde requirit & postulat dicens. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem orationis meæ. Domine, exaudi orationē meam. Intret in conspectu tuo oratio mea, &c.* Si quis ergo velit Deum sibi propitium esse, & preces suas intra sacrarium exauditionis eius admitti, studeat innocentia, afflictus ab improbis ad Dei confugiat præsidium, quibus potuerit

beneficiis proximos iuuet, neminem lædat, malum malo non repellat: & pro certo vel ad voluntatem, vel ad vtilitatem exaudietur.

Vultus autem Domini super facientes mala.

Nunc suppliciorum denunciatione cunctos à maledicentiis, detractationibus, blasphemis, cæterisque petulantis linguæ peccatis deterriturus, subiicit cum Psalte Apostolus. *Vultus autem Domini, & cæter. q. d.* Vt audiistis Deum misericordiæ ac beneficentiæ suæ oculis iustos intueri, & rebus eorum prospicere: sic ex aduerso credite illum vultu iracundo, & vltoribus oculis illos intueri qui student impietati. Conatus eorum damnat, reprobat consilia, & sempiternis cruciatibus illos cum malis operibus suis adiudicat.

Basiliius magnus in hanc rem scribit. Vultum *Hom. 9.* dici existimo Domini aduentum ad iudicium, qui omni cum libertate continget, nulli non terrorem incussurus, &c. Enimuerò sæpe ad indignationem significat, quoniam illa in vultu hominis, vt in speculo conspicitur: & irati truce vultu eis exhibent quibus irascuntur, colque austerè intuentur: vt læta serenæque frons lætitiæ animi, & fauorè in eum ostendit, quem tali vultu conspiciamus.

Atque vt piis afflictis consolationem adfert, sic impiis magnum terrorem & horrorem, quod Deus omnipotens sit vltor improbitatis & tyrannidis istorum, & tandem aliquando ab his iustissimas pœnas reposcet. Delebit eos de libro *Pfal. 68.* viuentium, & cum iustis non scribentur. Non *Pfal. 124.* relinquet virgam peccatorum super sortem iu- *Pfal. 36.*

In psal. 33. storum. Iniusti disperibunt, simul reliquæ, id est, posteri eorum interibunt. Hieronimus. Vultum Domini hîc furorem intelligimus, qui minando iram, in memoriam peccati à terra disperdit, vt radices benignitatis suæ plantet. Apostolus quoque docet, horrendum esse incidere in manus Dei viuentis.

Hebr. 10. Eò etiam diuina progreditur vltio aduersus piorum oppressores, vt talium memoria, quam in posteris perpetuare putant, pœnitens excindatur: vel si tantula manet, in contemptu & execratione sit. Dicitur enim in alio Psalmo. *Iniusti disperibunt, simul reliquæ eorum interibunt.* Et Sapiens scribit. *Memoria iusti cum laudibus, nomen autem impiorum putrefcet.* Nam Caini & Gigantum posteri per aquas diluuij de medio sublati sunt. An non quoque Neronis, Diocletiani, Iuliani, Valentis crudelissimorum tyrannorum, simulque Simonis, Valentini, Marcionis, Manetis; denique Lutheri, Melâcthonis, Bucer, Carostadij, Vermilij, Munsteri, Zuinglij, Caluini, & reliquorum votifragorû, & inceptorum spurij Dominus in ira sua deleuit? Nec enim mentiri potest qui dixit: *Semen impiorum peribit. Spuria vitulamina (ceu, adulterinæ plantationes) non dabunt radices altas.* Discamus ergo pietati, caritati, & humanitati studere per omnia.

Psal. 36.
Sap. 4.

Gen. 6. & 7.

Prou. 10.

Psal. 36.

13. *Et quis est qui vobis noccat, si boni amulatores fueritis?*
14. *Sed & si quid patimini propter iustitiam beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & ne conturbemini.*

His duobus versibus nouam in genere exhortationem ad omnes religionis Christianæ professores comprehendit Apostolus videlicet vt Diuina monitione, & Christi imitatione incitati, huius mundi odia, minas, & persecutiones patienter constantérque perferant. Illicò, quas poterant adferre obiectiones idem prudenter sapientérque dissoluit. Primùm autem vehementi interrogatione propositum cõfirmat. Sunt enim qui *Boni* nomine Deum hîc per antonomasiam significari docent: iuxta quod dicitur in Euangelio, *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Is enim tanta patientia & longanimitate tolerat infideles, blasphemos, contemptores, dissimulatque peccata hominum propter pœnitentiam, vt (quem admodum scribit Tertullianus) plures idcirco Deum esse non credant, quòd sæculis tandiu iratum non intelligant. Deinde, *Boni*, etiam voce Christus intelligitur, qui singulis mortis ac vitæ suæ gestis clarissima nobis tolerantia exempla reliquit.

Est igitur in verbis Apostoli, argumentum sumptum ab exemplo Dei, solem suum oriri facientis super iustos & iniustos. Deinde, etiam Christi, cuius patientiam in contumeliis & plagis oportet Christianos æmulari: sicque nobis nemo verè nocbit, si hos fuerimus imitati. Nam si hostes sequerint in corpora, Deus eadem integra, immortalia, gloriosa breui suscitabit. Si vitam temporalem abstulerint, Deus in cælis sempiternam restituet. Si de medio tulerint, cum Angelis suis collocabit. Si pecuniam fortunâsque diripuerint, & hæc propter Christum

Matth. 19.
Sap. 11.
Rom. 2.

L. de patientia.

Matth. 6.

Matth. 19.
Marc. 10.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

sunt contemnendæ, qui promisit se redditurum esse centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Ita diligentibus Deum omnia (etiam aduersa) cooperantur in bonum. *Et quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur.*

Rectè etiam ἱ ἀγαθοῦ μιμηταί, *boni amulatores* dicuntur, qui omne quod bonum, rectum, & sanctum est, studiosè persequuntur & amplectuntur. Sicque vox (*boni*) est neutrius generis, & paterni casus: vnde & aliqui reddunt abstractum pro concreto, *bonitatis studiosi ac amuli*, sicque sensus est. Non audio quod sensus humanus & & carnis prudètia hinc obmurmurat aduersus patientiam in aduersis. Ni propulsaro iniuriam, impunitas inuitabit plurimos ad lædendum. Imò nihil vos reddet tutiores ab iniuria, quàm si vel tolereris, vel officio ac obsequio penseris. Nullus est lædèdi finis, quoties misera vicissitudine conuitium conuitio, iniuria conduplicatur iniuria. Si autem nemo repugnet, cõquiescet detractor, aut certè languescet improbitas. Quis enim cupiat vos lædere, si studueritis omnibus benefacere: lædere neminem?

Ergo vt plurimum accidit, nos lædi ab improbis, quòd & ipsi vel improbi, vel certè nimis morosi ac minùs patientes simus. Nam qui seriò beneficentiæ student, etiam ferreos alioqui animos emolliunt. Eandè rationem assignat Plato, dicens. Seditiones, odia, & pugnas iniustitia excitat, consensum verò & amicitiam iustitia.

L. de legib.

Et in sacris dicitur. Nulla nobis nocebit, aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Itaque cum grauius videntur nobis improborum conuicia, atroces minæ, ac molestæ afflictiones, nostra impatentia & culpa tales sunt. Nemo enim læditur, ait Chrysostomus, nisi à seipso. *Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Augustinus refert B. Monicam matrem suam non nouisse resistere irato viro suo Patricio, nec verbo, nec factò. Et cum aliæ matronæ, quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, & arguerent maritorum vitam: hæc reprehendebat earum linguam admonens, aduersus dominos superbire non oportere. Hinc nata prouerbia in eos qui sibi ipsis ministrant causam exitij. Turdus ipse sibi malum cacat. Irritas crabrones. Leonem stimulas, &c.

Damascenus ex hoc loco D. Petri, & multis similibus, probat quod de omnibus bene mereri, ac proximi onera ferre oporteat, non autem iniuriarum meminisse: sed eum iuuare, ac quæ malè ob eo gesta sunt, vt par est, arguere, non autem malum pro malo reddere. Addit hæc Nazianzeni. Ignoscamus, vt nobis ignoscatur: remittamus, vt remitti nobis postulemus: dimitte tu, cui dimissum est: misericordia afficere, qui misericordiam es consequutus. Benignitatem, dum licet, tibi compara. *Quia verò pij contra id quod dixit Apostolus, Nemo poterit nocere, poterant obicere: imò verò nullam genus hominù nobis affligitur frequentius & grauius. Odio sumus omnibus homini-*

Ecdi. 10.

L. 9. confes.
cap. 9.

L. 1. paral.
cap. 11.

bus propter pietatem in Deum & proximum. Sumus vt oues in medio luporú. Propter Christum mortificatur tota die. Pereclitatur omni hora. Quomodo igitur verum est quod asseueras, *Nemo vobis nocebit*, cum tanta quotidie patiamur? Et coapostolus tuus scribat, *Omnes qui piè volunt viuere in Christo persecutionem patientur?* Has ergo præueniens obiectiones Petrus prudenter & sapièter dissoluit & refellit, simulque animos afflictorum recreat & consolatur recordatione beatitudinis ac æternæ gloriæ, quæ illis (si exiguo tempore patientes & constantes sint) reposita est in cælis. Si propter nomen inquit, & gloriam Dei patimini, fructuosissimú vobis & gloriosissimum est: si propter peccata propria, probrosum & pudendum. *Si quid*, videlicet, breue ac exiguum: nam momentaneum est quod hîc cruciat: æterna sunt præmia. Quod patimini coram hominibus, in maximam vobis cedit gloriam corâ Deo, angelis, & sanctis omnibus. Hæc quæ patimini propter pietatē ad eò nullú damnú adferunt, vt etiam lucrum augeant, & præmia felicitatis æternæ vobis accumulent. Quod improbitas hominú de facultatibus vestris ademit, Diuina largitas cum immenso fœnore restituet. Itaque Dei gratia & protectione fretos, nihil est quod terreât vos hominú impiorum odia, nihil quod perturbat violentia: quin potius Deú summum protectorem & saluatorem vestrum glorificate in cordibus vestris. Ipse solus sit pavor & terror vester. *Nobilitate timere eos qui occidunt corpus, & post hæc nihil amplius habent quod faciât: sed enim timete qui potest corpus & animã ponere in gehennam.*

Matth. 10.
Luc. 12.

Rectè ac piè scribit hoc loco B. Thomas multiplicem esse rationem, quare patienter & constanter debeat vir Christianus propter religionis suæ defensionem persecutiones impiorum tolerare. Primò, vt sic Christi saluatoris & Domini sui vestigia sequatur. Ille enim pro nobis passus est, vt sequamur vestigia eius. Secundò, vt sic sanctis Prophetis, Apostolis, & Martyribus conformemur & consociemur. Ait enim Paulus: *Omnes qui piè volunt viuere in Christo tribulationem patientur.* Tertiò, vt spiritualium consolationum simus participes. *Nam sicut abundant passiones Christi in nobis*, ait Apostolus, *ita per Christum abundat consolatio nostra.* Quartò, vt in bono gratiæ conseruemur. Ait enim postea D. Petrus. *Deus in Christo Iesu modicum passus, ipse perficiet.* Quintò, vt per hæc peccata vitemus. *Qui passus est in carne desit à peccatis.* Sextò, vt à dæmonum potestate & seruitute liberemur. Etenim *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas.* Septimò, vt ad sempiterna cælestiaque bona pertingamus. Promittit namque Dominus, *Nomina vestra scripta sunt in calis. Merces vestra copiosa est in calis. Vestrum est regnum calororum.*

Clemens Alex. hinc colligit, martyrium pro Christo cupienti, necessariam esse in primis, vt Deo credat, eundem amet, in eum constanter speret, de eius promissis minimè dubitet. Quò certius autem ea expectabit, eò facilius feret, quæ sunt patienda propter iustitiam, cum non possit deesse quæ proponitur remuneratio.

L. 4. Serom.

Matth. 5.

1. Petr. 4.

1. Petr. 5.

2. Cor. 1.

2. Tim. 3.

1. Petr. 21.

Osten. 21.
in psal. 118.

Ambrosius inde etiam appositè concludit. *CruX Christi non opprobrio, sed salutis est. Non fuit opprobrio Petro, qui tantum eius gloria dedit, ut inuersis Christum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. CruX ergo opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est: quia pro nobis passus est Dominus, quia illo nos redemit sanguine, illa ad paradysum resurrectione reuocauit. Qui hæc credit, quomodo potest turbari, cui spes regni cælestis affurgit.*

As. *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea, qua in vobis est fide & spe.*

Erasmus notat *Deum esse Græcè, non Christum: atque hunc sequuntur omnes Nouatores. Verum, Clemens Alex. antiquissimus certè author græcus Christi vocem retinet: cui & Syrus interpretis astipulatur. Ille rursum vult tantum legendum esse, qua in vobis & spe. At verò B. Fulgentius constanter legit, de fide & spe: cui consentiunt Beda, & complures vetustissimi latini codices. Fauet quoque huic lectioni Syrus interpretis, qui habet: de spe fidei, &c.*

Cæterum, hîc continetur decimum generale præceptum, nempe, de ingenua constantique fidei & spei nostræ confessione præstanda omni tempore, coram omnibus hominibus, cum expedit: atque sic Deum & Christum eius sancti-

ficamus, id est, adoramus & colimus vt decet. Vult autem Apostolus Nequaquam vobis sufficere ad iustitiam & salutem putetis; fratres carissimi, si animo tantum credatis, aut expectetis diuina præmia quæ in cælis seruantur electis. Necessè est enim vt & verbis, & ore, & factis coram hominibus, quando id ratio & causa legitima postulauerit, eiusdem fidei vestræ rationem exponatis atque reddatis. Hoc namque & ad Christi gloriam & cultum Dei pertinet. Deinde, tam constanti professione Gentiles nondum credentes plerumque permouentur, & ad veritatis lumen incitantur & perducuntur: credentes autè multò magis in fide & pietate confirmantur. Denique, Christi filij Dei, totius mundi seruatoris & iudicis sanctitas, maiestas, & gloria coram mundo asseritur & extollitur.

Ex his autem primùm obserua, externam religionis Christianæ professionem & defensionem omnino ad iustitiam & salutem loco & tempore necessariam esse: etiam si propterea mundi odia subeunda, atque de fortunis, vitaque ista periclitandum esset. Ait enim supremus mundi iudex Christus: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Patre & angelis eius. Qui autem erubuerit me, ego erubescam eum, &c.* Et Paulus apertè scribit. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ad vtrunque Tobiam angelus Raphaël. *Benedicite Deum celi, & coram omnibus viuentibus confitemini ei quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Postremò, innumera nobis proposita sunt exempla Prophetarum, Apostolorum & Martyrù, qui pro eadem con-

Matth. 10.

Luc. 11.

Rom. 10.

Tob. 11.

L. 4. Strom.

L. 1. ad Tra-
fundum.

366 COMMENTARIA IN CAP. III.
fessione constanter obierunt, & nunc in cælis
immortali gloria perfruuntur. Iurè ergo vetus
Ecclesia inter hæreticos recensuit & damnauit
Elcesaitas, dicentes peccatum non esse ad decli-
nanda persecutorum pericula Christum ore
abnegare, modò fides in eum corde recta ma-
neret. Hoc scriptum reliquerunt Eusebius &
Nicephorus.

L. 6. hist.
cap. 28.

Secundò, præscribit Apostolus, vt id non
fiat tantummodò semel, bis, tertio, aut quarto,
sed *semper*, id est, tam prospero quàm aduerso
tempore, totòque huius vitæ nostræ curricu-
lo, atque toties quoties ad id vocati fuerimus.
Nam Moyses etiam decies gloriam & potesta-
tem Dei Abraham asseruit corà Pharaone. Elias
semel & iterum coram Achab. Christus coram
Pharisæis, & Sadducæis, Anna, Caypha, He-
rode, Pilato, &c. Paulus, Petrus, Apostoli, Di-
scipuli, Martyres, quandiu, & quocunq; lo-
co decuit, eam sunt professi. *Non erubescio Euan-
gelium*, ait Paulus, *virtus enim Dei est ad salutem
omni credenti*. Et alibi. *Va mihi est, si non euangeli-
zauero, &c.*

Exod. 4. 5.
6. 7. 8. 9.
3. Reg.

Rom. 1.

Tertio vult Apostolus, vt non vni solùm
aut alteri, sed *omni poscenti*, videlicet, fideli seu
infideli, Domino aut seruo, Regi, magistra-
tui, vel subdito, parati simus reddere rationem
& causam nostræ fidei ac spei: modò id postu-
let aliquo iure, & vt discat, non vt derideat
vel calumnietur. Aliàs enim meminisse nos o-
porteret prohibitum esse, *sanctum dare canibus, &
margaritas proiicere ante portas*: id est, profanis &
indignis sanctissima religionis nostræ mysteria

Matth. 7.

& sacramenta referare. Ideo enim in Liturgiis
Iacobi, Marci, Clementis, Dionysij, Basilij, &
Chrysoctomi scribitur, eiectos foras catechu-
menos, energumenos, & pœnitentes è templis
& sacris cœtibus, tempore consecrationis &
oblationis adorandæ Eucharistiæ, Diaconis pa-
lam proclamantibus & denunciantibus: Nullus
infidelis, Nullus profanus, Nullus catechume-
nus, Nullus Iudas, &c.

Denique, præcipit Apostolus, vt scopus ac fi-
nis totius huius professionis in eo præsertim ver-
setur, vt Christum sanctificemus ex cordibus
nostris: id est, vt omnem ei gloriam, obedientiã,
cultumque debitum exsoluamus. In his enim
maximè consistit omnis sanctificatio & laus,
quam suo iure reposcit à nobis.

Nec prætermittendum tamen est, non hîc præ-
cipi indiscriminatim omnibus siue viris, siue
fœminis, siue doctis, siue indoctis, vt de subtilio-
ribus fidei & sacramentorû quæstionibus dispu-
tēt, respondeāt, & satisfaciant omnibus, quãdo-
quidem Christus Apostolis suis, lôgè perfectio-
ribus quàm sit vulgus catholicû, dixit aliquãdo:
Multa habeo vobis dicere, quæ nõ potestis portare modò. Ioan. 15.
Et Apostolus scribit, quibusdam lacte, vt infan-
tibus, opus esse, non solido cibo: alibi verò
prohibuit, Mulierem docere, & contendere
verbis cum aduersario: nec omnes dicat esse do-
ctores, Prophetas, Apostolos, Euãgelistas. Ergo
aliud est officiu pastorum atque doctõrû Eccle-
siæ, aliud ouium & discipulorû. Illi enim tenētur
meditari in lege Domini die ac nocte, attendere
lectioni vtriusque Testamenti, prædicare verbû,
1. Cor. 3.
Heb. 5.
1. Tim. 5.
1. Cor. 12.
Psal. 1.
1. Tim. 4.
2. Tim. 4.

Tit. I.

instare opportunè & importunè, arguere, obsecrare, increpare: amplecti fidelem sermonem ut potentes sint in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Vulgus autem etsi pro modulo suo teneatur defendere spem & fidem suam non esse falsam aut inanem, non tamen obligatur, ut de his subtilius inquirat, disputet, aut respondeat.

Ser. de Ar-
rmani.

Nazianzenus enim æquè prudenter atque rectè scribit. Non est omnium disputare de Deo: non est omnium Diuinam discutere naturam: non ita vilis est sacræ scripturæ sermo, ut vulgo indocili, & per terram adhuc repètibus homunculis pateat, &c. Constantè ergo simplex populus teneat fidem ac religionem suam catholicam reuelatã esse à Deo per Prophetas & Apostolos, traditam mundo per horum discipulos & successores, innumeris miraculis comprobata, sancitam à martyribus & sanctis patribus, propagatam toto mundo, seruata & traditam ab auis, & omnium à Christo sæculorum ætatibus & gentibus, quibus innotuit Euangelium; secundum hanc viuat & moriatur, de salute sua securus est populus Christianus.

Notat autem in Com. suis Oecumenius, Gentiles illius sæculi quo scribebat Petrus passim, palàmque Christianis exprobrasse, fidem illorù de rebus inuisibilibus, & humanæ rationi contrariis, ideòque impossibilibus, esse: spem quoque de rebus inanibus & falsis: ac idcirco opus eis fuisse, ut in promptu meditatæ quasdam responsiones & rationes haberent firmas & solidas, quibus cauillationes atque calumnias eorù retunderent.

retunderent. In his erat, quod ab initio mundi Patriarchæ eadem secum crediderunt; Prophetæ, quorum libri à Iudæis hostibus nostris seruantur & leguntur, illa futura esse prædixerunt: Sybillæ, quarum inter gentiles eximia est auctoritas, eadem sunt Inogè antea vaticinatæ: lex Christiana totius virtutis, sanctitatis, ac perfectionis summa est: Iudæi propter occisum Messiam Christum nostrum, & legis eius contemptum, miserimam sempiternamque seruiunt seruitutem: quantò tyranni atrocè nixi sunt hanc religionem delere, tantò plus creuit ac inualuit, &c. Quibus & multò amplioribus rationibus etiam hodie corroborandi animi nostri aduersus infidelium, atheorum, & hæreticorum impetus.

B. Fulgentius coram Trasimundo Vandalorù rege Arianorum fautore maximo, de mysterio mediatoris Christi disputaturus, ab his B. Petri verbis ferè sic orditur. Cùm pro nostra fidè liberè respondemus, nulla contumaciæ debemus suspitione notari, cùm nec Regiæ simus dignitatis inmemores, sciamusque Deo timorem, honorè Regibus exhibendum. Nos etiam B. Petrus ad respondendù paratos esse debere, paternæ iubet dilectionis instinctu. *Parati inquit, semper ad respondendum omni poscenti vos rationem de fide & spe, quæ in vobis est.* Cùm omni poscenti rationem fidei speique nostræ præcipimur reddere, cessat prorsus vniuersæ tam dignitatis exceptio, quàm personæ.

B. Damascenus probaturus, quòd viros sapientes semper ad iuuandù alios, pròptos esse oportet.

teat, superiorem B. Petri sententiam aliquot similibus connectit. Subiicit porro ista ex D. Basilio. Proditionis periculum est, si quis de rebus diuinis ab iis interrogatus, qui Dei amore præditi sunt, non proptè atque impigrè responsum dat.

Com. in hunc
loc.

B. Didymus locum istum his verbis claudit. Sicut sanctificatur Christus ab eo qui imitatur eum, sic animaduertendū est quoniam qui transcendit mandatum præsens, quomodo maculet Christum qui confitetur eum ore, & negat operibus. Sic ad quosdam dicit: *Per vos blasphemat nomen meum.*

Isa.
Rom. 2.

16. *Sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conuersationem.*

Vndecimum generale vitæ Christianæ præceptum est, quo B. Petrus requirit ab eius religionis professoribus modestiam, & syncerā purāque conscientiam coram Deo: simulque honestam & studiosam inter homines conuersationē, quam vt firmissimum murum opponat impiorū calumniis & detractationibus. Sēsus verborum sit. Quando quidem tanta est contra Christi seruos diaboli rabies, & quorundam sycophatarum qui sub huius signis militant maledicendi studium, vt nulli quantumuis simplices ac innocentes euadere possint, non venenatis eorum linguis lacerentur, blasphementur, & damnentur, necessarium est animos consolari & sustentare vero puræ conscientiae coram facie Dei

testimonio. Murus enim plusquam ahenus est: nil conscire sibi, nulla pallefcere culpa. Ad hæc, honesta quædam & ab externis sceleribus integra conuersatio coram mundo etiam necessaria est: vt confundantur & tandem erubescant qui falsa crimina vobis impingunt, omnibus horis & locis studete vt modesti, diuinoque timore & amore præditi sitis. *Luceant opera vestra bona coram hominibus, & glorificent Patrem vestrum, qui in calis est.* Hæc est enim vera apologia, & constantissima tutissimāque defensio, si hostium probra maledictaque mentis innocentia & integris moribus, magisquam verborum disputationibus reuincamus.

Math. 5.

His autem docet, vt de fide & spe interrogati, etiam ab infidelibus, nequaquam procacibus, aut contumeliosis verbis respondeamus, potius irritantes eos ad iram, quàm prouocantes ad pietatem & pacem: sed eiusmodi summisione & mansuetudine ac si coram Diuino iudicio staremus responsuri. Huiusmodi modestiæ nobilissima exēpla à Christo nobis relicta sunt, quando etiam passionis tempore, cum incredibile patientia, animique tranquillitate nunc militibus, mox Annæ, Cayphæ, & Pilato id respondit quod decuit, tacuit verò cum tempus aut res postulauit.

Vide etiā quàm bonum, quàm iucundū, quàmque tutum sit, bona rectaque niti conscientia. At enim Salomon: *Secura mens, iuge conuiuium.* Et *Prou. 25.* rursus. *Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Et Poeta *Prou. 28.*

canit. Integer vitæ, scelerisque purus, non eget mauri iaculis, nec arcu, &c. Improbis autē sunt domesticæ furia, quæ pœnas ab his die noctę que repetunt.

Illa etiā ad veram fidem obtinendam: deinde, & constanter adserendam incredibiliter valet: sicut ē contrario, multis sceleribus corrupta mens facili deprauiatur erroribus, & fidei naufragium accersit. Ideo & Paulus scribit. *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, &c.* Et alibi. *Illis qui caritatem veritatis non receperunt ut salui fierent, mittit Deus operationem erroris, ut credant mendacio, &c.* Et ad Romanos scribit, Philosophos ethnicos prius sese plurimis & nefariis sceleribus cõtaminasse, quàm excæcatum fuerit insipiens cor eorum. Christus denique prædicens circa finem mundi pseudochristos & pseudoprophetas seducturos esse multos, fidemque propemodum desitutam esse, his omnibus anteponebat: *Abundabit iniquitas, & refrigescet caritas multorum.* Simon Magus, Nicolaus, Marcion, Manichæus, Arius, &c. grauissimis & horrendis sceleribus prius seipso contaminauerunt, quàm in execrandas hereses inciderint. Merito itaque Theologi docent, Hæresim non esse primum peccatum, sed pœnam præcedentium multorum & grauium peccatorum.

Contrā verò, certum & manifestum est, puritatē vitæ, & morum integritatē homines disponere atque parare ad Diuinas collustrationes suscipiendas, & receptas constanter prædicandas

1. Tim. 1.

2. Thess. 2.

Rom. 1.

Matth. 24.

atq; defendendas. Ideo enim David scribit. *Super omnes docentes me intellexi, quia mandata tua quasi-* Epist. 112. *vi.* Et Augustinus eam quæstionem discutens, quomodo Deus videri possit, Primum, ait, mihi videtur plus valere in hac inquisitione viuendi, quàm loquendi motum. Nam qui didicerunt à Domino, esse humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Sic Euangelicus Centurio Synagogam ædificans, sacerdotes legales honorans, & seruum infirmum curans, potiusquam disputans meruit à Christo laudari. Alterius quoque orationes & eleëmofynæ dicuntur ascendisse coram Domino, ideoque missum de cælis angelum ad eum, qui D. Petrum accersendum diceret, ut ab eo quæ sunt fidei & salutis æternæ in mercedem acciperet.

Interea verò non prohibet Apostolus viris doctis & prudentibus, ut aduersariorum mendacia, calumnias, & obiecta in Christianos verbis, proconcionibus, ac scriptis publicis palam refutent, ne mendacia eorum in animis hominum radices agant, & religio propterea malè audiat. Nam & Christus obiecta sibi crimina in concionibus refutans ait. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si in digito Dei eiicio Dæmonia, sibi vestri in quo eiiciunt? &c.* Plurimum quoque Christianorum rebus profuerunt Athenagoræ, Iustini, & Tertulliani verustissimorum & doctiss. virorum apologetica scripta.

17. *Melius est enim ut beneficientes (si voluntas Dei velit) pati, quàm malè facientes.*

Duodecimum postremumque vitæ Christianæ præceptum est, de cruce, id est, persecutio-
ne, (quando propter Christi fidem infertur) ala-
criter & fortiter toleranda. Non vos perturbet,
inquit, quòd innocentes nocentium pœnas pa-
timini: imò hoc nomine leuius ferendū est quic-
quid infertur. Præter enim vobis, vt si Deo ius-
tum ac expediens visum fuerit ista vos pati, be-
ne facientes perpetiamini, quàm male facientes.
Etenim qui pro malefactis punitur, tantum luit
quod commeruit. Vestræ autem afflictiones ce-
dunt in gloriam Christi, vestræque felicitatis cu-
mulum. Gloriosum est vobis imitari principem
vestrum, & bibere de calice, quem ipse prior
pro vobis omnibus ebibit. Sic ille gloriam Pa-
tris illustravit, dum innocens captus est, vincus
est, cæsus est, consputus est, crucifixus est, pro
peccatis nostris mortuus est, cum ipse tamen
nullum haberet peccatum. Non pigeat ergo se-
quentes eius exemplum, innocentes à noxiis, ac
boni à malis pro eius doctrina & veritate pati.
Quæ verò gratia, quæ virtus, quæ gloria, si pro
furtis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis, blasphem-
iis, hæresibus patiemini?

Ergo impiorum odium, persecutio, crux
semper comites sunt veræ pietatis & doctrina-
e: nec id casu, vel fortuna, sed potius di-
uina voluntate ac permissione: cui accedit ho-
minum de peccatis coargui dolentium malitia:
itemque diaboli patris mendacij perpetuum ve-
ritatis odium, & bellum aduersus sanctos. Hinc
Dauid, deinde Paulus: *Propter te mortificamur tota
die, estimati sumus sicut oves occisionis.* Et rursum:

Propter hoc laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maxime autem fidelium. Rursumque. *Semper nos in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.*

Siquitur maxima & præsentissima Sanctorum
in tormentorum variorum & mortis perpeffio-
ne consolatio, quod certi sunt, se non pro pec-
catis in rempublicam admissis, sed pro pieta-
te & virtute, pro Dei ac Ecclesiæ cath. insti-
tutis certare: Deum testem & spectatorem cer-
taminis sui esse, imò ab illo se in arenam dedu-
ctos, vt sub eius auspiciis fidei suæ specimen
edant, suo denique labore & sanguine Diui-
næ testificentur veritati. Hinc Tertullianus et-
iam scæminas pro fide Christiana certantes his
verbis animat ad sacra prælia. Proinde vos Be-
nedictæ, quodcunque hoc durum est, ad exer-
citationem virtutem animi & corporis deputa-
te. Bonum agonem subituræ estis, in quo Agono-
thetes (qui certamen propositis præmiis instruit)
Deus viuus est: Xystarches (præses loci certami-
nis) Spiritus sanctus: corona æternitatis, bra-
bium, angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria
in sæcula sæculorum. Itaque Epistates
(athletarum magister) vester Christus Iesus,
qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma (lo-
cum certaminis) produxit, &c. Cyprianus &
ipse postea martyr, sic certantes pro Christo
ad constantiam accendebat. O quale specta-
culum Domino, quàm sublime, quàm mag-
num, quàm Dei oculis acceptum! *Præfusa*

*L. ad Mar-
tyres, cap. 3.*

*Epist. 9. quæ
est ad Mar-
tyres de Ma-
palico.*

Psal. 115.

Matth. 20.

*Psal. 43.
Rom.*

enim est in conspectu Domini mors sanctorum eius, &c.
 Si vos acies vocauerit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimiccate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis eius ad ipsius gloriam peruenire, &c.

*Orat. 1. cont.
 Iudeos.*

Patet etiam, pœnam non facere martyrem Christi, sed causam. Qua de re scribit Chrysostomus. Ob id Martyres amamus, non quòd cruciantur, sed quòd non ob malefacta puniantur. Prædonibus raduntur latera, & monumentorum perfossoribus, maleficisque. Idem patiuntur & martyres. Facta quidem sunt eadem: cæterùm, causa cur hæc fiant, non est eadem, &c.

18. *Quia est Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu.*

Hæc est tertia pars huius capituli præcipua, quæ absoluitur Diuina quadam concione de morte Christi, ac effectibus eius tum erga vivos, cum erga defunctorum spiritus, atque eundem Christum Dominum nostrum. Hac porro concione, veluti exemplo sumpto ab eiusdem Domini summa in passionis & mortis tolerantia & patientia, confirmat superiorem exhortationem: videlicet pios & innocentes Christianos debere cõstanter & alacriter ferre aduersa, adeoque mortem ipsam cum opus fuerit; quia & ipse innocentissimus Dominus pro nobis nocetibus

passus est. Item, membra sunt viua & vera mystici corporis eius, cuius Christus caput est. Insuper, & vitæ, & gloriæ cælestis designati coheredes: igitur oportet illos in crucis ignominia & acerbitate eidem conformari.

Mirè autem omnibus circumstantiis suis argumentum exornat & amplificat Apostolus. Prima, quis passus sit, videlicet, *Christus iustus*, imò & ipsamet iustitia, sanctitas, fonsque omnis iustitiæ & sanctitatis tam Angelorum quàm hominum. Christus coæternus, consubstantialis, & immortalis Dei Filius, per quæ omnia facta sunt. Christus opera Spiritus sancti homo cõceptus & natus ex Maria virgine. Christus verus Messias, rex Iudæorum, lumen ad reuelationem gentium, redemptor & iudex viuorùm & mortuorùm. Quis hæc (vt decet) animo, piâque mente reuoluens, non totus rapietur in admiratione Diuinæ caritatis, misericordiæ, & benevolentiae, erga miserabile genus humanum? Nam talis decebat vt esset nobis *Hebr. 5.* pontifex, innocens, immaculatus, excelsior cælis factus, &c. Hinc autem concludit ven. Beda: *Qui ergo iustus patitur, Christum imitatur. Qui in flagellis corrigitur, latronem qui in cruce Christum cognouit, & à cruce cum Christo paradisum intrauit. Qui nec inter flagella desistit à culpis, sicut latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, & post crucem ruit in tartarum. Augustinus autem docet quomodo passionem Filij homo debeat Deo Patri representare, & magnam orandi ac impetrandi fiduciam sic inde concipere: Aspice, pie Pater, piissimum Filium pro me tam impia passum. Respice, cle-*

Hebr. 5.

Luc. 22.

L. Medit. c.

6.

mentissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus pro quo patitur. Nonne hic est innocens ille, quem vt seruū redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non auctor vitæ, qui vt ouis ad occisionem ductus, tibi que vsque ad mortem obediens factus, atrocissimæ necis genus subiret? &c. Cerne manus innoxias pio manantes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrauerunt manus meæ, &c.

Secunda circumstantia, *semel mortuus est*, tamen si ab initio conceptionis, & deinceps multoties, multasque ærumnas, molestias, persequutiones, afflictiones pro nobis subierit. Addit etiam *semel*, vt maximam, efficacissimam, sufficientissimamque huius mortis virtutem & utilitatem declarer. Eandem quoque opponat sacrificiis legalibus, quorum aliqua singulis diebus, alia singulis mensibus, alia manè & vesperè offerebantur, tot iterationibus horum imperfectionem manifestando. Christi autem cruentum mortis sacrificium adeò perfectum, efficax, & coram Deo Patre gratum fuit, vt repeti nec debuerit nec oportuerit. Sic enim Paulus ratiocinatur. *Non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes Aaronici) prius pro suis delictis offerre, deinde, pro populi: hoc enim fecit semel se offerendo.* Et rursum. *Per proprium sanguinem introuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Rursumque Christus semel oblatuſ est ad multorum exhaurienda peccata. Ex his autem & similibus multis locis refellendæ sunt Calvinianæ horribiles & diabolicæ planè blasphemix, quibus scripsit: *In mortis Christi contemplatione fidem nostram nihil inuenire,*

Hebr. 7.

Hebr. 9.

quo se erigat vel sustentet, cum sit spectaculum extrema desperatione plenum. Rursumque. *Nihil actum fuisse de salute humana, si corporea tantum morte Christus defunctus esset: quæ ampliore disputatione refutauimus hebdomada priore Dialogorum.*

Tertia circumstantia est, pro quibus passus sit, videlicet, *pro iniustus*, seruis ingratis, blasphemis, perduellibus, adeoque omnibus sceleribus contaminatis. Hos vocat Apostolus, *Filios iræ.* Eorum sensus & cogitationes ad malum pronas esse ab adolescentia sua Moyses adfirmat. David quoque dicit, *Concepſi in iniquitatibus & in peccatis.* Igitur passio & mors Christi ex sola eademque tam immensa gratia & caritate Dei erga genus nostrum processit, vt ex meritis nostris præcedentibus esse non potuerit. Vnde etiam consequitur vt tanti meriti, tantæque satisfactionis fuerit coram Dei iudicio, vt hac omnino pro peccatis rotius mundi placatus sit. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, inquit discipulus vnice dilectus, *non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* Et Paulus: *Semel mortuus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et postea sic constanter colligit à minori ad maius: *Si sanguis hircorum ac vitulorum, & cinis vitula aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Iesu Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum immaculatum obtulit Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Ex quibus & aliis multo pluribus alias quoque Caluini aduersus sufficientem Christi pro peccatis nostris satisfactionem copiosè & solidè confutauimus. Eb-

Eph. 2.

Gen. 6. & 2.
Psal. 50.

1. IOAN. 2.

Hebr. 8.

Hebr. 9.

380 COMMENTARIA IN CAP. III.
domadæ prioris, dialogo quarto, contra hære-
sim 31. & 32.

Quarta circumstantia sumitur à causa finali,
in qua consistit fructus mortis Christi erga nos,
videlicet, *ut nos offerret Deo*; id est, auersos à
vera veri Dei cognitione, cultu, timore, amo-
re, & gratia, suæ passionis merito, reduceret ad
fidem, misericordiam, & salutem æternam. Ex
filiis iræ & gehennæ, faceret adoptione filios
Dei, ac proprii regni participes & cohæredes.
Tanquam pastor vigilantissimus oues aberran-
tes non tam reduceret, quàm propriis humeris
referret ad ouile Patris. Offerret autem nos Chri-
stus Deo Patri suo, dum peccata remittit, gra-
tiam mentibus infundit, fide, spe, & caritate de-
corat animam, sicque eam cælesti sponso con-
iungit. Offerret item quando vitæ carnalis mor-
tificatione, castos, humiles, pios, & coram
facie Patris sui gratiosos & acceptos reddit.
Offerret tandem & in futuro sæculo immorta-
les, impatibiles, spirituales, configuratos cor-
pori claritatis suæ, vt eiusdem clara visione &
fruitione, cum Angelis & sanctis omnibus in
perpetuum collætetur. De hac mortificatione
scribit Paulus: *Licet is qui foris est, noster homo cor-
rumpatur: tamen is qui intus est, renouatur de die in
diem.* Et paulò post. *Pro omnibus mortuus est Chri-
stus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant: sed ei qui
pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Hanc autem
vitæ carnalis perfectam mortificationem, vitam
autem spiritualem, dominicæ passionis & meri-
to, & meditatione, & imitatione hîc pro mo-
dulo consequimur, vt ad cælestem prorsus vi-

Ioan. 10.
Luc. 15.

1 Cor. 15.
Philip. 3.

2 Cor. 4.

2 Cor. 5.

tam tandem aliquando præueniamus, & car.
Atque hæc quidem iuxta Bedæ, Glofæ, Thomæ,
Lyrani, Ril elij, & vulgatam lectionem.

Cæterum, Græci omnes, Syrus interpres,
Hieronymus, Augustinus, Biblia Romæ nuper
edita, in singulari constanter legunt, *Mortis a-
tus carne* *ificatus utem spiritu*, & de ipso
Christo interpretantur. Tunc autem quinta
mortis Christi erit circumstantia, nimirum,
quod mortuus sit secundum carnem, quæ re-
apse sola mortalis fuit: perpetuò autem secun-
dum animam (quæ natura immortalis est) nun-
quam extinctus sit. Aut per synecdochen per
carnem totus homo intelligatur, quem assump-
sit patibilem & mortalem: Spiritus autem no-
mine signata sit Diuinitas, cuius potestate ac
virtute tertia die resurrexit à mortuis. Et hoc
quoque est, quod Paulus apertiùs docet: *Si* ^{2. Cor. 13.}
crucifixus est ex infirmitate, viuit tamen ex virtute
Dei. Quia verò vt eadem est voluntas & diui-
nitas, sic eadem virtus & potestas Patris & Fi-
lij, quemadmodum dicitur Christus homo vi-
uere per virtutem Patris, sic & propria virtute
sua. Idcirco enim dixit: *Soluite templum hoc, &* ^{Ioan. 2.}
in tribus diebus excitabo illud. Item. *Sicut Pater su-* ^{Ioan. 5.}
scitat mortuos & viuificat; sic & Filius quos vult
uiuificat. Rursusque. *Potestatem habeo ponendi* ^{Ioan. 10.}
animam meam, & iterum sumendi eam. Ego sum re- ^{Ioan. 11.}
surctio & vita, &c.

Ex his B. Thomas obseruat, primò, Chri-
stum frequenter propositum nobis à B. Petro
in exemplum quod imitemur: idque meritò,
cùm dicat Augustinus: Summa Christianæ re-

ligionis est, imitari quod colis. Secundò, quod *semel* mortuum dicit, quasi non iterum moriturus sit: ad destruendam hæresim quæ dicit, eum *semel* quidem in terra passum ad redemptionem hominum: sed iterum passurum in aëre, ad redemptionem dæmonum. Insuper, ad corripiendam falsam securitatem eccantium, qui ita peccant post Christi mortem, quasi pro peccatis eorum esset iterum moriturus. Tertiò, ad significandum, nos debere meri *semel* peccatis: hoc est, peccatum totaliter & post modum non committere, secundum illud: *Fili, peccasti? ne adicias iterum.*

Ecl. 21.

L. 2. adu.
Iud. c. 27.

B. Cyprianus martyr ex iisdem & aliis similibus efficit, Neminem posse peruenire ad Deum Patrem, nisi per Filium eius Iesum Christum: quoniam dicitur in Epistola B. Petri Apostoli: *Christus semel mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo.* Item in Ep. Ioannis. *Qui negat Filium, neque Patrem habet.* Et in Euangelio: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

1. Ioan. 2.
Ioan. 14.L. de reſta
fide ad Regi-
nas.

B. Cyrillus inde etiam colligit, Multos sanctos Prophetas peremptos quidem esse, sed nullum eorum pro peccatis nostris mortuum: neq; obrulisse nos Deo per suam mortem. Ergo nos solum in Christo, & per ipsum redemptos esse: & eius passionem salutarem fuisse mundo. Item, quoniam dicitur mortuus in carne, natura ineffabilis, (id est, Diuina) a passionibus est aliena. Sua igitur carne passus est, cum Verbum ex Deo expers passionum esse solet.

B. Ambrosius fructum huius mortis in Ecclesia perpetuum esse hinc adfirmat, d. Christus se-

Lib. 10. in
Lucam.

mel quidem pro peccatis populi mortuus est, sed quotidie peccata populi redempturus.

B. Athanasius hinc euincit aduersus errores *Lib. de In-*
Valentinianorum, neque Patrem, neque Spiritum sanctum carnem gestasse, ut in ea mori possent: sed solum Verbum. Ideoque (subijcit ille) idem est qui passus est, & non passus: Diuina quidem natura incommutabilis & inalterabilis: carne tamen passus, ut dixit Petrus. Quapropter errant, qui dicunt alium esse, qui passus sit: & alium esse (persona) qui non sit passus. *Lib. de In-*
carnat. Christi.

19. *In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus ueniens predicauit.*

20. *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo anime saluæ factæ sunt per aquam.*

Hic locus vniuersis nouatoribus, qui Lymbum patrum, & Purgatorium fateri nolunt, adeò difficilis, & plusquam Herculeus nodus videtur, ut eorum nulli aut secum, aut cum aliis de eius germana interpretatione conueniant: sed more cæcorum cæcutientes, & palpantes in meridie, nesciunt quid de illo pro certo tradant & definiant. Nos quid Patres Orthodoxi iuxta Cath. doctrinam senserint, aliquot propositionibus exponemus.

Prima est, Christus iuxta carnem mortuus & sepultus, secundum eundem spiritum, quem exclamans in manus Patris commendauerat, reipsa

UNIVERSITY OF CHICAGO

Ioan. 19.

descendit ad quædam inferorum loca & rece-
pracula. Ait namque Apostolus: *In quo, vide-*
licet, spiritu, venit ad spiritus, qui erant in carcere.

Eph. 4.

Hoc & Paulus asseuerat, dicens: *Descendit ad*
inferiores partes terræ. Et Christus in Euangelio
dixerat: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus*
& tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde
(i. profundissimo medullio, seu, centro)
terra. Hæc enim nec de illius incarnatione in
vtero Virginis, nec de sepulcro quo conditum
fuit triduo corpus eius, commodè possunt in-
telligi: quoniam nec sunt inferiores partes ter-
ræ, nec medium eius. Insuper, hic descensus
non nisi post perpeffionem & obitum recita-
tur in Symbolo. *Crucifixus, mortuus, & sepul-*
tus, (aiunt authores illius Apostoli) descendit ad

Math. 12.

inferos. Denique, summi Apostoli Petrus &
Paulus aduentum illum ad spiritus carcere con-
clusos confirmant, simulque explicant ex Psal-
mis: *Non relinques animam meam in inferno, &*
cætera. En spiritus, & anima Christi: eadè inque
à corpore seiuñcta; descendens in cor terræ: id
est, locos inferos, seu abyssos. Quid clarius &
certius?

Act. 2. & 13.

Secunda propositio. Quidam spiritus homi-
num defunctorum ibi detinebantur velut capti-
ui in carcere siue custodia. Etenim clarissima
sunt ista B. Petri verba, *his qui in carcere erant,*
spiritibus prædicauit. Apertissima quoque &
certissima est omnium antiquorum interpre-
tatio. Augustinus namque scribit: Christus
resurrexit solutis doloribus inferni, quibus
teneri non poterat: sed quibus alij in inferis
tenebantur,

Epist. 99.

Act. 2.

tenebantur, quos ille nouerat liberandos. Non
omnes, sed quos voluit, soluit. Accedit Hie-
ronymus dicens. Ante Christi mortem Abra-
ham (erat) in inferis: post mortem, latro in
in paradiso: Idem alibi. Dominus iuxta Apo-
stolum Petrum, occisus est in carne, viuifica-
tus spiritu, & prædicauit spiritibus in carce-
re constitutis. Gregorius quoque scribit. An-
te aduentum Christi, omnis homo quantum-
uis probatæ vitæ, ad inferni claustra descen-
dit. Idem episto. 179. Descendens ad inferos
Christus, solos eos per gratiam liberauit, qui
cum venturum esse crediderant: & præcepta
eius viuendo tenuerant. Ambrosius idem do-
cet confirmatque ex eo quod dicitur in Psal.
Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.
Item ex his eiusdem Christi promissis: *Cum*
exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.
Et rursus alibi. Per corporis mortem (Chri-
stus) penetrauit infernum, vt solueret alli-
gatos. Et lib. de mysterio Paschæ, cap. 4. Ex-
pers peccati Christus, cum ad tartari ima des-
cenderet, seras inferni ianuâsque cõfringens,
vinctas peccato animas, mortis dominatione
destructa, è diaboli faucibus reuocauit ad vi-
tam. Hilarius eadem sentiens & docens ait.
Scit Dauid hanc consolationem (Dei per
Christum) sanctos quiescentes in inferno de-
siderare. Scit, testante Petro, descendente ad
inferna Domino, etiã his qui in carcere erãt,
& increduli quondam fuerant in diebus Noë,
exhortationem prædicatam fuisse.

Epi. ad He-
liodor.

Inc. 54. Isa.

L. I. 2. Mor.
cap. 6.In cap. 4. ad
Ephes.

Psal. 77.

Ioan. 12.

In Psal. 118

His quinque Ecclesiæ Latinæ sanctissimis

L. de recta
fide, ad Theo
dos.

In 6. 19. 10.

Rom. 6.

Homel. 4. in
Marc.

Genes. 37.
Luc. 16.

Contr. heres.
46.

Contr. heres.
77.

L. de incar.
verbi.

L. 5. cap. 31.

doctoribus, totidem Eccle. Græcæ ac Orientalis coniungamus. Cyrillus Alex. in primis scribit. Anima Christi vnionem ad verbum sortita, descendit quidem in infernum, diuina autem potestate & virtute, etiam spiritibus qui illic erant apparuit, dicens illis. *Egre dimini*. Et his qui in tenebris. *Reuelamini*. Et alio loco. Quum tempus iam esset, vt etiam spiritibus apud inferos prædicaret Christus, (venit enim vt tam viuorum quàm mortuorum dominaretur) mortem pro nobis suscepit. Addatur Chrysostomus. Antequam Christus aperiret paradisi ianuam cum latrone (inquit ille) omnes sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Dicit enim Iacob: *Lugens descendam ad inferos*. Euangelium quoque Abraham & Lazarum in inferis collocat. Præcesserat Epiphanius idem sic asseuerans. Christus venit, vt his qui eum cognouerant, verum propter peccata in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur. Alibi citat quoque hæc Athanasij verba, Episto. ad Epictetum Corinthi Episcopum. Corpus Christi erat in monumento positum, quando ipse iuit ad prædicandum etiam spiritibus in carcere, velut Petrus dixit. Athanasius idem rursus ait. In morte Christi, corpore non vltra sepulchrum delato, anima ad inferos penetrauit, locis ingenti interuallo discriminatis, vt animarum quas infernus tenebat vincula, sua anima distumperet, &c. Nec alia fuit D. Irenæi martyris sententia. Ait enim. Tribus diebus conuersatus est Dominus vbi erant

mortui, quemadmodum prophetia ait de eo. Commemoratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, eorum qui ante dormierunt in terra stipulationis, & descendit ad eos, extrahere eos, & saluare eos. Et ipse autem Dominus, *quemadmodum* (ait) *Jonas in ventre Ceti tres dies & tres noctes mansit, sic erit filius hominis in corde terre*. Sed & Apostolus ait. *Ascendit autem, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terra?* Hoc & Dauid in eum prophætas dixit. *Eripuisti animam meam ex inferno inferiori, &c.* Habes igitur decem selectissimos ex Oriente, Occidente, & Meridie patres, tum ex loco D. Petri quem exponimus, quàm ex aliis apertioribus diuinarum scripturarum testimoniis explicantes & confirmantes, quod secunda propositione docemus de Christi ad inferos descensu, & spiritibus illic detentis.

Tertia propositio. Christus secundum animam, & illis modis quibus inter se Angeli, ac spiritus carne soluti colloqui possunt (id est, conceptus suos sibi inuicem patefacere, & manifestare solent) spiritibus, qui in inferis detinebantur, nimirum in patrum Lympo, seu Abrahamæ sinu, Purgatorio, & damnatorum locis prædicauit: istos conuincendo, quod iustè damnati essent, atque indigni, qui vnquam liberarentur: illos autem sua pietate & singulari gratia semel eripièdo. Solis etenim luce clariora sunt hæc D. Petri verba. *Spiritibus qui in carcere erant prædicauit*. Itè sequenti proximo capite palam & constanter

dicit: *Mortuis euangelizatum est*. Accedit veterū consensus. Nam Clemens Alex. ex verbis & autoritate Hermæ, qui & Pastor dicitur, & cuius Paulus etiam meminit, probat quibusdam defunctis prædicatum fuisse regnū Dei, eisdemque saluatos fuisse & tormentis inferorū quod de his qui Purgatoriis pœnis exercebantur, conuenientissimè intelligitur. Irenæus martyr testificatur se accepisse à quodam Presbytero, qui audierat ab his, qui Apostolos audierant, Dominum descendisse in ea loca, quæ sunt sub terra, illicque euangelizasse aduentum suum, remissionemque peccatorum à se peractam, & multos inde saluasse. Sequitur magnus Athanasius dicens. Corpus Christi in sepulchro erat positū, cum, verbum abiit vt prædicaret spiritibus in orco positis, &c. Augustinus verò ait. Fuisse Christum apud inferos, & in eorum doloribus cōstitutis hoc beneficium præstitisse non dubito, vt ab eisdem doloribus saluos faceret. Hæc sumpta videntur ab Ambrosio scribēte: Christus triumphato diabolo, descendit in cor terræ, vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum, vt quotquot cupidi eius essent, liberarentur. Hilarij relata sunt superioris eiusdem sententiæ verba. Consentit his verbis Damascenus. Descendit in infernum anima deificata, vt quemadmodū iis, qui in terra verfabantur, iustitiæ sol ortus erat, ita etiam iis, qui infra terram in tenebris & umbra sedebant, illuceret, & quemadmodum iis, qui in terra erant, pacem, captiuis remissionē, cæ-

I. ib. 2. c. 6.
Strouat.

Rom. 15.

Lib. 4. c. 45.

Epi. ad Epi-
ctetum.

Epi. 99.

Comment. in
cap. 4. Epi. 1.

In Psal. 113.

Lib. 3. de fide
Orib. 2. 29.

cis visum euangelizauerat, sic etiam iis, qui in inferno erant: vt ipsi omne genus flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Ecumenius in hanc rem etiam scribit. Iudicantur *Philip. 2.* & mortui, quod manifestum est ex aduentu Domini ad inferos. Cum enim eò venisset, prædicauit sicut & iis qui in terra viuebant: prædicauit autem, non sermone, sed opere. His qui secundum carnem vixerant, ad iudicium: illis verò qui secundum spiritum, ad gloriam & salutem, &c. Hæc adèd clara & certa sunt, vt nulla explicatione indigeant.

Quarta propositio. Illorum quorum spiritus erant in carcere, quidam fuerant aliquādo increduli ad tempus: quidam verò in sempiternum hique in inferis vt reprobī permanserunt. Qui autem ante supernam vitæ horā ab incredulitate resipuerunt, per Christum salutem sunt consecuti. Sicut quando Noë diuina ordinatione Arcam fabricans, pœnitentiam & diluuium annuntiabat crediderunt & ob audierunt ei, nimirum, *Gen. 6. & 7.* vxor, tres filij, & vxores eorum, seruati sunt à morte: cæteri verò qui contempserunt & irriserunt, pœnas infidelitati suæ debitas persoluerunt. Atque istud ex patribus Græcis istis verbis tradit Ecumenius. Sicut Euangelium in terra saluat credentes, & damnatio est non credentibus: ita consolatio sanctis allata per Christum, qui hīc rectè vixerunt, fuit salutaris. Inobedientibus verò cessit ad improprium, pudorem, & maiorem damna-

390 COMMENT. IN CAP. III.
Luc. 16. tionem : sicut Epulo ex consideratione quietis Lazari magis est cruciatus. Idem sentit & *L. 3. de fide. cap. 29.* Damascenus cum ait. Sicut Christus in terra fuit fidelibus causa salutis æternæ, infidelibus autem improprium & redargutio : sic & his qui in inferno. Liranus quoque hoc loco scribit. Hic accipitur carcer pro Lymbō inferni, quo detinebantur patres antiqui, in quem anima Christi descendit, corpore iacente in sepulchro. Prædicauit autem, quia tunc mysterium incarnationis & redemptionis impletum esse declarauit : inter quos erāt aliqui, qui perierant in diluuiō corporaliter. Et potest dici, quodd videntes diluuium increfcere vt prædixerat Noë, crediderunt multi, qui prius erant increduli, & pœnituerunt de peccatis suis, & sic descenderunt in Lymbum cum aliis patribus fidelibus, &c. In eandem sententiam, post quasdam alias ventilatas, recidit tandem perdoctus & sanctus pater Rikelius, dicens. Vt piè speratur, quidam qui ante diluuium increduli erant verbis Noë, veniente ipso diluuiō, suæ perfidiæ cognouerunt errorem, & pœnituerunt, ac saluabantur, ita quod in Purgatorio plenè purgati venerunt in Lymbum patrum, sicque eis cum ceteris ibi manentibus Christus prædicauit, &c. Atque his quatuor propositionibus mihi simpliciter & absolute explicatus videtur verborum Apostolicorum sensus, nec vlla vis, vt in aliis expositionibus, allata scripturæ.

Hic autem primū attende, alteram par-

391
 EPISTOLÆ I. D. PETRI.
 rem concionis Apostolicæ, nimirum de fructibus mortis Christi erga defunctorum animas : quas spiritu suo in locis inferis detentatas immisit, monuit, & quasdam earum seruaui. Sicut enim Paulus antequam dicat Christum ascendisse super omnes calos, vt adimpleret omnia, descensum eius ad inferos commemorat. d. *Qui ascendit, quid est, nisi quia prius descendit in inferiores partes terræ?* ita & hoc loco D. Petrus post concionem de morte Christi, & circumstantiis eius, descensum eiusdem ad inferos secundum animam exponit : & quid ibidem tempore corporis triduanæ sepulturæ fecerit prius explicat, quàm de illius resurrectione, ascensione, & sessione ad dexteram Patris fusiùs disserat. Hoc idem elegantissimo ordine seruatum ab Apostolis in Symbolo fidei nostræ patet. Aiunt enim. *Mortuus, sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* Profuit igitur passio & mors Christi, quinimò profuerunt & omnia eius ieiunia, omnes labores, omnes vigiliæ, omnes orationes, omnia merita non solum eis qui tum extabant : verum etiam vniuersis fidelibus defunctis ab initio sæculi : nobis denique atque in finem vsque mundi futuris, ad remissionem peccatorum, satisfactionem & salutem æternam. Iccircò enim ait. *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Et Apostolus scribit : *Christus & heri, & hodie, & in ipse in secula.* Est enim vniuersalis, & omnium sæculorum ac hominum Saluator. Hunc prædicauit Pater : cū promisit Abraham.

Ephes. 4.

Math. 26. Hebr. 13.

Genes. 3. & semini eius : hunc expectauerunt etiam
Genes. 12. Gentes : hunc vidit pater fidei nostræ , &
22. & 49. gauisus est : de hoc scripsit Moyses : hunc
1. Iam. 3. adumbravit serpens Æneus de ligno pendu-
1. Ioan. 15. lus : hunc agnus Paschatis : & vt paucis ab-
Num. 21. soluam, hunc testimonium perhibuerunt omnes
1. Ioan. 3. prophetæ remissionem peccatorum ac-
Aff. 10. cipere per nomen eius omnes, qui credunt
 in eum. Coarguendi ergo sunt illi, qui pro-
 fundissimam abyssum meritorum & satisfac-
 tionum eius, ad quosdam tantum supersti-
 tes contrahunt. Io. I. 1. Io. 2.

Perſpice deinde, spiritus carnis ac mundi
 huius vinculis solutos in alio sæculo viuere,
 & suo inter se more colloqui atque de rebus
 diuinis differere, quemadmodum Epulo de
 inferis cum Abrahamæ spiritu collocutus est:
Luc. 15. & spiritus Samuelis cum Saule, & Oniæ cū
1. Reg. 28. Iuda Machabæo disputasse leguntur.
2. Mach. 15.

Vide & hominum socordiam, qua diuina
 bonitate & patientia abutentes, persuaderi
 sibi non patiuntur, quod mundo irascatur,
 quodque terribiles minas opere adimpleat.
Gen. 6. & 7. Initio enim non crediderunt quod eum vni-
 uersali diluuiio perdere vellet: sed cogita-
 bant aut pœnas esse comminationes eius, aut
 ad terrorem tantum pronunciatas: cæterum,
 Deum tam patientem vt nunquam ferirer.
 Sed vt multus est ad ignoscendum, ita & mul-
 tus ad vlciscendum. *Secundum autem duri-
 tiam tuam, & impunitens cor,* ait Apostolus, *the-
 sauriſas tibi iram in die ira, & reuelatione iusti iu-
 dicij Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius.*

Nec prætermittendū sæculi Noë ex templū
 terribile quo omnis caro aded viā suam cor-
 ruperat, vt octo tantummodò pij sint inuēti,
 & salui à morte communi per Arcam. In sola
 Noë familia cultus ac timor Dei veri ac viuēt-
 is permāserit, aliis prorsus omnibus per ido-
 latriam, libidinem, & alia crimina pereun-
 tibus. Sic mundus semper fuit plenus incre-
 dulis, & Dei contemptoribus. *Lata est via du-*
Matth. 7. *cens ad perditionem. Pauci sunt electi.* Pij ergo pro-
Matth. 20. pter paucitatem suam non frangatur animis.
 Ait namque Dominus : *Nolite timere pufille*
Luc. 12. *grex, &c.*

B. Fulgentius ex hoc B. Petri loco demon-
 strat, quod passim in Scripturis totus homo
 carnis appellatione dicitur : sicut ibidem rur-
 sus homo totus solius animæ nuncupatione
 monstratur. Sic Abraham animas quas ac-
 quisierat in Charta secum tulisse narratur.
 Iacob quoque in Ægyptum descendente, se-
 ptuaginta quinque animas in eius comitatu
 fuisse scriptura commemorat. Beatus etiam
 Petrus octo animas dicit diluuij tempore per
 aquam fuisse saluatas. *Li. de incar. nat. cap. 9. & li. 1. ad tra- simundum. Genes. 12.*

21. *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit Ba-
 ptisma : non carnis depositio sordium, sed conscientia
 bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesū
 Christi.*

Alios fructus passionis & mortis Christi
 nunc enumerat, eosque ad totius generis hu-
 mani salutem spectantes. Hi sunt Baptismi

omnium sacramentorum primi ac efficacissimi institutio, ac virtus tanta, ut de conscientiarum nostrarum peccata deleantur, homines in filios Dei adoptentur, eidemque nunc per gratiam, & tandem aliquando per gloriosam carnis nostræ resurrectionem (cuius archa & exemplaris causa fuit Christi resurrectio) perfectè ac intimè coniungantur. Tantam verò huius sacramenti efficacitatem nemo Angelorum vel hominum præmeruit: sed solus Christus, cum pro nobis mortuus & sepultus tertia die resurrexit, voluit illud per vniuersum mundum prædicari, & ministrari in remissionem peccatorum.

Ex his autem sic D. AVGVSTINVS ratio-
cinatur & colligit. Noë cum suis per aquam
& lignum liberatur: sic & familia Christi per
Baptismum, & passionem crucis. Præter Ar-
cham omnis caro, quam caro sustentabat,
diluuio consumpta est: sic præter Ecclesiæ
societatem aqua Baptismi quamvis eadem
sit, non solum non valet ad salutem: sed va-
let potius ad perniciem. Per aquam & Ar-
cam Noë cum suis in sublime sublatus est:
sic familia Christi per Baptismum & Passio-
nem, conuersationem habet in cælis, & se-
det cum Christo in cælestibus. Pauci admo-
dum, id est, octo homines saluati sunt in
Arca, aliis innumeris pereuntibus: sic val-
de pauci per crucem, baptismum, vitamque
Christianis dignam, ad vitam æternam per-
ueniunt. Omne genus animalium, etiam
immundorum, erat in Arca: sicut in Ecclesiæ

Sacramentis boni & mali versantur. Hactenus AVGVSTINVS, qui & libr. 12. contra Faustum, cap. 37. 38. 39. item lib. 15. De Ciuitate Dei, cap. 26. & 27. alia eiusdem Arce sacramenta suo more, id est, doctè sanctèque pertractat.

B. HIERONYMVS de eadem loco sic
differit. Arca Noë Ecclesiæ typus fuit, di-
cente Petro Apostolo: In Arca Noë pauci, id
est, octo animæ salutæ factæ sunt, &c. Ut in illa
omnium animalium genera, ita & in hac vni-
uersarum & gentium, & morum homines
sunt. Ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni:
ita & hic iusti & peccatores, id est vasa aurea,
& argentea, cum ligneis & fictilibus commo-
rantur. Habuit Arca nidos suos: habet Ec-
clesiæ plurimas mansiones. Octo animæ ho-
minum in Arca seruatae sunt: & nos Eccle-
siales iubet dare partes octo, id est, crede-
re vtrique testamento. Emittitur de Arca
coruus, & non rediit: & postea pacem terræ
columba nunciat: ita & in Baptismate Ec-
clesiæ, teterrimo alite expulso, id est, diabo-
lo, pacem terræ nostra columba Spiritus san-
cti nunciat, &c.

Cyprianus martyr eisdem D. Petri verbis,
elicit vnitatem Baptismi ac Ecclesiæ. Petrus
demonstrans, & vindicans vnitatem, mandauit
& monuit nisi per vnū solum Baptisma vnus
Ecclesiæ saluari nos non posse. In Arca, in-
quit, Noë pauci, id est, octo animæ, sal-
uæ factæ sunt per aquam, quod & vos simi-
liter saluos faciet Baptisma. Quam breui

Math. 28.

Mat. 26.

L. 32. contr.

Epist. c. 14.

Epist. 17.

Dialog. 2. ad
Lucifer.

Ep. 74. quæ
ad Pompeiū.

& spiritali compendio, vnitatis sacramentū manifestauit? Nam vt in illo mundi baptismo, qui in Arca Noë non fuit, non potuit per aquam saluus fieri: ita nec nunc potest per Baptismum saluus videri, qui baptizatus in Ecclesia non est. Eadem confirmat Episto. 76. quę est ad Magnum: similiter & Firmilianus Epist. ad Cyprianum, quę ibi est. 75.

Obseruandum quoque, istud lauacrum toto cælo distare à frequentissimis lotionibus Iudæorum, aliisque communibus & vulgatis inter homines, quibus tantummodo corporum aut vestimentorum sordes eluuntur, nõ conscientiarum. Nam hoc sacro Baptismo delentur omnia peccata ex animis, & adoptionis diuinę gratia confertur: quibus fit, vt conscientia pura, munda, sanctaque reddita, coram Deo examinari, interrogari, iudicari, aut damnari pro delictis Baptismopræcedentibus non reformidet. Sic itaque Baptismus dicitur hęc, *Bonę conscientię interrogatio*, quomodo nomen effectus persæpe tribuitur causę efficienti: nimirum, sicut Sol dicitur calidus, frigus pigrum, scriptura manus, lingua Latina vel Græca, &c. quia Sol in corporibus aptis calorē producit, frigus efficit pigros, scriptura manu exaratur, & per linguā proferuntur verba. Ergo quia per externam Baptismi ceremoniam abluuntur animę, indeque pax & tranquillitas incredibilis nascitur: insuper, & magna in Deum confidentia, aded, vt cum eo audeat colloqui, eundemq; tam proprio, quàm aliorum nomine inter-

pellare, rectè iuręque dicitur, *Bonę conscientię interrogatio & responsio in Deum.*

Ex his autem consequitur, Baptismi sacramentum non esse tantum iustitię præcedentis sigillum, & confirmationem externam, vt sarrūt Calviniani: sed omne profus peccatum remittere & gratiam donaque Spiritus sancti, iusque cælestis regni cum magna efficacitate conferre. Dilucida enim sunt verba B. Petri, *saluos vos facit Baptisma: & eo modo, quo tempore Noë quidam salui facti sunt per aquam.* At verò, aqua diluuij Arcā verè subleuabat, & ea comprehesos super seipsam ferēs à morte seruabat: non tātum significabat saluos esse. Christus enim regenerationem spiritualem cunctorum hominum huic sacramento tribuens ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et in actis Petrus disertè præcepit turbis: *Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum:* quibus remissio peccatorum huius sacramenti virtuti & susceptioni tribuitur. Ananias quoque Paulo dicit: *Baptizare & abluere peccata tua.* Idem denique Paulus omnem munditiam, regenerationem & salutem nostram ab hoc sacramento tanquam Dei organo pendere docens, ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lauacro aqua in verbo vite.* Et alibi, *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, &c.*

Accedunt omnium veterum graues sententię, atque in primis Iustini martyris & Philo-
:lophi dicentis remissionem antè commissorū

Genes. 7.

2. Ioan. 3.

Act. 2.

Act. 12.

Ephes. 5.

Tit. 3.

Apolog. 2.

peccatorum consequimur in aqua. Deinde, Irenæi martyris scribentis, infantes, paruulos, pueros, iuuenes, & seniores per hunc renalci in Deum. Hinc Cypriani martyristificantis, per hoc lauacrum superioris æui labes detergi, expiari peccus, supernum lumen infundi, & in nouum hominem natiuitate secunda reparari. In eiuſdem virtutis admirationem raptus exclamat Augustinus: Vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? &c.

Et ne putent adulti hoc solùm sacramentum sibi ad salutem satis esse, nisi sanctis moribus professionem exornent, addit idem Augustinus. Et ne sibi sufficere putent visibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perditè viuendo, virtutem eius abnegarent, continuo Petrus subiecit: *Non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio in Deum.*

Sed quorsum addita Christi resurrectionis commemoratio? An vt significetur, quod Baptisma saluat per fidem resurrectionis, vt autumant hæretici? Minimè omnium. Nam in paruulis saltè, hæc fides non præcedit Baptisma, sed velut effectus causam suam consequitur. Deinde, Petrus non dicit illud saluare per concionem aut fidem de resurrectione: verùm, per resurrectionem Christi. Id est, quia cum baptizamur, adumbramus Christi resurrectionem emergendo ex aquis, sicut ille surrexit & de sepulcro, & de infernis victor emerſit. Ait enim Paulus:

Consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexisti per fidem operationis Dei, qui suscitauit eum à mortuis.

Et alibi. *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus, similitudini mortis eius: simul & resurrectionis erimus.* Ista verò sic eleganter & compediòse B. Clemens explicat. Baptismus datur in mortem filij Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto: sigillum crucis, pro cruce: chrisma, confirmatio confessionis est: fit Patris commemoratio vt causæ & emissoris: Spiritus coassumptio, vt testis: mergi, commori est: emergere, consuscitari. Adde quod, vt mors Christi fuit causa meritoria salutis nostræ, & virtutis omnium sacramentorum: ita & resurrectio causa exemplaris, imò & arrha certissima nostræ resurrectionis.

Hinc denique Baptismi summam esse necessitatem, eò quòd Christus per hunc nos iustificet, sibi coniungit, conformet, & saluet, aduersus Calvinianorum hæreses, cunctis est manifestum. Accedit grauissima & certissima Christi comminatio. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei.* Inde enim August. & cæteri patres, coarguunt & reprobant sententiam eorum, qui putant paruulos saluari sine baptisimò. Idem etiam scribit. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequã baptisetur morte preuentos,*

Epi. ad Do-
natum.

Tract. 80. in
IOAN.

L. 19. contr.
Faust. c. 12.

Coloss. 2.

L. 3. constan-
cap. 17. in al.
Turr.

IOAN. 3.
Epist. 90.
& 92.

L. 3. de ori-
gine animæ.
cap. 9.

peruenire posse ad originalium indulgētiam peccatorum, si vis esse catholicus. Quod autem adfirmant Caluiniani filios sanctorum omnes nasci sanctos, manifestè falsum apparet in Cain, Cham, Ismaël, Esau, Absalon, Amnon, & alios absque numero impiis ac reprobis, natis de sanctis atque fidelibus. Et Dauid viri sancti filius palam constantèrque confitetur: *Ego in iniquitatibus conceptus sum, etc.*

Psal. 50.

22. *Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vita aeterna haeredes efficeremur: profectus in calum subiectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.*

Explicat tandem illos mortis Christi fructus, qui magis propriè ad ipsum pertinent. Docent autem Theologi, Christum sua passione & morte quinque praesertim sibi homini meruisse. Nam quatenus Deus est, ab aeterno tantam semper gloriam habuit, ut nullo modo augeri potuerit. Primò autem meruit humanitatem, in qua semetipsum exinanituit vsque ad mortem crucis, vsque ad ipsum confortium, thronumque Patris exaltari, conregnare, ac diuina prorsus gloria coronam. Hoc Paulus adfirmat, dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.* Et rursum *Propter ignominiam mortis vidimus Iesum gloria & honore coronatum.* Secundò, meruit esse ac dici caput totius Ecclesiae tam adhuc peregrinantis & pugnantis in terris, quam in caelo iam triumphantis, id,

Philip. 2.

Philip. 2.

Hebr. 2.

est

est, tam hominum fidelium, quam angelorum, & omnium beatorum spirituum. Pater namque constituit eum, scribit Paulus, *ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatū, & potestatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Et de huius gloriae adoptione ipsemet dicit: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Luc. 24.

Denique, idem rursus confirmat dicens. *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra.* Tertio, meruit proprii corporis resurrectione, eiusdemque immortalitatem, claritatem, agilitatem, subtilitatem, & si quæ aliæ sunt beatorum corporum dotes. Quarto, per omnes fines terræ verè agnoscì, adorari, & inuocari, tanquam Rex regum, Dominus dominantium, vnicus supremusque Saluator mundi, ac Iudex viuorum & mortuorum. Quintò, semper exaudiri in precibus, quibus velut Mediator Dei & hominum, & Aduocatus noster apud Patrem suum & nostrum iugiter pro nobis interpellat, &c. An non hi magnificentissimi & preciosissimi exinanitionis mortisque fructus? De his copiosius egimus aduersus Caluinianorū hæreses, Dialogo quinto, prioris hebdomadæ.

Matth. 28.

1. Cor. 15.

Insuper, mortis suæ virtute, & resurrectionis atque Ascensionis triumpho, ita mortem deglutit, prostrauit, assumpsit, ut nec eius gloriam impedire nec electos seruos retardare id valeat, quin caelestem beatamque vitam adipiscantur. Morientur quidem isti, sicut & ille ad tempus mortuus & sepultus est; verum, sicut ille terra

die resurrexit à mortuis, & quadragesima ascendit in cælos, sic & isti in nouissima die, inuita morte, & vniuersa dæmonum ac inferorum tyrannide, sic integri, salui, & gloriosi resurgent, vt nullum deinceps mortis vestigium in illis appareat in sempiternum. Hoc quondam per Isaiam promiserat dicens: *Præcipitabo mortem in sempiternum.* Et per alium prophetam: *O mors, ero mors tua.* Hinc Paulus multa nos omnes aduersus mortis horrores consolatione reficiens, ait: *Oportet mortale hoc induere immortalitatem: & corruptibile hoc induere incorruptionem.* Audaçterque mortis furoribus insultans, exprobrat ei, quod per mortis Christi virtutem ac meritum vires suas amiserit, d. *Vbi est mors, victoria tua? Vbi stimulus tuus? Gratia Dei, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum dominum nostrum.*

Apostolus postremo huius capituli loco describit, simulque amplificat hominis Christi triumphos, ex hoc quòd non tantum ascenderit super omnes cælos, super omnes Patriarcharum & Prophetarum spiritus: sed etiam super omnes beatorum Angelorum, Archangelorum, virtutum, potestatum, Cherubinorum, & Seraphinorum sacros ordines: quod summæ gloriæ, honoris, & maiestatis certissimum ac euidentissimum est argumentum. Hoc idem & B. Paulus adfirmans prædicat. *Constituit eum Deus Pater ad dexteram suam in cælestibus, super omnem principatum, & potestatem, &c. & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius.* Non tantum super cælos, ait Chrysostomus, sed supra Cherubim ascendit,

Isa. 25.

Ose. 13.

1. Cor. 15.

Eph. 1.
Philip. 2.Ser. de Af.
ceus.

vltra Seraphim eleuatus est, nec ante stetit, nisi sedem dominicam meruisset & accepisset. Cyrillus Alex. addit. Ob mortem & passionem summæ gloriæ coronam promeruit. Et Vigilius martyr scribit. Cùm Dominus diceret, *Pater diligit me, quia animam meam pono pro ouibus meis,* gloriosam significat remunerationem merito acquisitam. Beatitudinis munera sunt passionis eius merito acquisita, &c.

Quomodo autem propriè Christus dicatur federe in dextera Dei Patris, copiosè diximus, & aduersus hæreses confutauimus Dialogo sexto prioris hebdomadæ.

Quæ verò hîc referuntur de illius maiestate & gloria, mirum in modum excitare debent fidem nostrâ in eum, quem credimus esse Saluatorem & Iudicem huius mundi. Deinde, extenuant omne quod oriri posset, de crucis eius horrore & contumelia scandalum. Ad hæc, spem nostram in eum adeò confirmant, vt cum omni fiducia ad illum in cunctis aduersis confugiamus: quandoquidem omnis potestas terrena, cælestis, tartarea, velit nolit subiiciatur & inseruiat. Denique, vt Christus caput nostrum in cælis regnat, sic ibidem locum nobis parat, iterum venturus inde, vt accipiat nos ad seipsum, vt vbi est, & nos simus. Augustinus idcirco scribit: Est in ipso Iesu Christo vniuscuiusque nostrum portio caro & sanguis. Vbi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo. Vbi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse recognosco. Vbi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio, &c.

Ioan. 14.

L. Medit.

c. 15.

CAPVT QVARTVM.

- I. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desit à peccatis.*



O c caput distribuunt in decem & nouem versiculos: argumentum verò in tres præcipuas partes. Prima est de vitæ innocentia & integritate seruanda in persecutionibus: Secunda, ad quasdam virtutes speciales Christianos hortatur: Tertia, docet constantiam animi sub cruce retinendam esse.

Propositio est. Christianis curandum est in primis, vt non pro facinoribus ac delictis suis patiantur: sed purè & innocenter etiam inter gentiles conuerterentur. Prima ratio ducitur ab exemplo Christi, qui pro alienis peccatis eluendis, ac voluntate Patris adimplenda mortem acerbam & ignominiosam tulit in carne sua, pro delictis suis: ergo eadem debet esse cura nostra in afflictionibus constanter ferendis. Cùm Christus militiæ nostræ dux supremus, inquit Apostolus, innocentia & tolerantia sua deuicerit aduersarios, & ad cælestem gloriam suam peruenit, æquum est, vt qui profitentur se illius discipulos, simili animi proposito seiplos arment & communiant. Nam tutissima panoplia est, vitæ innocentia. Inexpugnabile scutum est, pa-

tientia Christiana. Hac quisquis armatus est, non potest à quoquam lædi, &c.

In primis autem notandum, vniuersam Christi passionem, dolorem, & mortem, ad carnem, id est, hominem assumptum referri: non ad Diuinitatem, quæ prorsus impatibilis, immutabilis, & immortalis est. Ita & suprâ dixerat, *eum mortificatum esse in carne*, id est, humana natura: non in Deitate. Ex quibus consequitur veteres Arianos ac Eutyrianos grauiter errasse, cùm veram humanitatem corpore & anima constâtem Christo detraxerunt: sicque aut illum verè passum negauerunt; aut secundum Deitatem crucifixum & mortuum dixerunt: quæ omnia tam absurda & impia sunt, vt ampliori refutatione non indigeant. Augustinus enim scribit. Sicut martyres passos & mortuos dicimus, in corporibus quæ portabant, sine animarum interfectione vel morte: sic Filium Dei passum & mortuum dicimus in homine quem portabat, sine Diuinitatis aliqua commutatione vel morte. Irenæus quoque ait, & refert ex eo Theodoretus. Sicut homo erat (Christus) vt tentaretur, sic & Verbum vt glorificaretur, requiescente quidem Verbo, vt posset tentari, & inhonorari, & crucifigi, & mori. De his disserunt copiosè Eusebius lib. 4. Demonstr. eu. c. 13, & Patres concilij Hispanensis, Art. 13.

An verò, tantummodo passus est Christus in carne, & non etiam in anima? Imò verò nec secundum carnem quicquam pati poterat, nisi anima simul adfuisset, & carni suæ condoluisset. Enimverò vt tam corporibus, quàm animis no-

*L. de agone
Christiano,
c. 23.*

*L. 3. c. 21.
Dialog. 3.*

stris salutem adferret, oportuit eum & corpore & animo grauissima perpeti. Idcirco ait Euangelista: *Cepit contristari, pauere, & tedere*: quæ passionibus sunt animi. Et ipse palam confitetur: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Tulit igitur piissimus Saluator & corporales & spirituales, & exteriores & interiores grauissimas passiones & afflictiones, & in omnibus tam exterioribus quam interioribus sensibus cruciatus est: vt pro omnibus peccatis nostris Deo Patri faceret satis, & vtrâmq; hominis partem saluaret. Sic adimpletum quod in Christi persona cecinerat Dauid: *Intrauerunt aquæ*, id est, angustia & afflictiones, *vsque ad animam meam*. Hinc Ambrosius. Sicut meam suscepit voluntatem, meam etiam accepit tristitiam. Et Hieronymus. Dolet pro nobis verè, non opinione. Verè crucifixus fuit, verèque doluit dum dixit. *Tristis est anima mea, &c.* De his copiosius diximus Dialogi 5. prioris hebdomadæ, aduersus Caluinianorum blasphemias.

Observandum etiam, duplici de causa mortis Christi exemplum hîc nobis commendari. Prima, vt illi configuremur in probris & persecutionibus pro nomine Domini patienter tolerandis, etiam si viuamus innocenter: qua de re etiam superius dixit Apostolus: *Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patienter iniuste. Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* Itémque Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, &c. Secunda, vt illius mortis meditatione & virtute muniti; nostra verò cruce

eruditi & subacti veterem hominem nostrum crucifigamus: id est, peruersis carnis concupiscentias extinguamus & mortificemus, & vitam deinceps cælestem & spiritualem viuamus. Atque hoc ipsum est, quod Paulus clarius expressit his verbis: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vitæ Iesu manifestetur in carne nostra mortali*. Ita enim rursus alibi nos carni & mundo mori, vt in Christo viuamus, verbo persuades ait. *Consepulsi sumus cum illo per Baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*. Ter quaterque felices ergo, qui verè cum eodem Apostolo dicere possunt: *Christo confixus sum cruci. Vno autem, iam non ego: viuunt verò in me Christus*.

Alludens porrò ad frequentem in sacris literis militiam nobis propositam, docet nos meditatione, virtute, ac imitatione passionis dominicæ amari debere, vt contra fœdas concupiscentias fortiter configamus, & carnis desideria rectæ rationi subijciamus: siquidem eiusdem passionis fructibus gaudere velimus in æternum. Idcirco enim dicitur. *Militia est vita hominis super terram*. Et Petrus dixit, Abstinentiū esse à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animā. Iacobus, concupiscentias militare in mēbris nostris. Paulus denique Timotheum suum hortatur, vt militet bonā militiā. Sacrarum huius Christi passionis & mortis meditationis utilitates & fructus expertus B. Augustinus, & ad eandem religio-

Matt. 26.

Marc. 14.

Luc. 22.

Psal. 68.

L. de fide ad
Giat.

Cōm. iū c.

53. Isa.

Cap. 2. v. 19.
& 21.Cap. 3. v.
18.

2. Cor. 4.

Rom. 6.

Gal. 2.

Iob. 7.

Cap. 2.

Iac. 4.

1. Tim. 1.

Manualis,

c. 2.

Christo cruci affixus, & verè mortificatus est non viuìt amplius secundum desideria hominũ carnalia, quia prauis concupiscentiis aut suis, aut alienis non consentit. Sed quicquid temporis reliquum habet in hac vitã mortali, hoc impendit ac expendit præceptis Dei adimplendis. Nam apud seipsum cogitat. Absit, vt semel cum Christo meo suffixus in crucem, descendam ad relicta vitia: semel destinatus æternæ felicitati, reuoluat ad huius mundi non minus breues, quàm vanitates & insanias falsas.

Docemur ergo, semel iustificatos redire non debere ad superiora delicta: sed ea, eorumdemque occasiones pro viribus cauere ac effugere. Ea propter Sponsa vociferatur: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Exempla nobis proposita sunt in Dauide, Iona, Petro, Magdalena, &c. qui semel remissionem adepti delictorum, ad ea nunquam postea redierunt. Peccata identidem repetentes, Spiritus comparat cum cane reuertente ad vomitum, & sue ad volutabrum luti.

Discimus item, quæ sit optima benè viuendi regula, nimirum, Dei voluntas, quæ sola ad eò recta & per se iusta est, vt in nullis prorsus aberrare possit. *Nemo bonus, inquit, nisi solus Deus.* Nihil itaque rectum, nihil æquum, nihil bonum ac iustum esse potest in vita hominum, nisi illi fuerit conforme: & iccirco hæc semper ob oculos habenda est, nec ab ea vllò vnquam modo vel tempore deflectendum. *Aut enim. Non facieris singuli quod sibi rectum videtur, sed quod præcipit Dominus.* Et postea. *Quod præcipio tibi, hoc tam*

Cass. 3.

Matth. 19.

Deut. 11.

tum facimus Domino: nec addas quidquam, nec minuas.

Expende quoque Antithesin inter voluntatem Dei, & hominum desideria. Illa semper iusta & sancta est: ista sunt mala & impura, dicente Moyse, *Sensus & cogitationes humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Et Ieremia: *Prauum est cor hominis & inscrutabile.* Paulo denique. *Non inuenio in me, id est, in carne mea bonum. Caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* Perpetuò nobis ergo studendum est, vt Deo reddamur morigeri: & voluntatem eius, non nostram sequamur.

Hæc demùm Petri verba perpendentes, vel senes saltem, residuum vitæ diuino cultui dedicemus, & futuræ vitæ nos præparemus: alioqui illa felicitate de qua supra, excidemus. Augustinum ad hæc nos adhortantem audiamus. *Væ miseræ animæ, inquit, quæ Christum non quærit, nec amat. Arida manet, & misera. Perdit quod viuìt, qui te Deum non diligit. Qui curat viuere non propter te, Domine, nihil est, & pro nihilo est: Qui tibi viuere recusat, mortuus est, &c.*

3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, commensationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus:

Hæc est tertia ratio, qua docet Apostolus innocentiam seruandam, professionemque Christianam piis moribus exornandam esse: ea-

Gen. 7.

Ierem. 17.

Rom. 7.

Gal. 5.

Manualis,
cap. 4.

démque sumpta à priori genere vitæ. Sensus autem est. Dolendum est sanè Gentium desiderijs nos obtemperasse: & quamvis breui tempore id factum est, id tamen nimis longū fuit. Hæc gaudemus à tergo reliquisse Christi beneficio, & quoties respicimus, inhorrescimus tantam vitæ fœditatem, tantam ignorantia caliginem. Nūc pro libidine, placet castitas: pro luxu, frugalitas, pro vinolentia, sobrietas: pro supersticioso simulacrorum cultu, vera pietas religiosusque cultus Dei viui.

Septem porrò peccatorum species enumerantur, quibus commaculabantur cum adhuc inter Gentes degerent, ac eorum viuerent moribus: quorum turpitudine in memoriam reuocata ruborem incuteret, ad pœnitentiam incitaret, & innocentiam redderet magis gratam. Prima, *ἡλθημα τῶν ἔθνων*, voluntas Gentium, quod supra dixerat, *Desideria hominum*. Hoc Paulus vocat, secundū carnem ambulare, & desideria carnis perficere. Secunda, *ἀσελγεία*, proteruia in vita, moribus, & sermone. Item, lasciuia omnes comprehendens libidinis species, cuiusmodi sunt verba impudica, gestus procaces, vestes nimis curiosæ, stupra, adulteria. Tertia, *ἐπιθυμία*, lasciuia, quæ in cordis recessu latet, estque fons totius libidinis & impuritatis. Quarta, *αἰνφλυγία*, vinolentia, morbus animi nimis vino dediti. Quinta, *κάμπος*, fructus præcedentis vitij, id est, petulantia ebriorum, comestiones multum habentes leuitatis, vt pote, cum petunt bellaria, noua gulæ irritamenta quærunt, hinc surgunt ad saltationes, obscœnas cationes, qua-

les ebria turba in comœdijs facere solet. Sexta, *πότος*, studium continuâdi potum ad ebrietatē vsque: seu, inexhausta ingluuies eorum, qui ad numerū bibunt, pergræcatio, potoriū certamen. Septima, *εἰδωλολαγεία*, nefarius idolorū cultus. Cōparat enim flagitiosos Iudæos cum Gentibus, id est, cum profanis, & à cultu Dei alienis populis, pari ratione qua dauid aduersarios suos Gentes appellat: Isaias, populū Sodomæ & Gomorrhæ: & Daniel duos senes, semen Chanaam, & non Iudæ. Atque hæc crassiora & vulgatiore crimina, quibus Gentes contaminabatur: & Iudæi eis commixti commaculati erant, antequam sacris Christianorum initiarentur.

Quid vero? Nonne multis iniuriam facit Petrus, cum omnes lasciuia, dissolutionis, libidinum, ebrietatis, comestationis reos facit? Certum est enim non fuisse omnes his vitijs implicitos. Imò in Gentibus quosdam scimus honestè, & citra horum criminum infamiam vixisse. Iudæi post reditum è Babylone, omnino à turpi crassaque idolatria abstinerunt. Respondeo. Est distributio pro genere singulorum, non pro singulis generum. Quidam ex illis & istis tales fuerant. Deinde, sic ad omne vitiorum genus natura procliues sumus, vt huiusmodi fructus ex corrupta radice nostra frequenter germinent atque prodeant: & nisi Deus gratia sua nos præueniat, & subsequatur omnibus diebus vitæ, non modò ista, sed & deteriora sumus designaturi. Hinc piè & doctè Augustinus scribit. Gratia & misericordia tua deputo, Domine, quæcunque non feci mala. Quid enim nō

Psal. 52.

Isa. 1.

Dan. 12.

facere potui, qui etiam facinus amauit? Et omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce, non feci. Et alibi rursus. Sic semper gratia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris: præcurrens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas. Quia nisi tu id fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem. Nihil enim peccatum quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si creator desit à quo factus est homo, &c.

Vide autem quomodo Apostolus sapienter antea vitæ peccata tam Iudæis quam Gentibus in memoriam reuocat, ut illos ad fructus dignos penitentiae prouocet. Et certe hic acerrimus stimulus esse debet ad bene currendum, dum reputamus nos magna parte vitæ extra viam errasse. Quod tardius accedimus ad cultum & obsequium Dei, eò alacrius currendum, & diligentius laborandum nobis est, ut de nouissimis efficiamur primi. Paulus vltimò vocatus ad Apostolatam, exemplo suo cunctos ad id incitans dicit. *Nihil minus feci à magnis Apostolis. Plus omnibus laboravi.* Orandum itaque cum Dauide: *suscipe me secundum eloquium tuum & vitam: & non confundas me ab expectatione mea.* Ita Manasses, Ionas, Petrus ipse, Thomas, & innumeri alij, à lapsu resipiscentes longè feruentius Deo seruierunt. Grauius ergo illi sunt arguendi, qui aut studium penitentiae subinde longius differunt: aut post penitentiam, bonis operibus incumbere negligentes, ad priora pec-

cata telabuntur. Tum enim immundus spiritus, septem aliis nequioribus se acceptis, redit in domum vnde exierat, & sunt nouissima peiora prioribus. Luc. II.

Attende etiam iniquissimum esse, ut in Christo renati, ac per ipsum à Patre caelesti in filios cooptati, ita viuamus ut solent impiæ Gentes, quæ verum Deum non cognouerunt. Etenim in hoc apparuit gratia Dei saluatoris nostri, *ut abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo.* Idem quippe Christus Dedit semetipsum pro nobis, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, & sectatorem bonorum operum.* At verò, hinc mihi post Saluianum, conqueri licet. Vbi sunt qui hæc faciunt, propter quæ venisse Christum Apostoli dicunt? Vbi sunt qui non desideria sæculi faciunt? Vbi qui piè ac iustè vitam agunt? Vbi qui sperasse spem beatam bonis operibus ostendant? Et immaculatam vitam agentes, hoc ipso se perhibent regnum Dei expectare, quia merentur accipere? Verendum sanè ne non tantum Niniuitæ, & regina Sabæ, sed & multi Ethnici, Barbari, Turcæ in iudicio aduersus Christianos surgant, & iudicent prauam generationem istam, &c.

Nec putes hinc omnia in vniuersum peccata Gentium recenseri, & alia non superesse multò plura quibus se reos Gehennæ reddiderint: sed crassiorum ac exteriorum tantum quædam species enumerat Apostolus, (ut fieri solet in profertendis exemplis) ex quibus alia multa facillè colligantur. Paulus quædam recitat Rom. *rv. 13. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30.* Ephes. *4. y. 17. 18. 19.*

Soliloqu. cap.
15.

Matth. 20.

2. Cor. II.
1. Cor. 15.
Psal. 118.

Tit. 3.

Lib. 6.

Matth. 12.

Sunt etiam peccata interna & spiritualia, quæ quidem in corpore, sed non per organa corporis ab anima committuntur: & hæc licet minoris sint apud homines infamiae, non tamen minoris culpæ sunt coram Deo. Illa ergo & ista diligenter fugiamus: ni maluerimus gentiliter viuendo, cum gentibus in æternum perire. Sed de singulis quidpiam dicendum.

Prima fugiendorum scelerum species, & velut sequentium origo & fons est, *consummare voluntatem Gentium*, id est, moribus eorum viuere, qui verum Deum nec agnoscunt, nec inuocant, nec timent. Omnia persequi & facere, quæ male suadæ, arrident libidini: ad omnem lasciuia ferri præcipites sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Dicere in corde suo, *Non est Deus. Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Si est Deus & si est scientia in Excelso? Non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus. Coronemus nos rosis antequam marcescant. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ. Sit fortitudo nostra lex iustitia, &c.* Talesue sint hodie multorum tyrannorum, principum, nobilium, militum, aulicorum, & officiariorum mores, iudicent æqui rerum æstimatores.

Hinc *luxuria*, siue lasciuia comprehēdens omnes libidinis species, vt pote fornicationes, adulteria, sacrilegia, raptus, incēstus, adeoque execrandas contra naturam obscenitates & formas: quas etiam Paulus in Romanis grauissimè Damnat. Et sapiens scribit, propter eandem ignem descendisse in Pentapoliū: in cuius testimonium

Psal. 31.

Psal. 52.

Psal. 93.

Psal. 72.

Sap. 2.

Rom. 1. vers.

27.

Sap. 6.

Gen. 19.

testimonium adhuc sapere est deserta terra & fumigabunda, &c. Has omnes Deus omnipotens proprio ore districtè prohibet dicens: *Non mœchaberis. Non concupisces uxorem, filiam, ancillam proximi tui.* Si vnus Dauidis vnicum adulterium morte septuaginta millium hominum vltus est aliquando, putamus illum tot quæ nunc admittuntur perpetuo dissimulaturum? Corinthium fornicatorem Paulus tradidit Satanæ torquendum ad interitum carnis. Idem prohibet commiseri fornicariis. Et paulò post ait. *Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt.* Et rursus ad hunc Petri locum commodissime. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderij sicut & Gentes, quæ ignorant Deum.

Inde *desideria*, id est, interiores concupiscentiæ impudicorum animorum, quæ & ipsæ, assertore Christo, coinquant hominē. Nam qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo, etiamsi ad externum opus non pertingat. Idcirco prohibitum est non solum non mœchari, sed & ne quidem fœminam à nobis alienam concupiscamus. Et enim vt totius hominis conditor est Deus, & Christus Saluator, sic decet totum hominem Deo sanctum & purum esse. Nam concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum cum cōsummatum

Exod. 20.
Deut. 5.

2. Reg. 12.

1. Cor. 5.

1. Cor. 6.

1. Thessal. 4.

Matth. 15.

Matth. 5.

Exod. 10.

Iacob.

fuert, generat mortem.

Sequitur *Violentia*, id est, assiduus & superfluous vini potus, qui non solum animis, verum etiam corporibus maxime nocet. Recte magnus **BASILIUS**. Ebrietas demon est voluntarius animabus nostris inditus. Ebrietas malitiae mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauium, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem suppressit, & **VINO** forma perit, vino corrumpitur aetas.

Adduntur *Comessationes*, id est, epularum solennium assiduitates, cuiusmodi operam dabit diues ille, qui epulabatur quotidie splendide: & postmodum arsit in inferis, sine villo remedio. Ad hoc peccatum referri potest etiam conuiuium quod seruis suis parauit. Assuerus centum octoginta diebus. Contra hoc monet Christus. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superueniet in vos repentina dies illa.* Et Sapiens ait. *Noli esse in conuiuio potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia consumuntur.* Paulus denique prohibet hominem Christianorum ambulare in comessationibus & ebrietatibus, in cubilibus, & impudiciis, &c. Oportet enim comedere ut viuas: non viuere ut comedas: & ut collapsae laboribus vires reparentur, non opprimantur.

Subiiciuntur *Potationes* illae, quibus sine vlla urgente siti student homines calicibus

epotandis: nec sibi sufficiunt, ni & alios compellant ad haustus aequales. Contra hos ait Dominus per Prophetam. *Ve qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam.* De his & **Isidorus** ait. Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis, &c. Ideo & **Paulus** scribit. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et Poeta. *Vina parant animos Veneri, Ergo nec Veneris, nec tu vini capiaris amore, vno namque modo vina Venusque nocent.*

Denique, illiciti ac nefarii idolorum cultus viro Christiano sunt procul fugiendi. Ponitur autem istud vltimum, quasi crescente oratione maximum & grauissimum, ait enim Sapiens. *Infandorum idolorum cultus, omnis mali causa, initium & finis.* Tamen autem haec pertineant ad externam & crassam eam idololatriam, qua & gentes simulacra aurea, argentea, lignea, lapideaque coluerunt: quin & Iudaei quondam vitulum vnum tempore Moysi, & duos sub regno Ieroboam coluerunt. mutantem similitudinem incorruptibilis Dei viui in similitudinem corruptibilis hominis, imò etiam vituli comedentis fenum? possunt tamen & debent haec etiam ad alias interioris & spiritalis idolomaniae species extendi & aptari. Haec autem sunt vniuersae res illae, quae diuino cultui & amori ab homine proferuntur. Nam & auaritia secundum Apostolum idololatria est: & qui gulae nimium addictus

Homil. 14.

Luc. 16.

Ephes. 5.

Luc. 21.

Prov. 23.

Rom. 13.

Ephes. 5.

Ouid.

Virgil.

Sap. 14.

Rom. 1.

Psal. 105.

est, non Deo seruit, sed suo ventri. Sic etiam ambitiosi honores suos adorant: libidinosi voluptates carnis, superbi dignitates, iracundi ultiones; inuidi detractioes: & quicquid hominum deprauata voluntas studiosius persequitur, quam Dei veri ac viuentis amorem & timorem. Hinc B. Hieronymus. Hæreticorum vnusquisque fingit quod voluerit, & adorat figmentum suum, vt Marcion Deum otiosum, Valentinus Æonas, Basilides Deum Abraxas, &c. Consentit Augustinus his verbis. Quisquis talem cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum & falsum fingit Deum. Et de seipso cùm adhuc Manichæus esset, ait: Vanum phantasma & error meus, erat Deus meus. In hanc rem vide S. Irenæum lib. 1. cap. 12. & 19. lib. 2. cap. 9. & 47. & lib. 3. cap. 40. Item Tertullianum libr. præscrip. cap. 40. & lib. adu. Praxeam.

4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuria confusionem, blasphemantes.

Quarta ratio seruandæ innocentia in persequutionibus pro Christo illatis, sumpta ab ipsorum impiorum iudicio & cõturbatione. Mirantur simulque turbantur maledici vestri, inquit, quod non amplius delectemini compotationibus, stupris, idolorum cultu, & similibus. Mirantur inquam, istam in vobis animi ac vitæ immutationem, & indignantur vestra frugalitate damnari luxum ipsorum.

Amarent socios turpitudinis suæ, nunc ob vitæ dissimilitudinem obtreçant vobis. Sed non est quod horum conuitiis commoueamini, nec sunt vicissim conuitiis insectandi. Vobis satis sit mens sibi bene conscia recti corâ Deo. Horum odia, calcaria sint ad meliora quotidie pergentibus, ac de virtute in virtutem proficientibus.

Hic autem in primis conspice peruersum mundi huius morem, quo illos habet odio ac persequitur, qui per pœnitentiam ad meliorem vitæ frugem redeunt. In eos stomachatur, qui non accurrunt in eandem luxus refusionem: his atrociora impingit scelera, qui nolunt secum scortari, helluari, alea ludere, delitiis atque voluptatibus indulgere. *Si de mundo essetis*, ait Christus, *mundus quod suum est diligeret: sed quia de mundo non estis, idcirco odit vos mundus. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Sapiens impij mundi cogitationes istis verbis exprimit. *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & impropereat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplina nostra, &c. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutata sint via eius, &c.* Sed tempus erit, quo Deus pro iustorum pietate compensanda, improborumque calumniis vindicandis iustitiæ suæ tribunal conscendet: quo isti viso, graui pauore percellentur, & præ illorum insperata salute stupecentes dicent: *Hi sunt quos aliquando habuimus in*

derisum, &c.

Sed pij ac ferui Dei summi haudquaquam pendent ab huius mundi iudicio, quocirca illud generoso animo debent aspernari, & feruenti studio viam veritatis & salutis constanter pergere donec ad metam peruenerint. Sic enim suos Paulus docet cum scribit:

1. Cor. 4.

Mihi pro minimo est ut à vobis iudicer, aut humano die, &c. qui autem iudicat me, Dominus est. Alios autem sic hortatur: In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, &c. per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem: per infamiam, & bonam famam: ut seductores, & veraces, &c.

Appositè verò dicit *concurrentibus*, quoniã solent filij huius sæculi feruentissimo amore, velut quodam æstu abrepti, ferri præcipientes ad ambitù, ad honorè, ad auaritiã, ad luxuriã, ad gulã, & ad alia scelera: quinetiã & multos alios velut torrètes secũ rapere & abstrahere.

Prov. 1.

Veni nobiscũ, inquitũ, insidiemur sanguini, &c. Sortem mitte nobiscũ, marsupium vnum sit omnium nostrum. Pedes enim illorũ ad malũ currunt, & festinant ut effundant sanguinem. Verũ ibidem salubriter dicitur: Filii mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Appellat etiã luxuriæ confusionem, seu luxus profusionem: quandoquidem in ipsis lasciuiss ac intèperantiis suis homines improbi perturbantur ac æstuãt, surdo verbere flagellante illos mente sibi malè conscia. Cum enim timida sit nequitia, inquit Sapiens, dat testimonium condemnationis: semper quæ præsumit seua perturbata conscientia. Et per Isaiam ait Dominus:

Sap. 17.

Isa. 57.

Impij quare mare feruens, quod quiescere nõ potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

Impij denique; piorũ continentia, moderatione, abstinentia, pietatemq; velut superstiosam, stultã & inanẽ irrident atque, blasphemant: & propter hanc verbis maledicis illos insectantur, propter quã omnium maximè suspicere & amare eosdẽ oportet. Videm' enim hodie quosq; leuissimos nebulones & apostatas etiã sanctissimis patribus, & religiosis posteris impingere horrèda crimina superstitionis, idololatrie, cõuulsẽ totiº religionis Christianæ, abnegati Christi, corrupti Euangelij, antichristianismi, & si quid magis dirũ ac nefariũ euomere possint: hoc duntaxat nomine, quod errores illorũ non amplectentur, & dissolutos mores nolint imitari. Eia inquit, quã dementes sunt isti Pontificij, quã superstiosi diuorũ cultores, & imitatores, quod illorũ more adorent abstineant à carnibus, & sceminarũ amplexibº quadragesime, vigiliarũ, & quatuor tẽporũ corpora sua macerent ieiuniis, ad sacra loca peregrinẽtur, &c. Apostolus ergo præuentione vsus, prohibet pios ac synceros Christianos huiusmodi canum latratibus terreri, vel tantillum à vera pietate deficere. Præsto enim aderit eis Dominus iudex & vindex. Idèd enim subiicitur.

5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos & mortuos.

Quinta ratio custodiendæ & asserendę integritatis etiam cum aduersa irruunt, à diuini

iudicij propinquitate & seueritate desumpta. Huiusmodi contemptoribus Dei, ac in seruos eius blasphemis grauissimum imminet Christi iudicium: ergo propter illorum irrisiones & verba maledica non est pietas & integritas deserenda. Dum vos cunctis bene volentes conuitiis insectantur, inquit, vindictam relinquitte Deo, cuius iudicium nullus mortalium potest effugere. Is enim suo tempore iudicabit omnes, non viuos tantum, verumetiam mortuos. Viuos, quos aduentus Christi deprehenderit viuentes in corpore: mortuos qui ante Christi aduentum iam à viuis excefferint. Huic æquissimo ac omnipotenti iudici reddaturi sunt rationem illi maledici & blasphemii, si nolint à suis erroribus & vitiis resipiscere. Ille, ille pro vobis pœnam sumet de illis: vobis autem pietatis & constantiæ præmia reddet.

Tametsi ergo pij viri in hoc sæculo ab impiis derisi & calumniis vexati, Christi exemplo, fileant, & velut agni coram tondentibus se non aperiant ora sua ad maledicendum; sed potius ad orandum pro persecutoribus & calumniatoribus: Deus tamen non tacebit, verum exactam ab improbis de cunctis cogitationibus, scophantiis, & blasphemiiis, eorum repescet rationem. Cuius rei fides & cõtemplatio & malos ab instituto reuocare, & bonos in officio continere debet. *Deus manifestè veniet*, ait Psaltes, *Deus noster & silebit.* Et alibi hoc idem inuocans aduersus obtre-

ctatores suos iudicium dicit. *Dilatauerunt super me os suum: dicentes, Euge, euge viderunt oculi nostri. Vidisti Domine, ne sileas: Domine, ne discedas à me.* Et rursus. *Auribus percipe lachrymas meas.* *Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, &c. Ne taceas, neque compefcaris Deus.* Et idem Dominus de seipso ait. *Ecce scriptum est coram me (peccatum nimirum, improborum) non tacebo, sed reddam & retribuam in sinum eorum iniquitates vestras.*

Res profectò vniuersis peccatoribus tremenda, quod ei de cunctis animi cogitationibus, prauis desideriiis, verbis otiosis, detractioniis, blasphemiiis, & omnib⁹ operibus reddaturi sunt rationem, qui nouit & potest omnia, quique viuorum & mortuorum, dominatur: eosdemq; aliquando ante tribunal suum constitutos iudicabit. Esto suis in sancendis legibus, sententiisve promulgandis homines cæco aliquo impediti iudicio nonnquam aberrant: Deus tamen ab omni errore humano remotissimus cum sit, cuilibet quod suum est iustissimè tribuet. Hinc Salomon ait. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.* Et Apostolus dicit. *Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et iterum. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Vnde doctè & piè AUGUSTINVS inquit. Cùm hoc diligenter considero, Domine, Deus meus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam

nobis magna est indita necessitas iuste rectèq; viuendi, qui cuncta facimus ante oculos iudicis cuncta cernentis.

Additur, *paratus est ad iudicandum*, nec opus est ei (vt huius mundi Magistratibus) anxia sollicitudine causas examinare, quæstiones aut testes adhibere, perpendere diutius singula, priusquam de summa rei decernant ac pronuncient. *Hic enim nouit abscondita cordis, Nouit omnia antequam fiant. Omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Non secundum uisionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet.* Præsto est, citò finem imponet improborum calumniis: & patientiam, pietatèmq; uestram sempiterna gloria coronabit. *Ecce uenio citò* (ait ille) *& merces mea mecum est, dare unicuique secundum opera sua.* Et diuus Iacobus. *Ecce index ante ianuam assistit.* Cùm itaque continuò paratus sit iudicare uiuos & mortuos, & nos semper debemus esse parati, vt ab eo iudicemur, iuxta hanc illius commonitionem: *Et vos estote parati, quia nescitis qua hora Filius hominis uenturus sit, etc.* De his uerè diximus in Episto. D. Iudæ, vers. 14. & 15.

6. *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum est: ut iudicentur quidem secundum homines in carne, uiuant autem Deum in spiritu.*

Sexta sit ratio tuendæ pietatis inter hostes, sumpta à fine prædicationis Euangelicæ qui est nos reddere meliores & saluos. Obscuritas porrò sententiæ multos torfit. Noua-

tores præsertim, qui potius quiduis aliud hinc comminiscuntur & blaterant, quàm uerum Christi ad inferos secundum animam Deitati suæ perpetuò coniunctam descensum, aut Patrum è Lymbo, & quorundam spirituum ex Purgatorio liberationem agnoscant atque fateantur. Hæc tamen B. Petrum hoc loco cõstanter tradere atque docere, superiori capite, v. 19. & 20. perspicuè demonstrauius, & antiquorū patrum testimoniis solidè probauius. Hic tamen & aliquid dicendum.

Primùm quidem *Nεxποδς, mortuos* propriè intelligo vt sonat, nimirum pro ipsis uita iam functis. Sic enim & proximo uersu propriè dicitur, *Paratus est iudicare uiuos & mortuos*, id est, tum eos qui supererunt: quã antea mortuos omnes qui resumptis corporibus ante sedem maiestatis Christi cõgregabuntur. Deinde, illis *euangelizatum est*, cùm & per Prophetas aduentus *MESSIÆ*, & fructus illius prædictus est, dum adhuc hinc uiuerent: & omnium præcipuè post mortè, animis eorum in Lymbo aut Purgatorij carcere apud inferos detentis, & post Christi ad eos eripiendos accessum suspirantibus Euangelizatum est. Præterea illis per eiusdem Christi animam, palam eis ostendentem, ac operibus effectique euinentem, Christum olim promissum uenisse, passum esse, Patrem cœlestem placasse, pro peccatis totius mundi satisfecisse: superesse tantùm gloriosam resurrectionem, & in cælos cum illis ascensionem. Clarissima enim ac certissima sunt ista

Psal. 43.
Hebr. 4.
Isa. 11.

Apoc. 22.

Iacob. 4.

Matt. 25.

huius Apostoli verba: *Hic qui in carcere erant spiritibus prædicauit.* Hinc Cytillus. Descendit in infernum anima Christi, & spiritibus qui illic, erant apparuit dicens illis: *Egredimini.* Et his qui in tenebris (nimirum, erebo expiatorio:) *Reuellamini.* ATHANASIVS quoque scribit. Corpus Christi erat in monumento positum, quando ipse iuit (secundum animam) ad prædicandum etiam spiritibus in carcere, velut Petrus dixit. Ambrosius formam modumque huius prædicationis exponens ait: *Vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum.* Denique IRENÆVS martyr, vir Apostolicorum temporum, ex traditione maiorum constanter asseuerat, Dominum descendisse in ea loca (Lymbi nimirum, & Purgatorij) quæ sunt sub terra, illique Euāgelizasse aduentum suum, remissionemque peccatorum à se peractam, & multos inde saluasse. Hactenus ille. Iudicabuntur porro in carne, quando facta omnium resurrectione, statuentur in iudicio ad dexteram Christi iudicis: viuent tamen Spiritu Dei, cum summa illius bonitate audierint, *Venite benedicti Patris possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Atque in hanc sententiam scribit OECUMENIVS. Significat Petrus, quod & inferis innotuerit à Dominò prædicatio salutis & resurrectionis, vt & hi qui antea mortui sunt, resurgant: & iudicentur quidem in corpore, gratia vero resurrectionis perseuerent, &c. Atque hæc mihi videtur

simplex, germana, aliis scripturis conformis, & sanctis patribus probata huius sententiæ interpretatio. Cum aliis interpretibus orthodoxis minimè litigo: quandoquidem si aliter senserint, & Deus fortasse, illis reuelauit.

Versuum porro & sensuum connexionem talem scribit esse idem OECUMENIVS. *Comment in hunc locum.* Ordo talis est. Hi qui vos calumniantur, reddent rationem ei, qui omnes iudicat viuos ac mortuos. Nam iudicantur & mortui, quod manifestum est ex aduentu Domini ad inferos. Quum enim eò quoque venisset, prædicauit, sicut & iis qui terra viuabant: non quidem sermone, sed opere.

Hic autem in primis confirmatam habes ab Apostolo catholicam de Lympo antiquorum patrum, & Purgatorij apud inferos loco fidem atque doctrinam, aduersus impias huius æui nouationes. Quoniam verò de utroque copiosè disseruimus in Dialogis, hoc loco ad alia pergemus.

Conspice quàm copiosa sit per Christum facta redemptio, quàmque liberalis & præpotens ille sit hominum liberator & vindex: quando etiam ad ipsos abyssi locos, & seruos suos qui ibidem iustè detinebantur in tenebris, cælesti luce atque gloria ad illud vsque tempus exclusi, non sola quadam virtute sua, sed & reali protectione animæ suæ perrexit, peccatum redemptionis humanæ mysterium eis patefecerit, indèque in cæ-

I. de recta
fide, ad Tbeo
dos.

Epi. ad Epi-
scopum.

In exp. 4. ad
Ephes.

In 4. cap. 48.

Matth. 25.

Proemio in
hanc Epist.

lum secum perduxerit. Tunc autem completum est quod inferis & morti dudum fuerat comminatus: *De manu mortis liberabo eos de morte redimam eos. Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Et per Zachariam prædictum: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui emisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quod denique præstiturum se in Euangelio receperat: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsam.* Impius draco, qui est diabolus & satanas, cauda sua traxerat, & de cælis deturbauerat in inferos tertiam partem stellarum: piissimus scrutator Christus omnes eos qui dudum in eo crediderant & sperauerant liberauit de tenebris & umbra mortis, & secum euexit in sanctam cælestem ciuitatem. Sic potuit eum contere caput serpentis, & dissoluere opera diaboli.

Attende etiam piorum animas corporibus excedentes haudquaquã dormire, vel extingui, vt quidam ter quaterque miseri gannunt: sed prorsus immortales in ea loca ferri, quæ pro meritis suis designauerit illarum conditor & iudex. Veterum namque Patrum quædam in sinu Abrahæ, qui & Lymbus infernorum dicitur, expectatione **M E S S I A E** seipsas sustentabant & recreabant: quædam temporarias luebant pro delictis suis pœnas: omnes autem ad se Christum gratissimis affectibus susceperunt, adorauerunt, & cum illo ad cælestes sedes euaserunt. Sic fecit Deus hominem inexterminabilem. Et iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget eas tormentum mortis. Videntur quidem insipientibus mori, illi autem sunt in pace. Lazari pauperis animam beati Angeli deduxerunt in sinum Abrahæ. Et latroni pœnitenti dictum est: *Hodie eris in paradiso.*

EPISTOLAE I. D. PETRI. 431

Insuper, expende easdem animas in alio sæculo sese mutuo cognoscere, secum colloqui atque de rebus sanctissimis, suo more, id est, spiritali differere. Quid nisi, cum etiam quædam linguæ tribuantur beatis Angelis? Et ipsi inter se loqui, & audire in sacris sæpe referantur? Num etiam id apertè probat Abrahæ & Epulonis dialogismus? Nonne & Pythonissa, & Saul, agnouerunt Samuelem? Onias & Iudas, beatam Ieremiæ animam? **I R E N A E V S** martyr laudato Abrahæ ac Epulonis colloquio, colligit: Per hæc manifestissimè declaratum est, & perseuerare animas, & habere hominis figuram, vt etiam cognoscantur, & meminerint eorum quæ sunt hic, & dignam habitationem percipere etiam ante iudicium. **T E R T V L L I A N V S** quoque scribit. Resurrecturi sumus in spirituale consortium: agniture tam nosmetipsos, quam & nostros.

H I E R O N Y M V S, hoc solatio aduersus mortis duritiem, & crudelissimã necessitatẽ nos existimat erigi, quod breui visuri sumus eos, quos dolemus absentes. **A V G V S T I N V S**

Ose. 13.

Zach. 9.

10. IAN. 13.

Apoc. 12.

Luc. I.

Matth. 27.

Genes. 3.

1. Iohan. 3.

1. Cor. 13.

Ips. 6.

Dan. 10. 11.

12. Zach.

Luc. 16.

1. Reg. 28.

2. Mach. 15.

L. 1. cap.

62. 63.

L. de Monogam. cap. 10.

Ep. ad Theodoram.

viduam nomine Italicam consolatur, quod in cælo maritum suum notissimum breui sit habitura. &c. Ex his autem apparet, quàm magnum & impudens sit hoc Lamberti Danaï ministri Caluiniani mendacium: *Quod ait Augustinus fore, ut inuicem nos agnoscamus, Serm. 152. de tempore, planè incertum est, cum id tam ex Scripturis, quàm ex patrum doctrina certissimum ostenderimus.*

OBSERVANDVM denique, sanctos etiam Dei famulos secundum rationem corporis humani hîc iudicari, id est ad mortem & incinerationem destinari: quandoquidem ipsis in primo parente dictum sit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Et sine exceptione dicat mulier prophetissa. *Omnnes morimur, & velut aque dilabimur super terram, que non reuertuntur.* Abraham quoque mortuus est, & Prophetæ mortui sunt. Quinetiam & Deipara, & Christus filius eius mortem subierunt temporalem, &c. Verumtamen apud Deum viuunt Spiritus eorum, Spiritu sancto per merita Christi eisdem viuificante donis gratiæ ac gloriæ. Ergo nihil decedit illis in hoc sæculo morientibus, etiamsi superstites maneat hic tyranni ac improbi. Hac fide & spe munitus vnus ex fortissimis martyribus Machabæis, cum animâ in tormentis efflaret dixit sequissimo Antiocho. *Tu quidè scelestissime, in presenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æterna vitæ Resurrectione suscitabit.* Et Lucius quidam martyr apud Iustinum,

Comment. in
c. 94. Enchi.
B. August.

Genes 3.

2. Reg. 14.

IOAN. 8.

2. Macha. 7.

suscitabit. Et Lucius quidam martyr, apud Iustinum, iussus duci ad supplicium, Iudici gratias egit, quod liberaretur à molestis dominis, & patrem-Regemque cælestem proficisceretur. Tertullianus se martyribus connumerans quoque ait: Magis damnati, quàm absoluti gaudeamus.

Apolog. 1.

L. ad Scapulam.

7. *Omnium autem finis appropinquauit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.*

Septima ratio seruandæ innocentiae inter nocentes & tyrannos, ducta à breuitate temporis residui temporis vsque ad postremum & generale iudiciû. Imminente hora mortis anxij sunt & valde solliciti de euentu: sic & pij debent facere, dum recordantur iam instantis finis huius mundi. Addit propterea exhortationem breuem quidem verbis, sed grauissimam sententiis, nimirum, de vigiliis, & precibus fundendis. Sensus autem est. Nihil hîc diuturnum Fratres, bonorum & malorum breui finis aderit. Et hostes vestros citò relinquent suæ voluptates & immanitates, & vestræ afflictiones mox finientur. Deinde, vos manet æterna felicitas, illos æternû supplicium. Proinde modis omnibus aduigiladum, ne vos ille dies offendat dormitabundos, & oscitantes crapula, vel socordia. Quin magis perpetuò præparatis vosmetipsos aduersus eum diem sobrij, ac vigilantes in assiduis precationibus. Veniet inexpectatus: si in his occupatos deprehenderit, felix erit & beatus. Grata est Deo sobrietas, turum est vigilare. Libens audit Deus

preces temperantia, vigiliâque commenda-
tas, &c.

In his primùm animaduerte omnium huius
mundi rerum instabilitatem & inconstantiam.
Quinetiam cælos ipsos ad voluptatem Deus ro-
tundauit: astra omnia mira velocitate circum-
aguntur: Sol & Luna incredibili pernicie per-
petuôque mouentur: elementa continuis gene-
rationibus & corruptionibus agitantur: & vt
cum Apostolo dicam, *vanitati creatura subiecta est,*
non volens: sed propter eum qui subiecit eam in spe.
Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.
Summa mundi imperia & regna transferuntur
de gente in gentem propter iniustitias & dolos.
Munitissimæ ciuitates solo æquantur: copiosi
exercitus excinduntur. *Omnis caro fœnum, & omnis*
gloria eius quasi flos fœni. Maximus Regum & pro-
phetarum de seipso ait: *Defecerunt sicut fumus dies*
mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt. Quàm sit
inconstans & varius omnis homo, exprimit satis
ille, qui dicit. Nolo, volo: volo, nolo, rursus
cedo, cape. Quod dictum, indictum est: quod
modo erat ratum, irritum est, &c. Ergo vanum
& stolidum est hunc mundû amare, atque huic
tanto studio inferuire quanto passim, & ferè ab
omnibus fieri videmus. Præterit enim figura hu-
ius mundi, &c.

Adhæc, cum ante mille & quingentos annos
dictum sit à Spiritu sancto per Apostolos, *Nouis-*
sima hora est: Fines sæculorum in nos deuenerunt: Om-
nium finis appropinquauit: omniâque propemo-
dum signa quæ Christus dixit nouissimum hu-
ius mundi: diè præcessura iam pro maiori parte

completa cernamus, non potest profectò, non
potest ille procul abesse. Iam enim diu Christus
est exhibitus, aliud non superest Dei cum huma-
no genere testamentum, in vltima mundi ætate
versamur, quinimò, præ senio videmus delirare
atque in dies deficere: superest igitur tantum
postremus aduentus domini nostri Iesu Christi,
qui breuius illucescet, quàm putemus. Sic ergo
parati simus, sic viuamus, ac si auribus nostris
iam insonaret tuba Christi. Io. 5. 1. Corinth. 15.
1. Thess. 4.

Falluntur ergo turpissimè filij huius sæculi, qui
diutius se victuros iudicantes, socordes in mun-
do desidèr, & plus viatici parant sibi, quò minus
viæ restat: nec animos suos parant regno Dei.
Sic enim delusus est diues ille, qui in multis an-
nos multa sibi parauerat: cui dictum est illicò.
Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te. Quæ au-
tem congregasti, cuius erunt? Quotidie commuta-
mur, quotidie morimur, inquit. D. Hierony-
mus, & nos hîc immortales esse putamus?

Obijciunt quidam planè Libertini, ac Epicuri
de grege porci, Longam sæculorum seriem flu-
xisse, ex quo isthæc prædicta, prædicatâque fuê-
re, necdum tamen diem vltimum apparere. Ac
de his quidem Apostolus iste vaticinatus est, di-
cens. *Venient in nouissimis diebus illusores, iuxta pro-*
prias concupiscentias ambulantes, & dicentes: Vbi est
promissio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dor-
mierunt, omnia sic perseverans ab initio creatura, &c.
Idem paulò post respondet. *Vnus dies apud Domi-*
num sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus.
Non tardat Dominus promissionem suam, sed patienter

Rom. 8.

Isa. 40.

Psal. 102.

Terent. in
Phormion.

1. Cor. 7.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 10.

1. Petri. 2.

Luc. 12.

Ep. ad He-
liodor.

2. Petri. 3.

agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad penitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini ut fur, & cetera. Itaque suspensis auimis, ad Christi aduentum vltimum attenti simus, cum ab ipso præsertim nobis dictum sit: *Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Videte, vigilate, & orate: nescitis quando tempus sit.*

Matth. 25.
Marc. 13.

Accedit, quod tota hæc hominis vita continuus sit & velox ad mortem cursus. Nam hoc ipsum quod scribo, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot apices, quot elemēta, tot meorum damna sunt temporū. Nec accedūt anni nostri, sed recedunt. Non est ergo metienda vitæ, at temporis nostri longitudo huius sæculi spatiis atque reuolutionibus, alioqui nobis bene longa & tediosa videbitur: sed futuræ vitæ atque sæculi venturi perpetuitate, sic breuissima, vt reuera est, pro certo apparebit. Ideoque conquereutes improbi de fluxis voluptatibus & delitiis dicunt. *Transferunt tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrrens, & tanquam nauis qua pertransit fluctuantem aquam, tanquam avis qua transuolat in aère, & tanquam sagitta emissa in locum destinatum: sic & nos nati continuo desinimus esse.* Sic ergo viuamus, tanquam hodie morituri: sic autem studia nostra ad vtilitatem posteritatis dirigamus, tanquam semper victuri.

Sap. 5.

Adhortatio porrò D. Petri tria præcepta continet. Primum est de prudētia & sobrietate. Græcè *σωφρονιστε*, modesti, temperantes, sobrij. Syrus, casti. Nam qui credunt Christū breui ad futurum, vt huic mundo finem imponat, & ab omnibus rationē exigat, cum magna prudentia

cauent ne imparati ab illo deprehendantur. Ideo sibi sollicitè temperant ab omni gula, ebrietate, luxu & intemperantia: nec immergunt se vllis voluptatibus à Deo prohibitis. Respexit igitur Apostolus hic & ad mentis sobrietatem, ne grauetur nimis curis sæcularibus, quæ nos à studio salutis distrahunt: & ad corporis quoque temperantiam, ne grauetur crapula, quæ orandi sacrum exercitium impedit. Eodem enim sensu Christus dixit: *Attendite ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vita: & superueniat in vos repentina dies illa.*

Luc. 21.

Secundum præceptū est de vigiliis, nimirum, tam mentis quam corporis. Græcè est *ὑπάρτε*, quod est vigilate. Sicque conuenit bonus discipulus cum optimo præceptore Christo iubente: *Vigilate, quoniam nescitis diem neque horam.* Nam sicut crapula & somnus aggrauant corpora, ne ad officia sua sint expedita; ita & vanæ huius mundi curæ & delitiæ mentem inebriant, redduntque somnolentam. Vigilandum in primis aduersus furem, id est, diabolium, ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum, vt B. Hilarius admonet, domibus insidiantem, vt ea incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum atque illecebrarum iaculis perfodiat. Apostolos etenim somno nimium deditos, ad defectionem facilè impulit. Inde cauior post ruinam effectus Petrus, etiam alios admonuit: *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, & cæc.* Vigilandum insuper cura propriæ salutis, & deuota aduentus Domini expectatione, ne cum fatuis virginibus diuini Sponsi

Matth. 25.

In c. 25.
Mat.

Matth. 26.

1. Petr. 5.

Matth. 25.

Tertium præceptum est de Oratione, nimirum, vt diligenter & feruenter precemur, dignos inueniri qui stemus ante faciem & tribunal Christi: Hæc autem fiducia cum à Dei clementia & miseratione pendeat, orationibus sedulo vacandum est, vt eam impetremus. Ideò Christus instante mortis hora, orauit ardentissime in horto, & in cruce: & Apostolos monuit vt orarent. Et Paulus præcipit. *Sine intermissione orate, & cat.*

Matth. 26.
Hebr. 5.

1. Theff. 5.

8. *Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.*

Ista est secunda pars huius capituli, qua ad speciales quasdam virtutes vniuersos excitat. Atque primum omnium ad mutuam charitatem & dilectionem: quandoquidem sine hac virtute, nec fides, nec spes, nec vlla virtutum moralium officia ad veram iustitiam & salutem æternam prodesse valeant, dicente Paulo coapostolo. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Et Christus omnibus oblationibus & sacrificiis præfert reconciliationem fraternam. Ideò hoc loco ait D. Petrus; *Ante omnia*, videlicet, etiam ante sobrietatem, ante vigilias, ante preces, *mutuam caritatem habere*, quoniam nihil profunt ei omnia, qui non diligit proximum sicut seipsum. Deo gratissimum est, inquit, vt iugi ardentique caritate vos inuicem complectamini, mutuis

1. Cor. 13.

Matth. 5. 9.
& 12.

officiis inuicem subleuantem: vt qui vigilantior est ad preces, expergeficiat oscitantem: qui doctior, erudiat indoctiorem: qui attentior, admoneat cessantem: qui feruentior, extimulet frigentem: qui perfectior est, condonet per infirmitatem erranti. Nam hæc caritas ardens in proximum operit multitudinem peccatorum; quibus obnoxij sumus Deo. Quod in illum delinquimus, optimè diluitur collocandis in proximum beneficiis.

Obserua, in tanta commendatione caritatis, eam in primis hæresim ab hoc verò Apostolo damnari, quæ fuit olim pseudoapostolorum, Simonis Magi, & Gnosticorum, nunc verò Hugnosticorum, de sola fide iustificante & saluante. Fides quidem necessaria est, sed sine caritate mortua est, & vt putre cadauer: quandoquidem etiam dæmones credunt & contremiscunt, nec tamen iustificantur aut saluantur. Sed de hac abundantius scripsimus Com. in Epist. D. Iacobi.

Sed quomodo *ante omnia* caritas inter Christianos hic mutua commendatur, cum primum & maximum in lege ac Euangelio præceptum sit, vt diligamus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus nostris? Præceptum autem de proximi dilectione secundum tantum locum sortitur? Respondeo. Eodem charitatis habitu & Deus diligitur propter semetipsum, & proximus propter Deum, aded vt vnum sine altero vera caritate complecti nequeamus. Idcirco in eo quod *ante omnia* ad mutuam caritatem impellimur,

1. Cor. 2.

Exo. 20.
Deut. 6.
Matth. 22.

admonemur vt super omnia & ante omnia diligamus Deum, & in Deo proximum, eo quòd ille sit ratio & causa dilectionis proximorum. Hinc etiam Christus dixit: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et discipulus quem diligebat Iesus: *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo: vt qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.*

Circa quos porrò sit habenda caritas, suis conditionibus declarat. Ac primò vt habeatur, *eis eãvtois*, alij in alios, inter vos, in vos murò, id est, in omnes Christianos: nimirum, vt mutuis inter se officiis atque obsequiis decerent, alterque in alterius procurandis commodis, auertendisque periculis studiosus sit. Nemo enim propriè (ait Gregorius) ad semetipsum habere caritatem dicitur; sed dilectio in alterum tendit, vt esse caritas possit. Ideò Paulus præcipit, præstandum quidem esse bonum ad omnes, sed maximè ad domesticos fidei. Nam si quis horum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

Deinde, latiùs etiam extenditur lex caritatis, nempe, vt ipsos quoque à Christi sacris alienos adeoque inimicos nostros propter Deum diligamus, eorumdemque vtilitati & saluti studeamus. Ait enim: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persecutibus & calumniatibus vos, vt sitis filij patris vestri caelestis, &c.* Et Apostolus: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis*

congeres super caput eius. Docet etiam parabola de publicano, & homine à latronibus sauciato, *Luc. 10.* proximorum loco eos omnes à nobis habendos esse, quos beneficiis iuuare poterimus.

Secundò, tradit Apostolus quomodo, & quãdiu sint homines diligendi, voce *ΣΗΤΕΥΗ*, qua significat, vt ardens feruensque sit ea dilectio, nõ perfunctoria vel hypocritica. Syrus. Sit caritas vehemens erga inuicem. Est enim simulata caritas, omni odio manifesto deterior, vt Saulis, Ioabi, & Iudæ proditoris exempla manifestant. Sit igitur intensa caritas. Vt arcus robur contrahit ex intensione: sic dilectio vsum habeat ex ardore. *Non diligamus verbo*, ait eximius caritatis Præco, *sed opere & veritate.*

Vult etiam Apostolus eadem voce, vt caritas sit *continua*, perseverans, ac minimè interrupta. Semper vigilare in orationibus, semper ieiunare, præ carnis fragilitate non possumus: semper autem diligere possumus. *Caritas nunquam excidit. Fortis vt mors dilectio, & dura quasi infernus accumulatio*, id est, zelotypia, quam gignit vera caritas. *Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.* Ideò noluit Dominus, vt septies tantum, sed vsque septuagesies septies, numero finito assumpto pro infinito, id est quoties opus fuerit, fratribus in nos peccantibus ex caritate offensas remittamus. Arguendi sunt igitur & hi qui animis sunt irreconciliabiles: & hi similiter qui officia caritatis ab aliis exigunt, ipsi autem præstent nemini. Ergo super omnia caritatem habeamus, quod est vinculum perfectionis. *Coloss. 3.*

Ioan. 15.

I. Ioan. 4.

Homil. 17.

Gal. 6.

I. Tim. 5.

Matth. 5.

Rom. 12.

Luc. 10.

I. Cor. 13.

Cant. 8.

Prov. 17.

Matth. 18.

Coloss. 3.

Tertio, docet Apostolus cur tantoperè caritatis requiratur, d. *Quia operit multitudinem peccatorum.* Ratio sumpta est ab vno effectu, seu fructu eius, quasi dicat: Virtutes eas ardentius persequi & complecti debemus, quæ præstantiores fructus pariunt. Sed caritas dilectioque fraterna regit peccata, quod præstâtissimum est: ergo illa præ omnibus amplectenda est. Dicitur autem operire peccata tribus modis. Primo enim debet quantum ad culpam coram Deo, condonante nobis delicta nostra, propterea quod & ipsi peccantibus in nos fratres, propter eius nomē, ex caritate condonamus. Idcirco iubemur orare: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Subiicitur promissio. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.* Additur & grauis cōminatio. *Si autē nō dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* In hanc rē addita est parabola duri & crudelis serui, nolētis misereri cōserui sui, à quo omne debitum est repetitum. Hinc vener. Beda. Iustissimum est apud Deum, vt iuxta mensuram pietatis qua mensi fuerimus, remetiatur nobis. Et B. Effrem Syrus. Multa negligendo, peccamus diebus singulis, horis, atque momentis: atque ideo caritatem possidere studeamus. Hæc enim operit multitudinem peccatorum. Accedit Clemens Alex. d. Scriptum est: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Hæc beatitudo facta est super electos à Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Operit enim caritas multitudinem peccatorum. Delet autem is, qui magis vult pœnitentiam, quam mortem peccatoris.

Math. 6.

Math. 18.

L. de vera
pœnit. c. 1.

L. 2. Strom.

Ezech. 18.

Secundo, caritatis operibus delentur peccata quantum ad pœnas temporarias, quando eleemosynis, & similibus caritatis operibus, accedente Christi merito & satisfactione, coram Deo compensantur. Ait enim Christus: *Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.* Augustinus namque & hinc Evangelij, & eum B. Petri locum expendens, scribit: Mundantur peccatores eleemosynis, ab illo qui ait: *Date eleemosynam, &c.* mundatur ipsa quæ supereminet omnibus, caritate, ab illo qui per Apost. Petrum dixit. *Caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Quæ vna si adsit, omnia illa recta fiunt: si autem desit illa, omnia frustra fiunt. Idem rursus enumeratis aliquot caritatis operibus, subdit. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adiuuamur, vt dimittantur nobis peccata nostra. Ambrosius idem sentiens ait. Si per fragilitatem carnis, & mundi illecebras, ita mentem nostram formare non possumus (ad imaginem & similitudinem Dei,) reuerentia paternæ generationis (i. Patris creatoris,) & sedulitate Proles, peccatum leuamus. Caritas enim operit multitudinem peccatorum. Vtroque longè antiquior Tertullianus differens de secundis post baptismum solatiis, i. peccatorum remediis & satisfactionibus, post commemorationem martyrij, quod sanguinis lauacrum appellat, scribit: Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum scilicet diligēs ex totis viribus suis, &c. Quid hinc ergo blaterant Calviniani & Zuingliani, Papistas hinc D. Petri locum malè torquere ad satisfactiones? An hi tres antiquissimi & Doctissimi patres Papistæ? Christus quoque papista?

L. II.
L. 2. cont.
Crescon. c. 12Enchirid.
cap. 72.L. de fuga
sæculi. cap. 2.Scorpiar.
cap. 6.

Dan. 4.
Prov. 16.

Eccl. 3.

Daniel papista, suadens peccata eleēmosynis redimere? Salomon papista, docens misericordia & veritate iniquitatem redimi? Præcurfor Domini papista, præcipiens facere fructus dignos pœnitentiæ? Nomen certè Papistarum, quod his desertoribus ignominiosum videtur, nobis cum supradictis commune gloriosissimum ac honorificentissimum erit.

Eph. 4.

Coloss. 3.

Tertiò denique, multitudinem peccatorum caritas delere dicitur coram hominibus, dum inter se amantes homines, benignè & humaniter multa inuicem condonant. Vnde fit, vt sepultis vltro citròque vitiis alter alterius honorè saluū esse cupit. Sic alter alterius onera portare iubemur. Item, cum omni humilitate, mansuetudine, & patientia, supportare inuicem in caritate. Rursumque ait idem Apostolus: *Supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos, &c.* Contrà verò, vbi franū odio laxatur, homines inuicem mordendo & lacerando se consumunt, quemadmodum obseruat Apostolus. Et Salomon scribit: *Odium suscitatur rixas, & vniuersa delicta operit caritas.* Nam qui alios oderunt, illorum peccata non regunt: sed potius euulgant, exaggerant, & aliis conspicienda proponunt: vnde necesse est excitari rixas, contentiones, pugnas, recriminationes, quæ caritati pœnitentia aduersantur.

Gal. 5.
Eph. 10.

9. *Hospitaliales inuicem sine murmuratione.*

Secunda exhortatio ista, de hospitalitate, per-

inet ad primarium dilectionis fructum: & continet in se plurima caritatis officia. Vult autem à Christianis hoc officium præstari ex animo non difficili: sed alacri & beneuolo. Vt cuique facultas obtigit, inquit, ita hac studeat prodesse fratribus. Cui res ampla domi est, hospitem se præbeat, ac largiatur iis quibus opus est, non grauatè, neque cum murmure: sed libens & alacer, existimans se beneficium accipere cum dat, & huiusmodi facultatum dispendium ingens esse lucrum apud Deum, omnia cumulatissimè remunerentem, existimet.

Notandum autem olim non fuisse passim in vsu hospitia publica, aut tabernas meritorias, vt nunc visuntur in Europa: sed boni viri quibus & domus, & facultates, & caritas aderat, peregrinos hospitio suscipiebant, idque ex caritate & humanitate, sine vllò pretio. Hoc ex vet. Testamenti manifestum est historiis Abraham, Lot, & Laban, qui non solum peregrinos hospitio suscipiebant humaniter, sed vt ad se diuertere inuitabant: quin & illis lauabant pedes, & iumentis eorum pabula subministrabant, vt patet ex historia cuiusdam Leuitæ, in libro Iudicum, c. 19. Vnde & Iob ait. *Foras non mansit peregrinus, & ostium meum viatori patuit.*

Gen. 18. 32.

L. 2. 41.

Iob. 31.

L. 2. 41.

Hanc etiam viri à diuina religione extorres adamasse, vel vnus Plato satis docet, scribens: Hospites omnes à Deo esse. Tullius quoque ait. Rectè à Theophrasto laudata est hospitalitas. Est enim, vt mihi quidem videtur, valde decorum patere domos hominum illustrium, illustribus hospitibus. Idque etiam Reip. est ornamen-

446 COMMENTARIA IN CAP. IIII.
to, homines externos, hoc liberalitatis genere in
vrbe nostra non egere. Et Poëta scribit:

*Virg. l. 1.
Æneid.*

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

Fuit etiam initio nascentis Ecclesiæ summopere necessaria & laudabilis, non tantum quod Ethnicis atque Iudæis exosi essent Christiani, atque non sine periculo inter hos versari possent: verum etiam quod hinc inde Apostoli & viri Apostolici peregrinarentur, & de ciuitate in ciuitatem properantes quot quantisque poterant regnum cælorum Euangelizarent. Ergo opus erat, ut à piis viris hospitio susciperentur. Hinc Paulus iubet, necessitatibus sanctorum communicare, hospitalitatemque sectari: Et ad Hebræos scribit. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Laudantur etiam Martha, Matthæus, & Zachæus quod Dominum Iesum: Simon coriarius quod Petrum; Lydia purpuraria, & Publius princeps, quod Paulum & assecas suis edibus admiserint, & facultatibus inuerint. Contra verò damnatur Diotrophes, propterea quod neque susciperet fratres, & eos qui suscipiebant prohiberet, & de Ecclesia eiceret. Quanta igitur eos manet damnatio, qui Xenodochia expilant, & bona pauperibus dicata in proprios, vel etiam profanos vsus turpiter conuertunt? Quanto rubore confusi. audituri sunt à Domino, *Hospes fui, & non collegisti me?*

Rom. 12.

Heb. 13.

Luc. 10. &

1).

Matth. 9.

Act. 10. 16.

21.

3. Io. v. 10.

Matth. 25.

Hoc autem caritatis opus, & dilectionis Christianæ præclarum officium, hilari ac liberali animo fieri iubet Apostolus: quod facile præstabimus, si cogitemus, quicquid iuando proximo

impendimus, Dei beneficium esse, in hoc donatum, ut hac veluti sorte credita ditescamus vsura piorum operum. Beati namque sunt misericordes, quoniam & ipsi misericordiam consequuntur. Christus quoque sibi reputat fieri, quicquid *Matth. 5. &* vni ex minimis seruis suis factum fuerit. *Qui vero morosè, & cum murmurationibus id præstiterint, & magnam præmij partem apud Deum amittunt; & Christianis quibus exhibent illa parum grati sunt. Hilarem enim datorem diligit Deus.* *2. Cor. 9.*

10. *Vnusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrans, sicut boni dispensatores multiformis gratia Dei.*

Tertia hæc adhortatio ad omnes quidem hominum ordines generalis est: verum species quasdam assignat illi proximo versu. Enimvero cum in immensum extendantur caritatis officia, hinc vno quasi verbo Apostolus vniuersa complectitur, & generalem tradit regulam, qua singula dignè administrantur. Simul etiã admonet, quid nobis considerandum sit, cum benefacimus primis. Nihil enim ad corrigendas murmuraciones aptius, quam dum reputamus non largiri nos de proprio, sed tantum dispensare quod à Domino commissum est. Ut quisque (ait) munera à Deo accepit, ita cum aliis communicare non recuset: illud cogitans se istiusmodi donorum administratorem esse: atque œconomum, non autorem vel dominum. Nemo igitur sibi vendicat, quod habet: sed cogitet Dei munus esse, quod per illum

448 COMMENTARIA IN CAP. IIII.
distribui vult in alios, vt ex mutuis officiis magis ac magis adglutinetur inter viros Christianos mutua caritas, & singulis per occasionem crescat præmium pietatis, &c.

Hinc autem primùm aduerte, & opulentiam, & fortitudinem, & prudentiam, quinetiam sapientiam, eloquentiam, prophetiam, apostolatium, episcopatum, doctoratum, & reliquas virtutes, earundemque officia externa, hoc loco vocari *χαρισματa*, id est, dona cælestia, descendencia à Patre luminum, & non perfectiones naturales, seu virtutes nobis congenitas, ne quis inde superbiat, aut Diuinam largitatem sua laude defraudet. Enimuerò nudi egredimur de ventre matris, nihilque nobiscum in hunc mundum inferimus: quicquid ergo boni postea consequimur, Dei beneficium & donum est. Idcirco altos quorundam spiritus reprimes ait: *Quid habes, quod non acceperis? Quare ergo gloriaris, quasi non acceperis?* Eadem dona rursus exponens scribit: *Habentes donationes secundam gratiam qua data est vobis, differentes: sive prophetiam, &c.* Rursùmque. *Diuisiones gratiarum sunt, &c.* Denique. *Vnicuique nostrum data est gratia secundam mensuram donationis Christi, &c.* Vbique audis gratiam, vbique datum, vbique donum, vbique donationem: ne quid tibi sine Dei liberalitate tribuas. Beatus quoque Iob de vniuersis opibus suis dicit: *Dominus dedit, &c.* Nemo igitur propter ista dona extollatur, nemo carentes illis proximos aspernetur: cogitet verò cum ista dona succrescunt, rationes etiã crescunt donorũ: plurãque ab illo exigenda esse corã Deo, cui plura commissa fuerunt.

Attende

Attende etiam, hæc dona varia & multiplicia esse, tamen ab vno eodẽmque diuino Spiritu proficiantur. Est enim ille natura personaque vnicus & simplicissimus, sed in donis multiplex & copiosus: vt in Apostolos vnus quidem descendit ignis, sed erant dispersitæ linguæ. Et Paulus enumerat Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, & Doctores. Et iterum ait: *Alij datur sermo sapientiæ, alij scientiæ, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, &c.* Dona igitur varia sunt, vnicuique distribuente Spiritu sancto prout vult: sicut Christus dedit vni quinque talenta, alij duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutẽ. Nemo ergo sibi displiceat, si minus sibi videatur assequutus: vel nimium tribuat, si donis egregiis præcellat. Omnia enim hæc dispensat Spiritus Domini sanctissimus, sapiētissimus, ac æquissimus. Nemo se vno, & facultatibus suis sit contentus, nemo sine aliorum auxilio viuere se posse gloriatur. Non dicat lingua manibus, non os pedibus, non estis mihi necessarii: constat enim mysticum Christianorum corpus diuersis membris, quæ sine mutuo auxilio consistere non possunt.

Finis atque scopus horum donorum est, vt his vtamur ad ædificationem & vtilitatem proximorum, & in commune singuli portiones suas conferant, prout necessitas vsusque postulabit. Non deest huic sententię sua ratio, quia Dei ministri sumus, qui hæc vt aliis inferuiamus cõtulit. Vult nos œconomos ac fideles dispensatores illorum esse, non dominos qui nobis ipsis tantum vendicemus. Seruus piger, qui acceptum talen-

Iacob. 1.

Iob. 1.
1. Tim. 9.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Eph. 4.

Iob. 1.

Act. 1.

Eph. 4.

1. Cor. 12.

Matth. 25.

Matth. 25.

Luc. 19.

Matth. 5.

I. Cor. 4.

tum non dedit ad vsuram, sed abscondit in tetram, à redeunte Domino coarguitur atque damnatur: laudantur verò & remunerantur, qui ad lucrum exposuerant. Iubet enim: *Negotiamini dum venio. Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in calis est.* Et Paulus de se & coapostolis dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei.*

II. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum: cui est gloria, & imperium in sacula seculorum: Amen.*

Multis breuitatis causa, prætermisiss, duas tantùm generi subiicit Gratiarum species magis illustres atque præcipuas, videlicet, publicum munus docendi in Ecclesia; & Diaconatum, id est, ministerium tam spiritaliũ quàm temporaliũ rerum inter Christianos communiũ. Vult autem hæc munera consequutos magna fide & caritate suis officii fungi, illa sincere exercere, coram Diuinis oculis eos spectantibus & diiudicantibus. Si cui commissum est munus docendi, inquit, si cui data sacrarum literarum publica interpretatio & prædicatio, si quis donum habet eruditæ linguæ, non abutatur ad quæstum, ad fastum; aut inanem gloriam: sed ad proximorum ædificationem & salutem, Christique gloriam. Sentiant auditores esse Dei sermones, non hominum: & eum qui loquitur nihil aliud esse,

quàm organum diuinæ vocis. Cùm diuinam sustineat personam, nominèque omnipotentis Dei, loco Dei sacro, & populo Dei loquatur, id agat ea fide & diligentia, qua de singulis verbis suis rationem Deo aliquando se redditurum esse non diffidit.

Hic primùm obserua, quid doceri debeat, in factis Ecclesiæ cõuentibus: nimirum, quod Deus ipse reuelauit & docuit tam scriptis, quàm vocibus Prophetarũ & Apostolorum suorum, quorum ministerio secreta & occulta sapientiæ suæ manifestauit cæteris hominibus. Ait enim ad Ieremiam: *Vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ecce ego dedi verba mea in ore tuo, &c.* Et ad Ezechielem: *Fili hominis, omnes sermones meos, quos ego loquor ad te, assume in corde tuo, & auribus tuis audi, & dices ad filios transmigrationsis: Hæc dicit Dominus Deus, &c.* Et ad Isaiam: *Posui verba mea in ore tuo. Hinc de suis vaticinis & concionibus non semel dicunt: Os Domini loquutum est: Isai. I. 40. non alio loco doctrinam suã habendã docentes, 48. 68. quàm si ex ipsiusmet Dei ore prolata fuisset. Peccant ergo in Deum, qui eam vel negligunt, vel aspernantur, propter abiectam eorum conditionem qui illam annunciant. Ait enim: Qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum qui me misit. Peccant etiam qui pro sacro suggestu nihil ferè nisi Platonem, Plutarchum, Valerium, aliosve profanos authores detonant: neglectis interea Diuinorum scriptorum, & veterũ Ecclesiæ doctorũ sententiis ac interpretationibus. Peccant denique huius æui Hugnostici, qui nihil pro Dei verbo & sermone agnoscendũ*

& profitendū esse autumant, quod non sit scripturis expressis datum: cū tamen Paulus discretè præcipiat, *Tenendas esse traditiones, quas dedimus, siue per sermonem siue per epistolam*: idemque per Ecclesias docuerit, *Custodienda esse præcepta Apostolorum & Seniorum. Seruanda dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Ierosolymis.* Christus quoque non solum scrutandas esse scripturas, verum & audiendam esse Ecclesiam iusserit.

Hinc etiam nota, quomodo in Ecclesia docendum sit: id est, qua religione atque reuerentia officio suo fungi debeat Cōcionator, qua itē constantia, & animi puritate Diuinos tractet sermones. Impuro etenim homini dicit Deus: *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &c.* Et Paulus grauiter insurgit in eum, qui alium docet, seipsum non docet: qui prædicat nō furandum: & furatur: qui dicit non mœchandum, & mœchatur, &c. Ergo qui publicè docet & loquitur, loquatur velut sermones Dei, hoc est, puro animo, sinceroque affectu, reputans se in tractandis diuinis sermonibus versari; & verbū Dei esse non suum, quod annunciat. Insuper, & functionem suam à Deo institutam, à Christo filio Dei tractatam, ab Apostolis eius toto mundo exercitam, & sermonem à Deo misericorditer & gratis se accepisse non dubitet: sicque verbi diuini sacrosanctam maiestatem pro dignitate tuebitur.

Secunda species latissimè patet, quoniam ministerium Ecclesiasticum, & Sacramentorum ad-

ministracionem, & disciplinæ, & bonorum temporalium in pauperes administracionem comprehendit. Nec desunt qui etiam ad Magistratus politicos hæc pertinere putent: nimirum, vt quicumque publicum officium inter Christianos sortitus est, memor sit, quod Dei seruus & minister sit: non sua virtute, sed auxilio dei nitatur: nihil præstat, quod vel tantillum diuinis legibus aduersetur. Non sibi vindicet autoritatem, sed Deo transcribat, qui vim & robur suppeditat, vt efficaciter obeat, quod agit.

Ergo qui baptizat, cōfirmat, consecrat, offert, communicat, absoluit, ordinat, benedicit, vngit, nihil ex se præstat nisi quod à Domino constitutum & datum est ei, nec aliud est quàm viuum Dei viuientis organum. Siue Iudas, siue Simon, siue Nicolaus hæreticus hominem sacris vndis abluit: Christus est propriè qui baptizat. *Quid enim est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.* Et de Eucharistiæ consecratione ac mysteriis scribit Chryostomus. Nos ministrorum tenemus locum: qui verò sanctificat, & immutat ea (Christus) ipse est. Ait enim: *Cum discipulis meis facio Pascha.* Hæc est illa mensa, & minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit: verum & hanc ipse quoque. Qui ergo his sacris operatur, id faciat tanquam ex virtute, quam ei suppeditat Deus.

Ita & qui bona Ecclesiæ temporalia ex officio colligit, seruat, administrat his qui altari deser-

454 COMMENTARIA IN CAP. IIII.
uiunt, pauperibus, peregrinis, viduis: & orphanis: nihil hinc sibi proprium esse reputet, bonorum enim Dominicorum tantum dispensator est: fideliter ergo suum illi ministerium impendat. Stephani, & consociorum eius integritatem sibi ad imitationem proponat: Pauli & Barnabæ diligentiam & fidelitatem in curandis & iuandis pauperibus imitetur.

Qui delinquentes coarguit, & homines præfractos, scandalosos, ac Ecclesiæ monitis non obtemperantes, de illius communione eiicit, id tanquam ex potestate sibi ad ædificationem tradita, non ad destructionem, cum diuino timore faciat. Paulum attendat fornicarium tradentem in manus Satanæ, ad interitum carnis, ut spiritus eius de saluari posset: & eundem resipiscentem, in communione admittentem. Nemo igitur illo spirituali gladio abutatur ad turpe lucrum: non ad vlciscendi prauum studium: non pro re leuissima, &c. Scribit enim de his Tertullianus. Iudicatur inter nos magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumque futuri iudicii præiudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & cõuentus, & omnis sancti cõmercij relegatur. Et Augustinus de eadẽ disciplina Ecclesiastica inquit. Nec emendationis disciplina quiescit, corripiendo, degradado, excommunicando, ceterisque coercitionibus licitis atq; cõcessis, quæ salua vnitatis pace in Ecclesia quotidie fiunt, secundum præceptum Apostolicum, caritate seruata: *Si quis non obaudit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo, ut erubescat, & non ut inimicum existimetis: sed corripite, ut fratrem.*

*Apologeticæ.
cap. 39.*

*Post collat.
contra Do-
nat. cap. 4.
& 20.*

2. Thess. 3.

Si ad Magistratum politicum hæc quoque extenderis, admonetur, non suo robore niti debere (id quod Tyranni solent) sed ineminisse, quod minister Dei est in bonum: & vindex in iram ei, qui malum agit. Attendat quid piissimus Rex Iosaphat ad iudices à se per singulas ciuitates regni sui constitutos dixerit. *Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.* Eisdem sic per Sapientem conuenit Spiritus sanctus. *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, &c. Horrendè & cito apparebit vobis, &c.*

Rom. 13.

*2. Paralip.
19.*

Sap. 6.

Finem postea indicat omnium istarum publicarum gratiarum, & functionum, videlicet, *ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum.* Ita fiet, inquit, ut ex dotibus variè distributis, ex istis & aliis publicis officiis in Ecclesia Christiana obitis, vndique glorificetur Deus, à quo ceu fonte vberissimo fluunt omnia, non per Moysen, sed per Iesum Christum, per quem ut vnicum filium nobis largitur, quicquid largitur Pater. Huic acceptum referet, qui officio fratris adiutus est: huic gratias ager, qui suo ministerio gaudet adiutum fratrem. Summa igitur omnis gloriæ vndiquaque redit ad Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quibus eadem est gloria, & imperium nullo æuo finiendum. Amen.

Donis igitur superioribus sic Deus homines exornat, ut seipsum illis non spoliaret, & velut inane

nudumque idolum remaneat, suam in eos gloria transferendo: sed potius ut sua in homines benevolentia, liberalitas, & gloria ubique reluceat atque predicetur. Proinde sacrilegam esse apparet donorum Dei pollutionem, quum aliud sibi homines proponunt, quam ut Deum glorificent. Recte igitur & pie Augustinus Deum sic alloquitur: Qui de bono tuo gloriam sibi querit, & non tibi, hic fur est & latro: & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Sit igitur finis precipuus omnium studiorum, laborum, & actionum nostrarum: alioquin omnia vana & inutilia erunt. Si oculus tuus, inquit, nequam est, totum corpus tenebrosum erit. Facite opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui in celis est. Et doctor gentium scribit, Omnia in gloriam Dei facite. Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Dei agite, gratias agentes Deo. Peccant igitur in Deum, & eum sua gloria spoliare nituntur, qui propriam gloriam querunt.

Addit verò per Iesum Christum, quoniam collector, sanctificator, & caput est omnis Ecclesie, ex quo omnis virtus in nos manat, & procedunt cuncta dona & munera sacra, ut in vnum corpus coalescamus, & faciamus quod nos decet. Eius enim merito & beneficentia Pater nos amat, & charismata sua nobis quantumvis indignis impertit. Rogabo Patrem, inquit, & Paraclitum dabit vobis. Et Apostolus post Psalmem, ait: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus: De plenitudine eius nos omnes accipimus in ipso sunt omnes thesauri

sapientia & scientia reconditi. Ergo ex eo hauriendum: ideoque illius in primis gloria spectanda est, in procuranda proximorum, nostraque salute. Pulchre hic Beda. Honorificatur Deus in actibus nostris, cum omne quicquid bene ac secundum voluntatem eius facimus, non hoc nostris meritis, sed eius gratia tribuimus. Contra autem, mala quæ gerimus, nostræ solum malitiæ vel ignorantia deputamus.

12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid.*
13. *Vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloria eius gaudeatis exultantes.*

Iam tertia pars est huius capitis præcipua, in qua specialiter agit Apostolus de constantia & innocentia sub cruce Christi, id est, persecutione & afflictione pro nomine eius illata, constanter retinenda. Huic autem generali propositioni suas eademque varias addit rationes, quas ordine tractabimus. Cum ergo Christiani tunc temporis & Iudæis & Gentibus propter Christi fidem admodum exosi, atque illorum odiis & crudelitati expositi essent, illos consolaturus hic Apostolus, primum admonet, non debere ipsos tanquam de re subdita vel inopinata obstupescere: sed præcedente longa meditatione, ad ferendam cum Christo & pro Christo crucem compositos esse debere. Tertullianus transfert: *Ne expauescatis visionem, quæ agitur in vobis in tentationem.* Scorpiac. c. 12. Cyprianus: *Nolite mirari ardorem acci-*

L. soliloq.
cap. 15.

Matth. 5. &
6.

Cor.
Coloss.

Eph. 1.

Ioan. 1. 6;
Eph. 4.
Psalm. 67.

Ioan. 2.
Coloss.

dentem vobis. Epist. 56. Fulgentius: *Nolite expauescere in seruiorem.* Syrus: *Ne miremini in tentationibus que sunt vobis.* Græcè, *μη ἐπιζήσητε*, id est, Nolite percelli, commoueri, obitupescere, ac mirari tanquam de re insolita, peregrina, & à feruis Dei veri aliena. Gallicè dicimus, *Ne trouueze estrange, ne soyeze estonnez.* Quod autem habet interpres, *in seruiore, et προσωδ,* Græca scholia explicant, in exploratione & probatione, quæ tanquam per ignem fit. Sensus ergo est: Nolite percelli propter explorationem quæ vobis fit tentandi vestri gratia, quasi ob rem nouam: sed ob hoc magis gaudete, quòd probemini, & quòd communicatis passionibus Christi, & datum est vobis pro eo affligi.

Notandum, frequentem esse in Scripturis colationem piorum hominum cum auro, & persecutionum quibus examinatur & purgantur, cum igne cuiusdam fornacis incendio æstuantis. Scribit enim Dauid Saulina insectatione plurimum afflicti: *igne me examinasti,* (Hebr. excoxisti, sicut metalla igni probari solent) *& non est inuenta in me iniquitas.* Iterumque: *Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.* Rursumque nomine omnium iam triumphantium: *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Transiuimus per ignem & aquam, &c.* Et Salomon in Prouerbiis: *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Eccl. 2. Isa. 48. 1. Petri. 1. &c. Siquidem vt aurum igne non absumitur, sed probatur & purgatur, ita & serui Dei persecutionibus impiorum meliores euadunt. Rectè ergo

Gregorius. *Quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio viro iusto.*

Vide præterea, hominum Christianorum esse, etiam pacis tempore, de cruce, id est, calamitatibus & persecutionibus futuris seridè meditandum: sic enim cum venerint, non consternantur: sed tanquam assuefacti patienter eas ferent. Minus enim feriunt iacula quæ præuidentur: & nos tolerabilius huius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. In hunc finem frequentes sunt in scripturis prædictiones & admonitiones de iustorum tribulationibus, liberatione à Deo speranda, & patientia in his seruanda. Vt in Psalmis: *Multi tribulationes iustorum, & de omnibus iis liberabit eos Dominus. Adiutor in tribulationibus, quæ inueniunt nos nimis. Salus iustorum à Domino, & protector eorum Dominus in tempore tribulationis.* Psal. 33. psal. 45. psal. 36. Math. 5. 10. 16. Marc. 13. Luc. 21. Ioan. 14. 15. 16. Act. 14. 2. Tim. 4, &c. Præstaret sanè vt in horum potius meditatione versaremur, quàm opibus vel honoribus augendis, &c.

B. Fulgentius hac vititur Petri sententia, vt doceat, nobis esse compatiendum Christo, quoniam ille in carne nostra prior passus est pro nobis. Hac verò translatione sua vititur. *Nolite expauescere in seruiorem, quia ad tentationem vobis fit. Quid autem mirum, subijcit ille, quoniam Pontifici nostro naturali compatimur, cum nos beatus Apostolus etiam cum illo mortuos esse testetur his verbis: Si mortui estis cum Christo, quid adhuc tanquam viuentes in mundo discernitis?*

D. Saluianus, caufaris, inquit, quid sit istud, L. 3. de vero iudicio.

Psal. 16.
Psal. 25.

Psal. 65.

PROV. 27.

quod Christiani qui Deum credimus, omnibus misericors simus? Sufficere mihi ad respondendum hoc loco poterat, quod Apostolus ad Ecclesias dicit: Nemo moueatur in tribulatione, ipsi enim scimus qui in hoc positi sumus. Et idè cùm in hoc positos nos esse Apostolus dicat, ut ærumnas, ut miserias, ut tristitias perferamus: quid mirum est si mala cuncta perferimus, qui ad toleranda vniuersa militamus?

D. Cyprianus martyr his suffragatur. Ne quicquam miretur nos assiduis persequutionibus fatigari, quando hæc futura in nouissimis temporibus Dominus ante prædixerit. Petrus quoque Apostolus eius docuerit, idè persequutiones fieri ut probemur, & ut dilectioni Dei, iustorum præcedentium exèplo, nos etiam morte & passionibus copulemur, dicens: *Nolite mirari ardorè accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit: nec excidatis tanquam nouum vobis contingat.* Idem rursum alibi, ex iisdem verbis contendit, ad hoc præssuras & persequutiones fieri ut probemur; addit quæ hæc similia testimonia: *Tentat vos Dominus vester, &c. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et cõcludit: timendas non esse iniurias, & pœnas persequutionum, quia maior est Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum. *Maior est qui in vobis est, ait Ioannes, quàm qui in isto mundo.*

qui ad tentationem vobis fit.

Prima ratio est, cur patienter & constanter ferenda sit pro nomine Christi illata persequutio, nimirum, quòd per hanc Deus fidem nostram examinat & probat. Sic enim accipio hîc

εἰς πειρασμόν, *tentationem*, id est, explarationem ac probationem. Non est tamen putandum, quod Deus tanquam nostri ignarus nos probet: nouit enim abscondita cordis: nouit omnia antequam fiant. Sed explorat nos partim propter alios, ut his exemplo constantiæ & patientiæ simus: partim propter nos ipsos, ut quantum nobis adhuc deficit, agnoscamus. Sic tentauit Abrahæ fidem, Isaac obedièntiam, Iacobi longanimitatè, Ioseph castitatè, Iobi ac Tobix patientiam. Permittendo pseudopphetas exurgere in populo Israël, fidè eius tentabat. Petiit à Philippo Christus, *Vnde ememus panes, ut mādudent hi? tentans eū.* Non tantùm ergo patienter, sed & alacriter perferendæ sunt huiusmodi tentationes ceu probationes immissæ à Deo, quia *beatus est vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, &c.*

Secunda ratio, nec insolens, nec nouū est, quod pij serui Dei in hoc sæculo ab improbis diaboli satellitibus affligantur. Ergo nec durum, nec forte nostra indignum est, quod cum omnibus electis & amicis Dei commune est. Etenim Abel à fratre suo Cain, Noè à filio suo Cham, Isaac ab Ismaèle, Iacob ab Esau, Ioseph à fratribus, Dauid à socere, & filio suo Absalone, & pij omnes ab initio sæculi, & deinceps, non tantùm ab alienis, sed etiam à domesticis afflicti fuerunt. An non summo perè exoptadum tantorum heroum adiungi consortio? Compaticipes esse coronarum? Colletari triumphis? Si enim socij fuerimus passionum, erimus & consolationū. Si compatimur, & conregnabimus. Ergo quicumque blasphemant

1. Petri. 4.
Rom. 8.

Ep. 96. que
est ad Thi-
monianus.

1. Petri. 4.
I. de exhibi-
tione mentis
c. 9. et 10.
Dicit. 13.

Eccl. 27.

1. Petri. 4.

Deut. 13.

1. Ion. 6.

1. Iac. 1.

1. Cor. 1.

Rom. 8.

Luc. 23.

sub cruce, impœnitentem latronem imitantur : qui verò peccata sua confitentur, Deumque laudant & inuocant, supplicium mutant in martyrium. Qui obmurmurant & impatienter ferunt, impatientia sua testantur, se in fide nondum satis profecisse, nec carnem adhuc crucifixisse cum vitis & concupiscentiis suis. Et qui indignum existimat virum Christianum pro Christo pati, nimiam animi sui mollitiem manifestat, cupiens aliter tractari, quàm alij serui & amici Dei.

sed communicantes Christi passionibus, &c.

Tertia ratio est, quamobrem persecutio pro nomine Christi sit constanti & alacri animo ferenda : quia videlicet, Christo non solum reddit consortes & conformes : verùm & eiusdem gaudij atque gloriæ cœlestis participes. Idcirco de illa non tantum non mirandum aut expauescendum est : sed potius gaudendum ac exultandum. Quanta porrò gloria, quod nos Filius Dei in suum ordinem aggregat, vt & in beatam gloriæ suæ cœlestis societate nos secum adducat ? Quæ piis animis consolatio, quòd cum Christo communicant : idque in eum finem, vt aliquando gloriæ ipsius sint consortes ? Et ne quis de fide horum addubitet, contemplandæ ac cordibus nostris insculpendæ sunt amplissimæ & dulcissimæ promissiones istæ. *Pos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis : & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & cat. Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.* Vnde Apostolus de se, aliisque pro Christo patientibus ait : *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in*

Luc. 22.

Ioan. 17.
2. Cor. 4.

corporibus nostris. Et pius omnes compatientes Christo exhilarans denique scribit : *Si commortui sumus, & conuinemus : si sustinebimus, & conregnabimus.*

2. Tim. 2.

Quo igitur loco habendi sunt tyranni, Sanctorum persecutores, cum isti sint consortes Christi quos oderunt, persecuntur, crudelissimæ neci tradant ? An non ipsiusmet Christi hostes sunt manifesti, ac æterno Filio Dei bellum inferunt ? *Saule, saule, inquit ad hostem Sanctorum infestissimum, quid me persequeris ? An non dicturus est, quicquid vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis ?* Ait quoque per Prophetam. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Dauid etiam tales censet eos esse, quales qui fremunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Gloriosi sunt, inquit, qui oderunt te, in medio solemnitatis tuae. Inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput : odia, minas, crudelitatesque violentorum hominum contra pius Dei seruos, non alio loco ducēs, quàm contra ipsummet Deum. Quàm verò impium & horrendum est, bellare aduersus Deum omnipotentem ? De vindicta sumenda de hostibus nostris non debemus sanè esse solliciti talē ac tantum habentes assertorem.*

Act. 9.

Math. 25.

Zach. 2.

Psal. 2.

Psal. 73.

Psal. 82.

vt in reuelatione gloriæ eius, &c.

His occurrit qui tantum ad ea quæ sunt huius mundi spectantes franguntur animis : docet autem in cælis quærendum esse verum & solidum gaudium. Dura sunt fateor, atque amara, quæ hîc vobis proponuntur, & læpe, & diu ferenda : verùm, illud consolationi vobis debet esse non exigua, quòd his omnino mediis disci-

puli præceptorem, membra caput refertis Iesum Christum. Nobis non est hîc quærenda gloria, tantum oportet officij nostri meminisse, quod obediamus & placeamus Deo. Ille persequen-
tium malitiam nobis vertet in bonum, ignomi-
niam in gloriam. Hac spe certè gaudere ac gra-
tulari vobis debetis, quod ut nunc Christus vos
habet dignos, quos velit esse socios afflictionū,
ita post cū manifestauerit omnibus cælestem
gloriam suam, pudefactis his qui & illum & vos
oderunt, exultabitis ineffabili gaudio, quod fen-
tiri potest verbis exprimi non potest.

Docet porrò D. Thomas Sanctos viros etiam
hîc propter multa gaudere & exultare debere.
Primò, propter puritatē consciētīæ. Prouerb. 19.
Cor gaudens exhilarat faciem. Secundò, propter
virtutis adoptionem. Isaia. 11. *Gaudens gaudebo
in Domino, quia induit me vestimento salutis.* Tertiò,
pro bona operatione. Prou. 21. *Gaudium est iusto
facere iustitiam.* Quartò, propter tribulationum
pro Christo perpeffionem, sicut hîc dicitur, *Com-
municantes Christi passionibus, gaudete.* Quintò, de
Diuini auxiliij cōfortatione. Habacuc. 3. *Ego autē
in Domino gaudebo.* Sextò, de mercedis æternę pro-
missione. Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam
merces vestra, &c.* Septimò, de peccatorum con-
uersione. Philip. 4. Octauò, de profectu conuer-
sorū & vtilitate, &c. Denique, in cælesti gloria
tanto gaudio & lætitiā bacchaturus, quod ocu-
lus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi-
nis ascēdit. Nam absterget Deus omnem lachry-
mam ab oculis sanctorum, &c. Ad hæc igitur
gaudia totis mentibus aspiremus.

Apo. 11.

14. Si

14 *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis:
quoniam quod est honoris, gloria, & virtutis
Dei, & qui est eius Spiritus super vos requiescit.*

Hoc versu tres alias rationes addit superio-
ribus, quamobrem Christiani debeant con-
stanti & patienti animo ferre crucem, i. affli-
ctiones & persequutiones propter Christum.
Prima est, quod nihil potest cōtingere homi-
ni gloriosius atque felicius. Si probris ma-
ledictis que vos afficiant homines, (inquit)
propterea quod in Christum crucifixum cre-
ditis, in eundem totius iustitiæ & salutis ve-
stræ fiduciam collocatis, & pro doctrinæ re-
ligionēq; eiusdem occumbere non formida-
tis, quantumuis affligimini in corpore, & id-
circo stultos vos & imprudentes censeat mū-
dus: hoc tamen nomine verè beati, verè fe-
lices, verè amici & filij Dei estis nunc in spe,
& eritis tandem in re. Hoc enim palam testi-
ficatus est, qui mentiri & fallere non potest,
æternus Dei filius, d. *Beati estis cum maledixerint*
vobis homines, & dixerint omne malum aduersum
vos, mentientes, propter me. Gaudete enim, &c. Quis
autem Deo promittenti non credit? Ad hæc,
Paulus frequenter gloriatur de vinculis &
cōtumelijs pro Christo toleratis. *Maledicimur,*
inquit, & benedicimus. Et de alijs Apostolis
dicitur. *Ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam*
digni habiti sunt pro nomine IESU contumeliā pa-
ssi. De hac enim persequutionis specie dixit.
Si paterfamilias Beelzebub vocauerunt; quanto magis
domesticos eius? Et rectè Tertullianus, Minu-

Matth. 5.

Luc. 6.

Act. 5.

Matth. 10.

tius, & alij veteres referunt probri loco positum esse Christianis, quod caput asini, crucis ligna feralia, sacerdotum genitalia colerent: & à Manichæis, quod Cererem & Bachum venerarentur, &c. Nullum quoque est probi & maledicti genus, quod non in Sacramenta, in Diuos, in Ecclesiæ cath. cunctos ordines, & verbis & scriptis effundant nunc Hugnostici, Monachi ab his blasphemamur, conuentibus pellimur, spoliatur, omni diritate vexamur, & pro horum salute obsecramus.

Proborum autem & conuitorum meminit Apóstolus, quoniam frequenter acerbiora sunt, animis præsertim generosis, quàm vel facultatum iactura, vel tormenta dolorisque corporis. Multi enim forti animo ferunt inopiam, morbos patienter tolerant, in tormentis sunt animosi, mortem subeunt intrepidi: franguntur autem probro & ignominia. Samson maluit seipsum cum hostibus perdere, quàm eorum dedecora ferre diutius. Et Saül proprio mucrone se trās fudit, ne viuus caderet in manus Philistinorum, qui eum illuderent. Christus & sapius & grauius apud Patrem suum conqueritur de Iudæorum irrisionibus & maledictis, quàm de corporis vulneribus. *Omnes videntes me, inquit, deriserunt me, loquuti sunt labiis, & mouerunt caput. Aperuerunt super me os suum, &c. Super inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, &c. Subsannauerunt me subsannatione. Dilatauerunt super me os suum: dixerunt, Euge, Euge, viderunt oculi nostri. Loquuti*

*Iudic. 15.
1. Reg. 28.*

Psal. 21.

Psal. 30.

Psal. 34.

sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij Psal. 103. circumdederunt me, &c. Sequuntur interpretationes ex amaritudine animi prorumpentes, ceu mauiis prædictiones suppliciorum quibus in exprobratores illos Dominus tandē animaduertet; Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius, &c. Induatur confusione & reuerentia, qui magna (alij maligna) loquuntur super me, &c.

Secunda ratio est, quod hæc patientia & constantia in persecuitionibus pro Christo toleratis, euidens & certum testimoniū est Spiritus sancti in hominibus tanquam in templo & habitaculo sancto suo quiescētis & inhabitantis: eosdēmq; gubernantis arbitrio suo, quo fit vt etiā ad martyria subeunda parato & prompto sint animo. Improborū ergo hominum maledicta, imposturæ, & conuitia, illorū felicitati non poterunt obesse, quoniā Spiritus Dei, qui est fons omnis honoris, glorię, & virtutis super illos inhabitat, eosdēmq; secū beatissimos reddet. Idē enim ad Apostolos dictū est: *Baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies.* Et adimpleta pollicitatione, dicitur: *Repleti sunt omnes spiritu sancto, &c.* Et de Simone: *Spiritus sanctus erat in eo.* Et Paulus ait: *Deus signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et iterum. *Quoniam estis filij, misi Spiritum Filij sui in corda vestra clamātem: Abba Pater.* Deniq; de Stephano pro nomine Christi fortiter occumbente, dicitur: *Cum esset plenus spiritu sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei, &c.*

Dicitur autem *ὁμοιωθεὶς τοῦ υἱοῦ θεοῦ, & τὸ ἔλεος*

Act. 1. & 2.

Luc. 2.

2. Cor. 1.

Galat. 4.

Act. 7.

πνεῦμα, Spiritus gloria, & ipsius Dei, quæ ad eius maiestatem exornandam pertinent. Est enim Spiritus gloria, quia piis gloriosus est: & Spiritus Dei, quoniam à Deo Patre & Filio Deus ipse procedit. Syrus: *quia spiritus gloriosus Dei super vos requiescet*. Cyprianus autem legit: *quia maiestatis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit*: ita ut *ὄνομα* legisse videatur, pro *πνεῦμα*. Sic autem in Isaia dicitur Spiritus sapientiæ, & scientiæ, consilij, fortitudinis, & timoris Domini: quod horum charismatum fons sit & largitor.

Tertia ratio in his consistit, quæ hoc loco adduntur à græcis, caret autem illis vetus noster interpret: *καὶ μὴ ἀντοῖς βλασφημεῖται, καὶ ὁ θεὸς ἀλάττει*. Ab illis quidem blasphematur: à vobis autem glorificatur: quæ verba Cyprianus martyr inter Latinos, duobus signatis locis agnoscit & probat. Homines improbi, inquit, putant se calumniis & maledictis proscindere: sed hæc recidunt in ipsummet Spiritum Dei. Hunc ergo blasphemant: vos contra, patientia & pietate vestra sub cruce glorificatis. Est igitur crux constantè perferenda, utpote, quæ cedit ad gloriam nominis diuini. Nec est hæc curanda ignominia, quæ non in vos solos, sed simul in Spiritum sanctum Deum redundat.

In persequutionibus ergo ac propriis pro Christi doctrina & gloria toleratis, nihil sollicitos nos esse, vel angere oportet: sed in Deum aciem animi figere, qui in his nihil contumeliosum esse indicat: sed omnia sanctis coope-

Epist. 65.
Iuxta ord.
Paucly.
Item l. de exhort. B. art. cap. 9.

Rom. 8.

rari facit in bonum, indeque gloria sempiterna illos in cælis coronat. Hoc instructus animo Paulus, *gloriamur in tribulationibus*, inquit, *scientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem, &c.* Et recensitis longo catalogo laboribus, carceribus, plagis, naufragiis, & innumeris pro Christi Evangelio periculis suis, tandem adiicit. *Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis*. Quin & alibi iacet se portare stigmata Domini IESU in corpore suo, & gloriatur in catenis suis, tametsi satis nosset mundum longè aliter de illis iudicare.

Ex his quoque sequitur, illos in spiritum sanctum impingere, qui pios Dei seruos impetunt maledictis & opprobriis, & propter constantem doctrinæ ac fidei catholicæ propugnationem illos oderunt, persequuntur, & de medio sublatos cupiunt. Nam horum odia & minæ ad Dei Spiritum pertinent, qui de his tandem aliquando iustissimam sumet ultionem: piisque ab his vindicatos in sempiternam & celestem gloriam perducet, cum Christus venerit in maiestate reddere unicuique secundum opera sua. Huic ergo vindictam relinquamus, &c.

15. *Nemo autem vestrum patietur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

16. *Si autem Christianus, non erubescat glorificet autem Deum in isto nomine.*

Septima ratio ferendarum patienter & cō-

stanter persecutionum pro nominē Christi, hoc loco desumitur à distinctione crucis. Non enim omne supplicium est laudabile, nec omnis pœna commendari debet. Causa enim, vt Augustinus ait, facit Christi martyrem, non pœna. Homicidæ, fures, maledici, raptores, prædones, pyratæ ferunt pœnas, sed pro suis sceleribus, nec inde laudantur. Christiani verò affecti supplicii propterea quod in I E S U M. Christum credunt & sperant, ab eius legibus discedere nullatenus volunt, Sponsæ illius amplexibus hærent tenacissimè, &c coram Deo pretiosi & chari, gloria & honore coronandi. Absit, inquit Apostolus, vt quisquam vestrum affligatur propter homicidiū, aut furtum, aut conuictum, aut curiositatem & appetētiam eorum, quæ nihil ad vos pertinent. Quisquis autem patitur non ob aliud, nisi quod Christianus dicitur, & re ipsa est, non est quod pudeat supplicij. Furem appellari turpe est, Christianū dici gloriosum est & salutare. Qui propter scelera sua afficitur supplicio, nihil habet in quo gloriatur, multum verò in quo erubescat & confundatur: nam commertas pendit pœnas. Qui verò propter causam Christi, verborum, & sacramentorum eius affligitur, laudet Deū, qui per istas afflictiones & pœnas temporarias ad gaudia sempiterna perducit.

Hic in primis considera, sceleratis hominibus, veluti homicidis & furibus, tam legibus diuinis quàm humanis iustissima reposita esse supplicia; vt qui amore & timore Dei

non continentur in officio, formidine saltem pœnarum à malis coherceantur. Hinc lege Mosæ constitutum, vt moreretur adulter & adultera: multi suspenderentur in ligno, alij lapidibus obruerentur, alij gladio caderentur. Insuper, Magistratus ideo constitutus est, & in Euāgelio probatus, cū potestate gladij, vt sit vindex malorum. *Vis non timere potestatem? Bene fac, & habebis laudem ex ea. Si autem malefeceris, time.* Rectè, latro de cruce pendens alteri consocio dicebat latroni: *Nos digna factus recipimus.* Et filij Iacob duriusculè à Ioseph accepti, conscientia intus flagellante, confitebantur: *Iuste hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, &c.*

Rom. 13.

Luc. 23.

Genes. 42.

Nunquid verò his pœnis externis expiantur homicidarū & latronū scelera coram Deo, rectèq; ex patibulis & suppliciis pergunt ad regna cœlorū? Minimè gentiū, nisi accedat contritū & humiliatū, id est, magna de peccatis admissis pœnitentia, & cū ingēti fide & spe in Christū Dominū (cuius sanguine & morte delentur peccata hominum) patienter ferat quod contulerunt. Non vult enim Apostolus Christianos pati propter malefacta.

Inter scelera porrò à quib⁹ maximè cauēdū, primo loco refertur homicidiū, quia militat cōtra præceptū illud maximū de charitate & dilectione proximi. Deinde, istud primū principij legis naturæ subuertit: *Ne facias aliis, quod tibi fieri non vis.* Cain primus homicida tanto sceleris horrore percussus, vt desperet: & sanguis effusus de terra clamat vindictā in cę-

Genes. 4.

Exod. 10.

Deut. 5.

Matth. 26.

Apoc. 21.

lum. In lege sua dicit Dominus: *Non occides*. Et in Euangelio cōminatur: *Qui gladio peribit*. Apostolus denique scribit: *Homicidis, & veneficis, pars erit in stagno ignis*.

Sequitur *furtum*, quod est ablatio rei alienæ inuito Domino. Sub hoc nomine cōprehenduntur etiam quæcūque bonis proximorum officiant: cū illum potius iuuare debeamus. Hoc non solum quo ad actum, sed etiam quo ad affectum prohibitum est à Deo, dicente: *Non furtum facies. Non concupiscas rem proximi tui*. Tanto affectu peccati istud abhorruit sanctus Tobias, vt dixerit: *Non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*. Ab hoc etiam cunctos reuocans Paulus ait: *Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur iam non furetur: magis autem labores, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat unde tribuat necessitatem patienti*. Augustinus de eodem peccato ait. Nemo habet iniustum lucrum sine iusto damno. Qui furatur, acquirit vestem, sed perdit fidem. Vbi lucrum, ibi damnum: lucrum in Arca, damnum in conscientia.

Subiicitur *maledicentia*. Græcè *χολοπαδός* facinorosus. Syrus. *Aut patrator malorum*. Tertul. *Aut maleficus*. Nominibus quidem generalibus, sub quibus etiam maledicentia continetur. Est autem homo maledicus, petulans, mordax, oblectator & procax, qui bonæ proximorum famæ detrahit, & aliorum vituperatione se laudabilem ostendere gestit. Seuerè autem prohibetur & damnatur à Spiritu sancto in Scripturis, vt potè: *Dixit* (1. iudici-

Exod. 20.
Deuter. 5.
Tob. 2.

Ephes. 4.

Serm. de decem plagis.

Exod. 22.
Prou. 4.

bus) *non detrahes: & principi populi tui non male dices. Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te*. Et Paulus grauitatem huius sceleris ostendit à pœna quæ illi reposita est, d. *Nec maledici, nec rapaces, Dei regnum possidebunt*. Et frater Domini scribit: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei. Qui detrahit legem, & iudicat legem*. Hieronymus explicās illud Ecclesiastes, *Si mordeat serpens in silentio, nihil ea minus habet, qui occultè detrahit*, ait: Serpens & detractor æquales sunt. Quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris sui virus in fratrem effundit, & nihil amplius habet à serpente. Augustinus: Plus nocent detrahentes Christo in membris suis, quā qui eius carnem mox resurrectionem peremerūt.

Connumeratur, *alienorum appetitor*, Græcè est *ἡ ἀεὶ ἀλλοθιοεπιόχοπος* quod alij reddūt, *curiosus rerum alienarum*. Alij, *alienorum inspector*. Tertullianus, *alieni speculator*: CYPRIANVS & Augustinus *curas alienas agēs*: omnia eodem sensu. Damnatur ergo curiositas nimia rerum alienarum, vel minus necessariorum, vel ad se nihil attinentium. Etenim qui rem alienā appetit, eam curiosè & libenter aspiciere solet. Oecumenius eum intelligit, qui calumniandi quærit occasionem: hic autem animi est scelesti: & apud omnes malè audientis. De hac scribit B. Thomas. Curiositas est vitium circa cognitionem intellectus & sensum ad peccandum, vt circa inspectionem ludorum, & mulierum ad concupiscendum. Bernardus eam appellat, primum superbiæ

Iacob. 4.
Eccles. 10.

In Psal. 102.

2. 2. q. 167.

L. de grad. superbie.

gradum. Gregorius autem de eodem scribit, Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandū vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit: vt aliena sciens, se nesciens, sit. Et curiosus animus quantò peritus fuerit alieni, tantò fiat ignarus sui. Eandem etiā Poëta prohibuerunt, scribentes: Curiosus nemo est, qui non sit maleuolus. Tua quod nihil refert, percontari desinas.

Plaut.

Terent.

Curiositatis quoque à B. Petro, qui in aliorū vocationē sese ingerunt, & sine ordinaria legitimāq; vocatione verbū Dei prædicare, sacramenta ministrare, & omnia curare & reformare volunt: cū talia neque intelligant, neq; facere iussi sint. Istitiusmodi fuerunt olim pseudopropheta, & nunc tēporis hæreseon ministri ac prædicātes, quos Dominus sic coarguit: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Docet autem Apostolus, nō minus cauendū ab ista curiositate, quā ab homicidio & furto. Ideo enim & Cyprianus scribit: fidelem non oportere ob alia delicta, nisi ob nomen solū puniri, vt Petrus ait in epist. ad Ponticos.

Ierem. 23.

L. 3. ad Quirin. cap. 37.

Si autem vt Christianos, &c.

Ista est secunda species crucis, quæ laudatur à Scriptura nimirum, propter Christianā pietatem, & iustitiam affligi ab improbis. In hac non est metuenda ignominia, aut pudendum supplicii: quin potius Deus laudandus, qui per has afflictiones nos reddit cōformes imaginis Christi filij sui, qui per crucis & mortis

Rom. 8. 7.

ignominiam intravit in gloriam suam. *Vide Luc. 24. immo IESVM, ait Apostolus, propter ignominiam mortis gloria & honore coronatum.* Et maximum planè Dei beneficium est, quod nos propter multa & grauissima peccata non modò afflictionibus & pœnis dignos, sed & natura mortales, velit ad tam honorificam militiam vocare; vt pro eius asserenda veritate, iustitia, & gloria, occumbamus, & honorificentissima morte in cœlos ad seipsum perducamur.

Hebr. 2.

Ergo ingrati sunt Deo, qui in persecutionibus pro Christo, & eius Sponsa charissima, fremunt, obmurmurant, vel fraguntur animis, quasi indignè tractarentur: cum potius illud in lucro suo reputare, & Dei gratiam agnoscere debeant. Quanta enim gloria, quod diuinæ veritatis testes, & Christi filij Dei coram toto mundo assertores simus? Paulus enim afflictos pro doctrina Christi sic alloquitur: *Vobis datum est pro Christo, vt non solum in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Et Dauid constanter dicit: *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Huc respiciebat Paulus cū de seipso, & primæ illius ætatis Christianæ religionis assertoribus, scripsit, *Gloriamur in tribulationibus, &c.* Et de Petro & Ioanne in Ierusalem cœsis, ait B. Lucas: *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Nam Christianorum cōtumeliæ, & supplicia pro Christo tolerata, non sunt decora, sed

Philip. 1.

Psal. 115.

Rom. 5.

Art. 5.

ornamenta.

Voce autem *Christiani*, & nomen simul, & professionem significat Apostolus, quoniam primis illis temporibus apud infideles vtrumque erat pro crimine. Testatur enim Iustinus martyr quandam sceminam, & duos viros, ab Vibico senatore Romano morti adiudicatos, quod Christianos sese professi essent. Qui & alibi scribit. Nomen siquidem nec laudem vllam nec poenam iure meretur, nisi accedant honesta vel improba facinora. Nec enim accusatos pro tribunali priusquam conuincantur, damnatis. In nobis vero nomen arripitis pro crimine. Quia Christiani sumus, reos agitis, & c. Subscribit his verbis Tertullianus. Ideo torquemur confitentes, & punimur perseverantes, & absoluihur negantes, quia nominis praelium est, & c. Et nos vidimus, expertique sumus Calvinianos, eorumque factores in Gallicis tumultibus, nomen Catholici, Sacerdotis, Monachi, & c. tanto habuisse odio, ut vel illico bombardulis, & gladiis, qui eiusmodi erant transfuerberent, vel de cruce suspenderent, vel aliis acerbissimis & mauditis poenis enecarent.

Ceterum huius Christiani nominis etymon à Christo mundi conditore, redemptore, & iudice deducitur: Christus autem à Chrismate spiritali, quo per Spiritum sanctum inunctus, prae cunctis participibus suis Deo, officioque suo dicatus fuit. Nam *χριστός* est à *χρῖω*, vngō, & *χρίσις* vinctio, & *χρῖ*

σμός vinctus. Et quidem, quod ad nostram appellationem attinet, ait Iustinus, sumus *χριστός*, hoc est comodissimi. Subdit Tertullianus: Christianus quantum interpretatio est, de vinctioe deducitur. Sed & cum perperam Christianus pronunciat à vobis, (ethnics) de suauitate vel benignitate compositum est. Cyprianus quoque docet. Necesse esse vngi eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, vinctioe, esse vinctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & vnde baptizati vnguntur, ait idem, oleum in alta ei sanctificatur. Augustinus consentit his verbis: Omnes vngimur, & omnes in Christo, & Christi, & Christus sumus: quia quodammodo totus Christus caput & corp⁹ est, & c. Atque de nominis etymo, & ratione.

Censet autem Tertullianus, Tyberij Imper. Romani tempore, nomen Christianum in saeculum introiuisse: quod vel maximè pater ex Actis Apost. vbi scribitur: illo tempore, Antiochia, primùm discipulos cognominatos fuisse Christianos. Inter Iudaeos vero longè antiquius fuisse nomen Christi, eò contendit Eusebius, quòd Moyses hominem in summum Dei sacerdotem consecrans, Christum, id est, vinctum appellauerit. Sed & Reges & Prophetas Hebraeorum, quonià Christum nostrum adumbrabant, ab vinctioe quadam Christos nuncupatos fuisse docet: tametsi nemo eorum subditos vel sequaces suos Christianorum nomine decorauerit. Quinetià ipsum Abraham, Cap. 4.

Apol. 1.

Apol. 2.

Apol. 2. c. 2.
Esa. II.Psa. 44.
Hcb.
Lec. 4.

Apol. 2.

Apol. 3.

Epi. 7.

N. III. 2. in
Esa. 26.

Apol. 2. c. 7.

A. II.

L. I. Hcb. 1. 2.

Cap. 4.

& alios primos Patriarchas, etsi non nomine, sed re ipsa fuisse Christianos, i. in Christum venturum credentes & sperantes, adfirmati imò etiam Christi appellatione donatos fuisse vel ex eo probat, quòd Deus dicat in Psal. mis: *Nolite tangere Christos meos, &c.* Hinc quoque fit, vt Cyrillus Alex. & Arnobius Romanus adfirmant, ante Mariam fuisse multas Christotocas, id est, Regum & Prophetarum matres: sed nullas præter illam, virgines & Theotocas, Dei matres.

Qui porrò Christiani nomine sint iure censi manifestum euadit ex superioribus, eos nimirum, qui in nomine Christi baptizati, & vncti, eius salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitentur. Ex quibus sequitur, Iudæos, Mahometanos, Ethnicos, Schismaticos, Hæreticos omnes illo salutari & glorioso nomine profus indignos & abdicatos esse. Scribit namque Tertullianus. Ouis propriè Christianus, & grex Domini Ecclesiæ populus, & pastor bonus Christus: & idèd Christianus non intelligèdus, qui ab Ecclesiæ grege aberrauerit. IDEM. Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt. Adstipulatur ita CYPRIANVS. Quisquis ille est, & qualiscunq; est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Et magnus Athanasius. Quum omnes à Christo, Christiani & esse, mus & diceremur, explosus est Marcion inuentor hæreseos; & qui eum secuti sunt, non iam christiani, sed marcionistæ appellati sunt. Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichæus,

& Simon Magus, sectatoribus sua vocabula impertierunt, &c. Qui ex eodè genere ad istos abeunt, aut ab Ecclesia ad hæresim transitum faciunt, nomen Christi derelinquunt. Augustinus de eisdem scribit: Si diligenter quæ ad Christum pertinet, cogitentur nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos, &c.

Quanta verò etiã cum ipsa fide & religione necessaria sunt, vt quis perfectus sit & nominetur Christianus, his verbis cõprehendit idè Augustinus. Ille verò Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino mouetur iniuria; qui alienū dolorè tanquam proprium sentit; cuius mensam nullus pauper ignorat, qui corã hominib; inglorius habetur, vt corã Deo & Angelis gloriatur: qui terrena cõtènit, vt possit habere cælestia: qui opprimi pauperè se præsentè non patitur: qui miseris subuenit: qui ad fletum fletibus prouocatur alienis, &c. Ex quibus quilibet facile colligere potest quàm pauci sunt in tantis turbis & populis baptizatis viri Christiani. Sed de his pro loco satis: ad Apostolum redeo.

Glorificet Deum in isto nomine.

Qui affligitur, inquit, proptèrea quod Christi religionè profiteatur, eundèmq; imitatur pro virili, non id sibi ignominiosum existimet, neque Christum abneget quò ab hac molestia liberetur: sed Deum laudèt, eidèmq; gratias habeat, quod sit Christianus, quod per Christum iustificat' & vocatus ad spem regni

*Psal. 104.
Episto. ad
Aegypt. mo-
nachos
Consiliu.*

*L. de pudici-
ticia.*

L. præscript.

Epist. 52.

*Orat. 2. cõtr.
Arrianos.*

Enchir. c. 5.

*L. de doctri.
Christ.*

480 COMMENT. IN CAP. IIII.
cælestis, quod dignus reddatur qui de eius diuinitate ferat coram ingrato mundo isto testimonium, & quod ad martyrij gloriam vocetur, &c.

Et reuera magnum laudandi Deum argumentum, ingensque simul piis animis consolatio est, quod cum propter peccata digni simus, quibus Dominus plurimas & grauissimas pœnas immittat: vult nihilominus nos pati propter iustitiam, atque si essemus innocetes. Insuper, pœnis nostris amplissimas cælestesque gloriæ coronas pro mercede paratas habet. Nam de his dicitur: *Isti sunt qui venerunt de magna tribulatione. Ambulabunt mecum in albis. Beati qui in Domino moriuntur.* Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus, &c.

17. *Quoniam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primum à nobis; quis finis eorum, qui non credunt Euangelio?*

18. *Et si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Octaua ratio ferendæ crucis pro Christi nomine, desumpta ab æquitate diuini iudicij. Têpus nûc est, inquit, vt punitio & castigatio peccatorû inchoetur à sanctis & seruis Dei, in quibus tanquam in domo ac templo suo inhabitat. Tempus est vt Dominus purget aream suam, triticum congreget in horreû suum, zizania verò tradat ad comburêdû. Tempus est
mitioris

mitioris iudicij Dei, quo temporariis pœnis ad purum examinet credentes in se, reddatque idoneos consortio Christi filij sui. Tempus aduenit, quo euidentes & manifestos esse vult eos, qui verè credunt & sperant, qui verè constantes sunt & patientes, quique perseuerantes vsque in finem. Res prosperæ non satis arguunt veram pietatem. Mosaicæ ceremonias seruare potest & hypocrita: sunt etiam qui ad tempus credunt in Christum. At iacturam rerum suarum, odia mundi, probra, carceres, flagra, mortem denique pro Christo nemo feret æquo animo, nisi qui fidem inuictam cum euangelica charitate coniunxerit. Ad hæc se præparent, qui volunt olim regnare cum Christo. Iudicium, id est, exploratio & probatio ista incipiet à domo Dei, quæ est Ecclesia. Quod si tanta purgatione nobis opus est, qui credimus Euangelio, sacris vndis sumus renati: quis finis, quod iudicium, quæ pœna manet illos, qui persistunt in incredulitate, & flagitiis? Si sic examinantur & probantur hîc, qui simpliciter credunt & obediunt Euangelio: quid futurum est iis, quos Euangelij prædicatio reddit etiam deteriores? Etsi qui iustè viuunt, nullius mali sibi conscij, non sine periculo laborèque perueniunt ad portum salutis æternæ: quæ spe comparebunt impij in iudicio tam exacto tamque formidando? Ergo magno præsentique animo ferendæ sunt nobis pro Christo persecutiones, quæ & nos illi conformes reddunt, & aptant cælesti atque glorioso consortio.

Beda ven. hîc obseruat, duplex esse Dei de nobis iudicium, vnum occultum, & aliud mani-

festum. Occultum esse probationem ac pœnam illam, qua in præfenti sæculo vnusquisque nostrum aut exercetur ad purgationem; aut moneatur ad conuersionem; aut si contemnit Deum ad se vocantem, excæcatur ad condemnationem. De purgatione quidem Paulus ait: *Dum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Ad idem iudicium pertinent quoque Davidis, Ionæ, Ezechix, Iosix, & omnium ferè Sanctorum in sacris descriptæ calamitates. Sic enim tanquam aurum in fornace, probauit & purgauit electos suos Dominus. Et de quorundam conuersione per huiusmodi temporaria flagella, David scribit: *Imple facies ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* His enim pœnis affecti Israëlitarum, sæpe clamauerunt ad Dominum, & liberauit eos. Nabuchodonozor, Manasses, multi alij subacti redierunt ad cor. Pharao verò cum suis Ægyptiis, Herodes, Annas, Caiphas, Pilatus, Nero, Iulianus, Valens, Copronymus excæcati sunt ad æternam perdicionem. Manifestum iudicium erit, quando Christus aduenerit in maiestate sua, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Tunc enim & piis reddet plenam mercedem laborum suorum: & impiis quos nec verbis nec flagellis ab impietate reuocare potuit, dicit: *Itē maledicti in ignem æternum.* Nunc quidem in bonis ducit dies suos: sed in puncto ad inferna descendunt. Receperunt bona in vita sua, tunc verò in æternū cruciabantur. Beatus ergo quem tu hinc erudieris & castigaueris Domine, vt mitiges ei à diebus malis. Hic vire, hic seca, vt in æternum parcas.

I. Cor. II.

Sap.

Psal.

Matth. 25.

Sap.

Iob. 21.

Luc. 16.

Occumenius diui magnique Basilij citans interpretationem, notat nomine *iudicij*, indagationem, scrutationē, & discussionem ad eligendum id quod melius est, hoc Petri loco significari. Incipere autem à domo Domini, quoniam naturaliter his, qui nobis familiarissimi sunt magis indignamur cum in nos peccauerint: Deo autem non alij familiariores sunt, quàm fideles qui complent domum Dei, siue Ecclesiam. De hoc autem iudicio, id est, afflictionibus quæ ab impiis infliguntur fidelibus, à Domino prædictum esse: *Tradent vos in concilijs & Synagogis suis, Matth. 10. & ducent ad Reges & Præsides, & flagellabunt Luc. 17. vos, &c.* Item. *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, Ioan. 16. arbitretur se obsequium præstare Deo.* Quæ omnia tam ex Actis Apost. quàm ex historiis Ecclesiasticis certissima & verissima fuisse comprobantur.

D. Augustinus hinc colligit, iustitiæ diuinæ tantam esse constantiam, vt cum pœna sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, præsertim tamen cruciatūsque corporales, quibus etiam Martyres excitatos nouimus, postremò mors ipsa nulli relaxetur. Ideo Paulum neminem excepisse cum dixit: *Quem diligit Deus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Vnde & Iob pœnas corporis pro peccatis suis se exoluere sæpe testatur. Et Petrus manifestè ostendit easdem ipsas passiones, quas iusti patiuntur, ad iudicium Dei pertinere: quod inchoari dixit ex domo Dei: vt inde conijciatur, quanta impiis futura seruantur. Et Paulus adfirmat Thessalonicensium persequutiones & pressuras *in exemplum iusti in-*

To. 4. Expositio. epistol. ad Rom. in-choate.

Hebr. 12.

2. Thess. 1.

L. 12. cont.
Kauf. L. 14.

Rom. 8.

1. Pet. 4.
Iob. 1.
Apoc. 3.

L. 12. cont.
c. 1. et 2.
Ips. 14.
Luc. 10.
Matth. 2.
2. Pet. 1.
Gen.

Luc. 13.

Act. 14.

484 COMMENTARIA IN CAP. III.

dicit Deū positus esse. Idem rursus alibi, hoc ipsum confirmat ex eo, quod Paulus iterum dicat: Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Quid ergo euidentius, quod nec iustis parcat, emundans eos varietate tribulationum, cum de hac re aperte sit dictum: Et si iustus vix saluus erit? Si bona percepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Ego quem auro, arguo & castigo, &c.

Idem iterum tradit, Deum quidem ab initio mundi, & deinceps multis suppliciis animaduertente in peccata angelorum & hominum, vt patet ex damnatione cacadæmonum, quando angelis peccantibus non pepercit: item, ex suppliciis Adæ, Euz, Caini, Sodomeorum, &c. nihilominus hîc dicitur à Petro, inchoatum esse suo tempore iudiciū, idque à domo Dei, i. creditibus, quia tunc non solum voce prædicatū est mundo venturum iudicium: sed & opere ostendit Deus, quā seuerè sit vindicaturus peccata impiorum, quando tam horribiliter afflixit sanctos Martyres. Si enim in florentibus ac fructiferis arboribus illis talia facta sunt, in sterilibus & aridis quid fiet? Si hîc cruciat quos amat, & flagellat filios, quid debent expectare serui nequissimi?

Et si iustum vix saluabitur, &c.

Rationem illustrat & confirmat veteris Scripturæ testimonio: & ducit argumentum à minori ad maius. Vir pius qui minora videtur habere impedimenta ad salutem, ad illam non peruenit nisi plurimis exercitatus, probatus, & purgatus aduersis. Nam per multas tribulationes oportet nos

intrare in regnum calorum: & qui pie voluit vivere in Christo, tribulationem patientur. Quomodo ergo vir impius, qui tot obstaculis septus est, tot vinculis astrictus mundo, carni, & diabolo, in cælos perueniet? Certè facilius est camelum per foramen acus transire, quàm huiusmodi hominem ingredi in regnum Dei, & cum sanctis illuc apparere & consistere.

Locum Scripturæ desūmit Apostolus ex Pro-
uerbiis, & cum iuxta editionem Septuaginta: 31. quod non parum eorum translationem confirmat, aduersus Nouatorum cauillationes & calumnias. Vulgata editio nostra Latina, magis accedens ad Hebraicum contextum habet: *Si iustus in terra recipit, quantò magis impius & peccator?* Omnia eodem sensu, hoc nimirum, iuxta ven. Bedam. Si tanta est fragilitas humanæ vitæ, vt nec iusti quidem, qui in cælo coronandi sunt, sine tribulationibus propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem, transeunt: quantò magis hi qui cælestis gloriæ sunt extorres certum damnationis suæ perpetuæ exitum expectant?

Nomen autem peccatoris hîc sumitur pro eo qui in Deum lethaliter peccat, & iram eius in caput suum accersens, contemnit & ridet eius minas & iudicia, sicque etiam impius est & dicitur: licet alibi hæ duæ voces nonnihil discriminis habeant. Sic enim Paulus eandem permiscet dicens: *Si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus est, &c.* Alioqui omnes & in peccatis concipimur & nascimur: & Sancti qui in cælis æuo cælesti & beato perfruuntur, peccatores quondam fuerunt.

Hic porro quæstiones aliquot oriuntur quarum dissolutione, & sensus, & vsus præsentis loci clarius patebit. PRIMA, cur oporteat afflictiones à Deo immixtas incipere à familia sua, & seruos eius tam duris & asperis in hoc sæculo exerceri, vt cum tantis laboribus saluentur? Respondeo, primò quoniam & ipsi qui dicuntur iusti & sancti, in peccato originali concepti & nati sunt filij iræ, ideòque debitores præsentis sæculi calamitatum, ærumnarum, mortis, atque sempiternæ à glorioso vultu Dei nostri abdicationis & separationis. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, ait Apostolus, & *per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*. Deinde, quandiu etiam hinc supersunt, sensus & cogitationes eorum non solum prona sunt ad malum ab adolescentia, verum & à propriis concupiscentiis abstracti & illecti, in multis offendunt omnes. Et siquidem vniuersos per Deum viuum adiuraremus, nam aliquando peccassent aut in Deum, aut in proximum: aut verbo, aut cogitatione, aut opere ingenuè responderent: *si dixerimus, quoniam peccatum non est*. Cunctis enim præceptum est à Domino suppliciter petere à Patre cælesti, *Dimitte nobis debita nostra*: non humilitatis mendacio, sed veritatis iudicio. Ergo non iniuria pœnis istis temporariis à Deo exercentur ij, quos in famulatum suum asciuit, & prædestinavit conformes facere imagini Filij sui: quapropter his subacti, cum Propheta ex toto corde concinunt: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operi-*

Eph. 2.
Psal. 50. &
53.

Rom. 5.

Gen. 6. &

Matth. 6.

bus suis. In huiusmodi namque afflictionibus prudenter & sapienter animaduertunt, quàm districta sit iustitia Dei aduersus peccata, per quoscumque committantur, & quantum illis irascatur. Mirantur & adorant hoc iudicium, quo Angelis percussoribus præcipitur: *Incipite à sanctuario meo*, per quod sanctorum & credentium cœtus designatur.

Ezech. 9.

Postremò, vt sanctorum (quorum quotidiana peccata Deus hinc tam seueriter plectit) exemplo discant homines profani & impij, quàm grauioribus ac sempiternis suppliciis digni sint propter atrociora scelera, in quibus consenscunt atque moriuntur. Oportet planè horrendum istos manere iudicium, cum illi tam acriter flagellentur vt salui fiant. Christus narantibus sibi quosdam turris Siloë oppressos casu, & alios à Pilato cum oblationibus suis mactatos, & has calamitates peccatis illorum imputantibus, respondit. *Putatis quod hi, præ Luc. 13. omnibus peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, &c.*

Secunda quæstio. Cur tam difficilè & laboriosè saluatur iustus? Respondet in primis B. Thomas, primò propter meritum inopiam, *quia non sunt cõdignæ pœnes, &c.* Secundo, propter corporis & animæ contrarietatem, quia *caro concupiscit aduersus spiritum, &c.* Tertio, propter carnis grauitatem & corruptionem. Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Quarto, propter viæ arctitudinem, *quoniam arcta est via, que ducit ad vitam.* Quinto, propter bonorum

Rom. 8.

Gal. 5.

Matth. 7.

operum difficultatem, quia virtus consistit circa difficile. Sexto, propter iustitiæ nostræ incertitudinem. Nam ille sunt tanquam pannus menstruatae. Gregor. Sordet in discretionem iudicis, quod in consideratione fulget operantis. Septimo, propter iudicij distractionem. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, &c.* Anselmus. Quæ nunc bona esse putas, quæque nunc mala esse non putas, apparebunt in iudicio nudata facie ingentia peccata. Hactenus ille.

B. Ambrosius inde colligit nobis omnibus peccatoribus valde pertimescendum, & à peccatorum occasionibus sollicitè cauendum, scribens: Si David infirmus, tu fortis? Si Salomon lapsus est, tu immobilis? Si Paulus primus peccatorum, tu potes esse primus sanctorum? Iusti errauerunt tanquam homines, sed peccatum suum tanquam iusti agnouerunt. Si iusti pœnæ atrocioris exceperunt sententiam, tu quomodo tibi spem impunitatis proponis, cum Scriptura dicat: *Si iustus vix saluus fit, peccator & impius ubi parebit?* Idem rursus. Si consideres quia iustus vix saluus fit, intelligis profectò & ipsius nonnumquam titubare vestigia, quia Deus patitur iustos sæpe tentari, quò magis probentur tentationibus eruditi.

Author commentariorum in Marcum qui D. Hieronymo tribuuntur, docet Ecclesiam repleti spiritu timoris Domini, quia iustus vix saluabitur: qui rogat. Non intres in iudicium, &c.

Hieronymus ipse de eodem Apostoli loco ita differit. Quis mortalium aliquo errore non capitur? quem hæreticorù venena non maculant?

Isa. 64.

Psal. 143.

Poster. ap-
log. pro Da-
uid. c. 3.Psal. 6.
3. Reg. II.
1. Tim. I.1. Petr. 4.
In ps. 43.

In c. 12.

Dialogo 2.
adu. Pelag.

Certè iustus est, qui in die iudicij vix saluabitur. Saluaretur autem facilè, si nihil in se haberet maculæ. Ergo iustus est in eo, quod floret multis virtutibus: & vix saluatur in eo, quod in quibusdam Dei indiget misericordia. Hæc illi: ex quibus secunda quæstio dissoluitur, & subuertitur tam veterum Pelagianorum, quàm istius sæculi Gnosticorum nimia de salute propria securitas, & impia de æterna electione præsumptio.

Tertia quæstio. Cur Deus electos ac seruos suos tantis periculis amittendæ fidei iustitiæ, & gratiæ semel acceptæ subiacere permittit? Cur tot peccatis & afflictionibus obnoxios manere? Respondet ven. Beda. Vt ostendatur, quòd meritò fuerit tota natura hominum damnata, non vult facilè de tanto malo nec ipse omnipotens homines liberare. Propter quod & peccata procliuia sunt, & iustitia laboriosa, nisi amantibus. Hoc & Augustinus antea respondebat, dicens. Ne in omnibus facilitatem assequuti, nostrum putemus esse quod Dei est: qui error est multum religioni pietatique contrarius. Inscrutabile est autem, cur non alia potius ratione curet Deus superbiam nostram, & hunc impium contra gratiam eius errorem, quàm relinquendo nos in multis periculis. Adde quod hæc pericula ad orandum compellunt: insuper & quod perseuerantia singulare donum Dei sit, & hominem libero mentis arbitrio præditum esse palam manifestant.

Ex his demum consequitur, nobis non esse securè voluptuandum aut delitiandum, sed potius continuò vigilandum & cauendum à tot peri-

L. 2. de pecc.
mer. & re-
miss. cap. 19.
& l. 4. cõtr.
Iul. cap. 3. &
l. de nar. &
grat. cap. 27.
& 28.

culis & hostibus, quibus circundamur. Hoc ipsum est quod tam frequenter & grauiter admonet Christus D. *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus est. Si sciret paterfamilias qua hora fur ueniret, &c.* Ad hoc spectant etiam mox subiectæ de feruis, & virginibus uigilantibus, & rebus suis prospicientibus parabola: simulque ad Apostolos isthæc pronuntiata? *Vigilate, & orate, ne intretis in temptationem, &c.*

Matth. 24.

Matth. 25.
& 26.

19. Itaque & hi, qui patiuntur secundum uoluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in beneficiis.

Hæc est postrema huius capituli admonitio, quæ tribus articulis absoluitur. Primus est, quod non nisi Deo sciante atque uolente afflictiones piiis uiris adueniunt. Secundus quod illarum euentus & finis Deo sit commendandus. Tertius, quod iniuriæ non sunt improbis retaliandæ, sed potius beneficiis cum eis certandum. Quoniam hæc est Dei uoluntas, inquit, ut sancti & electi sui transeant per ignem & aquam antequam perueniant in refrigerium: ferant persecutiones toleranter, deponantque animas suas sic malè habitas apud Deum illorum conditorem: qui fidelissimus omnium depositarius cum sit, non sinet eas tam studiosè creatas, & tam carè redemptas, è manu sua elabi aut perire, modò (uindicta omni relicta illi) in beneficiis certâ suâ electione faciant, quotquot uocati sunt ad uitam.

Primum, omni obseruatione dignum est, afflictiones piorum, adeoque persecutiones Ecclesie

seu generales, seu particulares, non nisi uidente, sciante, & uolente Deo immitti: ne cogitemus eum in aduersis nostri oblitum esse, ac proinde desperantes & blasphemantes aduersus illius prouidentiam, animis frangamur ac deficiamus. Tertullianus hoc ipsum plurimis & ualentissimis argumentis comprobatur contenditque id necessarium esse ad probationem, vel reprobatione seruorum Dei. Hæc est pala, inquit, quæ dominicam aream purgat, discernens frumentum martyrum, & paleas negatorum. Gloria Dei est probantis & reprobantis, ponentis & deponentis. Quod autem ad gloriam Dei pertinet, utriusque ex uoluntate eius adueniet. Non potest diabolo dputari eam, quæ meliores efficit dei seruos. Nihil Satanæ licet in seruos Dei, nisi permiserit Dominus. Habes exemplum Iob. In Apostolos facultate tentationis postulauit, non habens eam, nisi ex permissu. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset, tantum abest ut in oues Dei habeat, &c. Eusebius referens Aurelianum imper. tum morte percussum, cum persecutioni Christianorum subscribere uellet, subdit: ostendit deus quia non cum uoluerit Tyrannus cruciamur: sed cum probauerit ipse corripimur. Notum est quot prodigiis caelestibus reuocatus fuerit Valēs, ne S. Basilium prosciberet.

Notandum secundò, quod qui iuxta misericordem Dei dispositionem affliguntur, ne cum hoc mundo damnentur, nihil debet de propriis uiribus confidere, nihil de meritis suis uelut propriis gloria: non temerè irruere in pericula: sed omnino de seipsis diffidentes Diuine bonitati, gratiæ,

L. de fuga in persecuti.

Matth. 3.

Iob. 1.

Luc. 21.

Matth. 8.

L. 7. hist. cap. 26.

492 COMMENTARIA IN CAP. I. IFF.
atque misericordie commendare animas suas, vt
quas sua potestate creauit, prouidentia quoque
sua conseruet, confortet, & saluet in æternum.
Christum pastorem suum imitetur, qui feruen-
tissimis & humilimis precibus agonem instantis
passionis suæ Patri commendauit: & moriens
dixit. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*
Stephanum quoque exaudiant exclamantem:
Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Multos nam-
que inuenire licet apud Cyprianum, Eusebium,
& Nicephorum, qui de se præsumentes Chri-
stum in tormentis turpiter negauerunt. Petri
fœda negatio, & Origenis miserabilis lapsus
etiam vulgo notissimus est. Itaque qui stat, vi-
deat ne cadat.

Oecumenius inde colligit, non tantum vulgus
Christianorum, sed & eos qui persecutionem
patiuntur propter iustitiam debere sollicitè com-
mendare Deo animas suas benefaciendo, cum
omni modestia animi, & non se extollere quia
patiuntur propter iustitiam. Rursus, neque pro-
pterea cessare, sed quantum maiora pati videbun-
tur, tantum firmitus Deo inherere, seque existi-
mare seruos inutiles, eidemque cum tribus pueris
dicere: *Iustus es Domine, in omnibus quæ fecisti nobis.*
Peccauimus enim & inique egimus, &c.

B. Hilarius ex hoc eodem Apostoli loco stre-
nuè contendit, euincitque aduersus Arrianorum
perfidiam, Dominum Iesum, non esse creaturam,
sed Creatorem, non tantum animatum nostra-
rum, verum & omnis militiae cælestis. Non ergo
Dominum Christum, ait, creaturam quia ipse
est qui creauit omnia: neque facturam, quia fa-

cturatum omnium ipse est Dominus: sed Deum
nouimus, Deum Dei Patris propriam genera-
tionem. Per illum creata omnia sunt, & idcirco
proprium ei nomen est, vt Creator sit. Testis est
Petrus ita scribens: *Quasi fideli Creatori commendan-
tes animas vestras.* Idem etiam sensit & docuit Cy-
rillus Alex. lib. 9. Thesauri. cap. 2.

Tertio & postremo loco docet hic Apostolus,
tempore persecutionum & calamitatum non
esse cogitandum de priuata acceptatum iniuria-
rum vltione: sed è contrario, de hostium & per-
secutorum æterna salute, nimirum, vt eam ame-
mus, queramus, & bene ipsis faciendo, ac pro eis
ex caritate orando procuremus. Sic enim Chri-
stus pro tortoribus & inimicis suis orauit: *Pater
ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et ne homi-
ni nudo atque peccatori istud impossibile esse
causaremur, Spiritus sanctus voluit in scripturis
propositum esse nobis exemplum protomarty-
ris Stephani, qui positus in terram genibus pro
lapidantibus se precatus est: *Domine, ne statuas
illis hoc peccatum.* Item D. Iacobi, qui de altissimo
templi loco præcipitatus, con fractis cruribus,
manus tendens in cælum, pro inimicorum salu-
te orabat: *Ignosce eis Domine, quia nesciunt
quid faciunt.*

Refert etiam Eusebius ex Smyrnenfis Ecclesie
ad Ponti Ecclesias epistola, B. Polycarpum qua-
rentibus se ex proposito occurrisse, cum sereno
& placido vultu collocutum esse, & mensam ap-
poni iussisse, factaq; oratione, cum illis ad mor-
tem (qua paulò post flammis absumptus est)
perrexisset. B. Ignatius indicans sua in decem mi-

Ioan. 2.

1. Pet. 4.

Luc. 23.

Act. 7.

Isidor.

L. 4. hist.

cap. 34.

Ep. ad Rom.

Matth. 26.

Luc. 23.

Act. 7.

Matth.

L. de Tri-

nit.

CAPVT QVINTVM.

1. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, confessor & testis Christi passionum: qui & eius quæ in futuro reuelanda est, gloria communicator.
2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè:



PRÆSENTI capite vltimo redit ad locos communes, seu officia virorum Christianorum: ac primo loco docet, quod sit officium Seniorum, id est, Pastorum & rectorum Ecclesiæ. Secundo, quid iuuenes deceat. Tertio, omnes ad sobrietatem, & vigilandi studium excitat. Quarto, eleganti & graui epilogo totam epistolam claudit.

Seniorum autem, seu Præbyterorum quod Græci legunt, nomine, Præfectos & rectores Ecclesiarum intelligit: siue hi maiores sint quales Episcopi, siue minores, cuiusmodi sunt Paroeci, qui minoribus Ecclesiis sub Episcopis præficiuntur. Syrus namque initio huius cap. notat, illud inter suos legi Dominica 14. post Pentecosten, in creatione Episcoporum. Etenim Præbyteri nomen ac officium etiam in Episcopi nomine continetur, licet non è contrario, vt etiam docet B. Hieronymus. Esse autem nomen officij & dignitatis potiusquam ætatis, idem probat, quod Paulus Tito præcipiat *cōstituere per singulas* Tit. 1.

494 COMMENTARIA IN CAP. IIII.
lites ethnicos, ceu potius lictores, eum Romam per bestias deuorandum perducentes, benefacta, scribit: A Syria Romam vsque cum bestiis depugno, per terram, per mare, nocte dieque, colligatus decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt: qui etiam beneficiis affecti, deteriores euadunt. Sed & gloriosissimus martyr Cyprianus, capite mox minuendus, præcepit astantibus sibi Christianis, dare viginti aureos suo spiculatori: ad eò in hostes & torrores suos benefici fuerunt primi Christiani.

Rursum, præcipit Apostolus, vt hi qui pro Christo affliguntur, Deo fidissimo custodi commendent animas in benefactis, hoc est, neque mudi huius odio, neq; hominũ ingratitudine, neq; tyrannorũ immanitate à bene credendo, cõfitendo, & operando deterreantur: sed cõstanter in his pergant tanquam Deo illos spectante, & illos ad brauium cælestis gloriæ vocante. Sic & Paulus docet: *Bonũ facientes, non deficiamus tempore enim suo metemus.* Et alibi, propositis plurimorũ sanctorum & martyrum exemplis, infert: *Tantam habentes nubem testium, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, afficientes in auctorem fidei nostræ & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet.* Quoties igitur pro Christiana pietate, pro sacramentis, pro Ecclesia catholica, vel conuitia nobis ingeruntur, vel inferuntur damna facultatum, vel malè afficiuntur corpora nostra Christi, & beatorum Martyrum exemplis nos consolemur, cõfidentes quòd nostrum est regnum cælorum.

Actus passionis.

Gal. 6.

Heb. 11.

Matth. 5.

Epist. 85.
tom. 2.

Tit. 1.

1. Tim. 4. *ciuitates Presbyteros: & Timotheo dicat, Noli negligere gratiam quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterij: praeerea, quod Petrus velit eos ἑπισκοποιῶντες, id est, superintēdentes esse gregi: unde & nomen Episcopi tractum est. Deinde, quod discipulus quem Iesus amauit plurimum, quemque nemo dubitat verē Presbyterum, Episcopum, imō & dignitate Apostolum fuisse, non semel se Presbyterum appellat. Quis enim nisi mentis compos dicat vel Paulū, vel Titum, vel Timotheum, manuum suarum impositionibus aliquibus vel canos accersuisse, vel aratam rugis frontem, vt viginti quinque, vel triginta annos natus, illico senex & decrepitus sit? Aut pascendi gregem cura committatur, nisi cui ex officio & potestate incumbat? Aut denique, Petrus συμπεροβύτερος, hīc non appelletur, eō quod potestatem pascēdi gregis sui Christus illi commisisset? Cuius ergo manifestum est Hugnosticos tota aberrare via, cūm Presbyteri nomen ac munus ad quosdam laicos, id est, profanos homines, nullis sacris initiatos, ac vt plurimū, cerdones, coriarios, fabros, pannarios, agafones, bubulcos pertrahunt & rapiunt.*

Nec minus ineptos ad summam impudentiam sese ostentant, cūm ex hoc loco contendunt, Petrum nullum ius primatus, nullumque in collegas imperium habuisse, quod Compresbyterum se nuncuper: quandoquidem nulla vrgebatur necessitate, vt id illo tempore faceret. Quemadmodum ergo Christus non abdicat se summa in omnes potestate & iurisdictione, cūm se fratrem nostrum, se seruum & ministrum dicit, idque opere

IOAN. 20.
MATTH. 20.
IOAN. 13.

opere comprobatur: ita nec Petrus inficiatur se *Matth. 16.*
Claues regni caelorum accepisse, nec à Christo *Luc. 22.*
sibi dictum, *Confirma fratres tuos: Pasce oues meas,* *IOAN. 21.*
Pasce agnos meos, quando Compresbyterum se appellat.

Omnes igitur illos qui praesunt Ecclesiis, & quibus cura sacrorum, & animarum commissa est, ita B. Petrus Apostolorū vertex, & summus sub Christo totius Ecclesiae pastor & rector conuenit. Vos appello Presbyteri; ac Episcopi, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam, quam *Act. 20.*
Christus acquisiuit & lauit sanguine suo: vos cō- *IOAN. 10.*
uenio seniores & custodes renati per lauacrū sacrum populi, vos appello pastores dominicarū ouium, Pastor & ipse; qui quod doceo, re factifque praestiti: quippe pro Christi nomine carceres & flagra perpeffus, ad crucem etiam paratus *Act. 4. 5. & 12.*
vbi volet Deus, atque idem optimam spem habens fore, vt quem ille dignum habuerit vt pro ipso pateretur, eundem sit ad glorię caelestis consortium admissurus, simul atque venerit ille dies, quo declarabit orbi maiestatem suam, & finitis certaminibus proferentur praemia, &c.

Primum autem in his considera, summam, dignamque eximio omnium praesuli de totius gregis salute curam atque solitudinē: quando non contentus generalem de fide & religione doctrinam primo huius Epistolae capita tradidisse, nunc singulos ordines instituit, & suorum admonet officiorum, prudenter incipiens à Pastoribus, quandoquidem ex his omnium maximē incolumitas totius Ecclesiae dependeat. Dictum quippe illis est: *Vos estis lux mundi. Vos estis sal ter-*

Matth. 5. *ra. Quod si sal euauerit, in quo salietur? Si piscis à capite fœreat, totum corpus corrumpatur necesse est. Et si pastor desit officio suo, facilè dispergentur & rapientur oues. Si dormierit paterfamilias, inimicus superseminabit zizania. Absente Moyse, populus Israël citò declinauit ad impium & abominandum cultum vituli, &c. Sic enim valde perfectos & irreprehensibiles eos esse volebant Apostoli, scribit martyr Irenæus, quos successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij eis tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.*

Ioan. 10.

Matth. 13.

Exod. 32.

L. 3. cap. 3.

Exorditur autem à descriptione suæ personæ, vt eorum quæ dicturus est maiorem fidem faciat, simulque benevolentiam & attentionem capter. Tria porrò de seipso dicit. Primum, quod sit *Consenior*, id est, *Compresbyter* & *Coëpiscopus*, eiusdem cum eis ordinis atque officij, ac idcirco iurè cum his agat, eosdem familiaritè admonet, vt eodem secum animo inuigilent commissò gregi. Ecquisnam melius Pastoribus & rectoribus consulat, quàm alius pastor, idemque Apostolus, cui dictum est à filio Dei: *Pasce oues meas?* In hoc autem attende singularem B. Petri moderationem ac humilitatem. Cùm enim suo iure posset se primum Apostolorum, ac summum totius Ecclesiæ secundum Christum nuncupare, plurimisque dignitates sibi à Domino concessas laudare, & præcipere: consultò ab his abstinet, & se *Compresbyterum* & *Coëpiscopum* appellat, & per sacra illos rogat & obsecrat. Verus certè

Ioan. 21.

æmulus ac imitator demissionis Christi Domini, qui longè frequentius se filium hominis nuncupat, quàm filium Dei: præcipitque vt à se præsertim discamus, quòd mitis sit; & humilis corde. Ioannes quoque inter peccatores se connumerat, & Paulus se primum peccatorum esse fateri non erubescit: tam ab omni fastu quo nunc plurimi turgent, alieni fuerunt sanctissimi Apostoli.

Secundò, vocat se *testem passionum Christi*, tum quia propriis oculis viderat illum in horto tementem, proprio sudore sanguineo madentem, captum, vinctum, consputum, crudelissimè interemptum, &c. tum quòd propter illius testimonium multis afflictionibus, periculis, & tormentis quotidie exerceretur: sicque duplici nomine omni fide dignissimus haberetur. Nam & quod ipse viderat in passionibus Domini, prædicabat: & eadem passiones in carne sua referebat, sicque fidei suæ certissimum dabat experimentum. Summum enim genus testificandi doctrinam Christi est cruciari & mori pro Christo: ideòque moriètes pro illo per antonomasiā vocantur Martyres, id est, testes Christi. *Hoc* inquit, *continget vobis in testimonium*: nimirum, cùm iniicient vobis manus suas, & persequentur, trahentes in synagogas & custodias, ad reges & præsides, &c. Sic & Paulus non rarò sua pro Christo vincula, suas cruces, allegat: imò etiam stigmata Domini Iesu, quæ in corpore suo portabat, in his gloriatur, tanquam fidissimus veritatis illius præco, & qui non perfunctoriè sed serio munus suum obiret.

*Matth. 11.**1. Ioan. 1.**1. Tim. 1.**Matth. 26.**Matth. 10.**Luc. 21.**Mar. 13.**2. Cor. 11.**Gal. 6.*

Simul etiam exemplo suo docet Petrus, Pastorum & doctorum Ecclesie opus esse, ut patientia in aduersis, & constantia fidei in persecutionibus diligentiam suam probent: alioqui non videbuntur satis Christum & Apostolos referre, nec vera dicere de salutis negotio. Hinc Christus à duobus Discipulis petit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Et adfirmat tum eorum, cum aliorum omnium nomine: *Calicem meum bibetis, &c.* Et subiicit: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit minister vester, &c.* in omnibus magnam in rebus aduersis tolerantiam à pastoribus & præfectis requirens: & ne quid propter pœnarum metum dissimulèt, sed liberè quæ sunt pietatis doceant, integritatem morum seruent, & pro veritate occumbere nihil addubitent. Præter Christi, & Apostolorum exempla, Clementis, Ignatij, Polycarpi, Dionysij, Irenæi, deinde Athanasij, Basilij, Ambrosij, Chrysostomi nobilissimorum præfulum res gestas cõtèmplentur, sequantur, &c.

Qui hodie noui Apostoli, ac Euangelici videntur, non Presbyteri, sed verè profani, ac veterum hæresiarcharum Simonis magi, Elymæ, Nicolai, Valentini, Marcionis, Manichæi, Nestorij, Pelagij, Vigilantij, Aërij, Berengarij discipuli ac imitatores sunt: qui non tantùm nihil patiuntur propter Christum, aut veræ religionis Christianæ doctrinam: sed etiam ipsius perfectiones lacerant, sacramenta labefactant, verba corrumpunt, & Catholicæ Ecclesie propugnatores cum fortiores euadunt, omnibus tormentis conficiunt.

Math. 20.

Tertio, Petrus se dicit futuræ gloriæ Christi *τὸν κοινὸν* 1. consortem & participem: nempe, spe bona, his promissis innixa, *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes tribus Israël, &c.* Aut etiam speciali quadam suæ mortis & gloriæ instantis reuelatione, de qua dicit: *Certus sum quod velocitè est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus reuelauit mihi.* Reipsa verò communicata B. Petro fuerat gloria Christi in gloriosa eius transfiguratione, postea in eius resurrectione, denique mirabili in cælos ascensione: quandoquidem magnorùm huiusmodi mysteriorum spectator, & testis oculatus erat. Quantæ verò impietatis esset, summum Ecclesie pastorem non audire docentem, ac Christi martyrem contemnere, aut à Christo pro certo glorificandum non suspicere ac vereri?

His autem docet, quò nos aspicere & suspirare debemus, quando pro Christi nomine, ac sponsæ eius, id est, Catholicæ Ecclesie defensione à tyrannis vel hæreticis affligimur, videlicet, ad cælestia æternâquæ præmia his laboribus terrenis & breuibus répromissa. Ait enim qui non mentitur filius Dei. *Mercis vestra copiosa est in cælis. Tristitia vestra conuertetur in gaudium, &c.* Hac fiducia & spe aduersus instantem mortem animum suum sustentans & recreans Paulus dicebat: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.*

Adde, quod si Petrus speciali reuelatione securus de sua electione & proxima salute, inde non superbit, non extollitur, sed cauet sollicitè ne quid tam excellenti vocatione indignum ad-

mittat : multò minus nobis de Diuinorum circa nos iudiciorum occultorum adhuc incertis, atque dubiis, afferri licet. *Noli altum sapere*, inquit Paulus, *sed time*. Et Petrus præcipit, cum timore & tremore salutem nostrâ operari. Deniq; Philadelphiae Ecclesiæ pastori dicit Spiritus sanctus: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*: Sanctissimi Apostolorû discipuli, & fortissimi martyris Ignatij trepidationes, superbilissimæ hæreticorum præsumptioni opponamus. Scribit ille: *Vinctus sum equidem propter Christum, sed nondum Christo dignus: si autem consummatus fuero, forsitan efficiar. Non sicut Apostolus præcipio, sed meo modulo metior, ne in gloriatio- ne mea peream. At bonum est in Domino gloriari: etiam si cõfirmatus in iis quæ Dei sunt tuero, plus timeam oportet. Nescio dignus ne sim. Et rursum. Vinctus in Domino Iesu, metuo eò magis. Nõdum enim perfectus sum, ut ad quod vocatus sum, id adipiscar. Rursumque. Quãuis etiam vinctus sim propter nomen Christi, nondum tamen perfectus sum in Christo Iesu, &c. Atque hæc de Petri descriptione: nunc quid à Coëpiscopis postulet audiamus.*

Pascite qui in vobis est gregem Dei, &c.

Ut primum ac præcipuum officium suum strenuè præstent, pascendo, castigando, & regendo gregem à Deo curæ suæ cõmissum. *ποιμανατε* inquit, id est, regite & pascite. Eadem enim vox est in Psalmo 2. *Reges eos in virga ferrea*, quam dicit B. Hilarius significare, pastoraliter reges. Dominus quoque Dauidem de-postfœtantes adduxit, ut pasceret Iacob populum suum. Rur-

sum, dixit ei. *Tu pasces populum meum Israël*. Et 2. Reg. 5. populi Iudicibus præceptum est, pascere populum Domini. Hinc etiam summi Reges qualis fuit Agamemnon, dicuntur *ποιμῆνοι λαῶν* pastores populorum, ab Homero Illiados 10. & Odyss. 24. Cyrus etiam imperatorem Persarum Dominus pastorem appellat per Isaiam: *Qui dico Cyro? pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*. Et quando dicitur in Ieremia, *Et quis est iste pastor, qui resistit vultui meo?* de Regibus ethnicis fit sermo, qui suos contra minas Dei tueri non poterant. Adeò pascendi vox etiam ad potestatem regiam, & politicam administrationem pertinet.

Rectè ergo ad Ecclesiasticum transfertur munus, quod in docendi, regendi, & castigandi cum potestate à Deo instituta & tradita consistit: estque frequens hæc metaphora in Scripturis, ut patet Ezech. 34. & 37. Ierem. 17. & 43. Zach. 11. & 13. 10. 10. & 21. Eph. 4. Paulus quoque vocat Christum *pastorem magnum*: & Petrus *pastorem & Episcopum animarum nostrarum: principè pastorum*, &c. 1. Petr. 2. Reguntur autem oves pastoraliter, dum eis datur pabulum Christianæ doctrinæ non tantum publicis prædicationibus & exhortationibus: sed etiam priuatis institutionibus, consolationibus, correptionibus. Hinc sedulò ministrantur eis Sacramenta per Christum instituta: optima vitæ exempla proponuntur: temporalibus eorum necessitatibus pro viribus consulitur: & leges viles præscribuntur: denique, cum pro horum salute ingemisitur,

Apor. 3.

Epist. 2.

Epist. 6.

Ep. 11.

ploratur, oratur, sacrificatur: quæ omnia tam ex scripturis, quam Prophetarum & Apostolorum exemplis colligere atque confirmare nō est difficile. Quapropter non tam pueriliter, quàm malitiosè & flagitiosè hīc Beza ineptit, scribens: *Non dicit, offerte pro viuis & mortuis, centones cantilate, &c.* quandoquidem isthæc sub verbo pascendi comprehensa sunt: & Christus semetipsum offerens pro viuis, mortuis patribus, nobisque futuris: & Psalmos Hebræorum more, peracta cœna, cum Apostolis concinens: exemplum dedit nobis vt ita faciamus. Sed de his aliàs.

Pertinet etiam ad Pastorum officium lupos, id est, hæreticos, & tyrannos pro virili arcere ab ouili sibi commisso, ne ab illis inficiatur, dissipetur, perdat. Hoc apertè docet Christus de pastore, mercenario & lupo differens: simulque præcipiens, cauendum à falsis Prophetis venientibus in vestimentis ouium, cum tamen sint lupi rapaces. Et Paulus minoris Asiæ Episcopus hortatur: *Attendite vobis & vniuerso gregi, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcetes gregi.* Obuia sunt nobis exempla sanctorum Ambrosij, Augustini, Hilarij, Basilij, Athanasij, &c. quæ vti nam nostræ ætatis Præfulum animos excitarent.

Ad eisdem quoque spectat, morbidas oues à gregibus longè facere, ne sanas commaculent: id est, homines eos qui prauis exemplis multos deprauant, & secum trahunt in exitium, excommunicationis fulminibus terræ, & perui-

caces à sacris arcere illos Satanæ tradendo in interitum carnis, vt saltem spiritus aliquando saluus fiat. Matth. 18. 1. Cor. 5. 1. Tim. 1.

Presbyterorum ordo nullus est inter Hugnoticos, quoniam nullum sacerdotium aut sacrificium admittunt; Baptismum & Eucharistiam tantum in numero sacramentorum ponunt: vniuersas aras Christo dicatas more Chaldæorum, Baalitarum, Turcarum subuertunt: sacros homines vbi prævalent, inauditis tormentis cruciant, lacerant, mactant: Catholicæ religionis professores suis vrbibus, ditionibus, & regnis expellunt, aut tyrannicè & crudeliter necent: quod omnino luporum opus est, non pastorum.

Quod addit, *qui in vobis est gregem Dei*; aut, vt Græci legunt, *gregem Christi*, significat eos versari in bonis alienis, de quibus rationem reddituri sunt, non hominibus, sed Deo omnipotenti. Et particula τὸ ἐν ὑμῖν, reddi potest, *qui apud vos est*, ne scilicet alienas Ecclesias curent non sibi commissas: vel, *quantum in vobis est*, vt scilicet sciant nullis parcendum esse laboribus: sed oportune & impertune populum doceant, arguant, obsecrent, adeo vt nec vitæ parcant, ne dum sanitati vel opibus. Rectè igitur vt eleganter scripsit Naziazenus: Sit aliquis non modò à vitorum cōtagione purus, verum ad summum etiam virtutis fastigiū euectus. Haud equidem video quam scientia instructus, aut quibus viribus frerus huiusmodi præfecturam intrepidè suscipere queat. Nam profectò ars quædā artiū, & scientia scientiarum est, hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex, &c.

Annotat.

Ioan. 10.

Matth. 7.

Act. 20.

Apologet. 1.

Recogitent igitur Episcopi & paræci greges animarum non suos esse, sed Christi creatoris, redemptoris, ac supremi huius mundi iudicis: se verò tantùm eius vicarios & ministros, qui seueram de illis exiget rationem. Non enim dixit Petro: *Pasce oues tuas, agnos tuos*: sed *oues meus, agnos meos*. Paulus quoque dicit: *Vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*. Et per Ezechielem Dominus quibusdam exprobrat: *Gregem meum non pascebatis. Dispersa sunt oues meae, eo quòd non esset pastor. Errauerunt greges mei. Facti sunt greges mei in rapinam & oues meae in deuorationem. Requiram gregem meum, & cetera*: suum identidem repetens & adfirmans gregem esse. Utinam, iterum autem utinam, istud attenderent illi, qui potius Domini & vocari, & esse volunt, quàm pastores: qui que frequentius habent in ore, *Meum Episcopatum, Meum populum, meos subditos, meos redditus, Meas abbatias*, quàm meos labores, mea studia, meas conciones, meas visitationes, & cæt. Atqui nos sumus oues Christi: Christus pastor animarum: qui solus pro ouibus redimendis à morte & inferis dedit animam suam, &c.

Quo autem animo & modo muneri suo debeant incumbere mox tradit dicens: *non coactè sed spontaneè*. Coactè prouidet gregi, ait Beda, qui propter rerum temporalium penuriam, non habens vnde viuat, idcirco prædicans Euangelium, vt de Euangelio viuere possit. *Spontaneè verò & secundum Deum*, qui nullius terrenæ rei, sed tantùm supernæ mercedis intuitu verbum Dei prædicat, cæteraque pastoris officia præstat.

Quod enim fit ex necessitate, lentè, frigidè, & perfunctoriè agitur: vult autem Petrus pastores suam munus exercere cum multa alacritate & animi in subditos propensione, atque coram ipsomet Deo animarum creatore & summo curatore. Idcirco Christus in parabolis designat seruos lumbis præcinctos, lucernas habentes in manibus, & similes esse hominibus expectantibus dominum suum, vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Et beatos pronunciat seruos illos, quos Dominus inuenit vigilantes & alacriter incumbentes operi. Nascitur autem voluntatis propensio ex eo amore, quem Christus à suo in Ecclesia vicario tam studiosè requisit, etiam terciò dicens: *Diligis me plus iis?*

B. Gregorius Nazianz. ita de hoc Petri loco differit. Antistes virtutis suæ præstantia multitudinem ad mediocritatem trahat, ac non per vim coherceat, sed persuasione alliciat. Nam quod necessitate extorquetur, præterquàm quod tyrannicum est improbandum, ne firmum quidem ac stabile est. Quicquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa atque distraeta, simul ac missum factum est, rursus ad se redire consuevit. Quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquissimum simul ac certissimum esse solet, vtpotè benevolentiae vinculis astrictum atque conseruatum. Ac proinde vel maxime lex nostra & legislator sanxit, vt grex non coactè, sed sponte ac libenti animo pasendus suscipiatur. Consentit Ambrosius his verbis: *Dominus operationes ser-*

Ioan. 21.

Act. 10.

Ezech. 34.

Luc. 12.

Math. 24.

Ioan. 21.

Apologetico.

1.

Ioan. 10.

1. Ion. 14. in

Psal. 118.

508 COMMENTARIA IN CAP. V.
uulorum suorum spontaneas probat, potius
quàm coactas. Ideò ex seruis liberos facit, vt
magis voluntatum nostrarum munera, quàm
necessitatum obsequia conferamus.

Neque turpis lucri gratia,

1. Tim. 6.

Damnata in pastoribus pigritia, nunc corri-
gere studet auaritiam, quæ sacra venalia reddit,
& malorum innumerabilium fons & radix est.
Turpis autem lucri gratia, pascit gregem, qui do-
cèt aut ministrat, tantùm vt ditelcat. Huic non
est curæ salus ouium, sed tantùm lac & lana,
id est, terrena commoda: ideòque languidè &
frigidè munus exercet, ac lucrum postpositis
ouibus soluminodò venatur. Est & turpe lu-
crum quod ex spiritualibus officiis colligitur:
quia non tantùm est iniquum spiritualia ven-
dere, aut ad temporalia referre, sed etiam magna
Deo omnipotenti contumelia irrogatur, quan-
do res ei factæ & dicatæ rebus profanis & vili-
bus æstimantur. Huiusmodi *turpis lucri* cupidos,
atque rerum sacrarum nundinatores grauitè
inrepat & damnat Spiritus sanctus per Isaiam,
d. *Speculatores cæci omnes, nescierunt vniuersi: ca-
nes muti non valentes latrare, canes impudentissimi
nescierunt satuitatem, declinauerunt unusquisque
ad auaritiam suam à summo vsque ad nouissimum.*
Et per Ieremiam: *A minore vsque ad maiorem
omnes auaritiæ student.* Coarguit quoque per
Michæam illos prophetas, qui *sancrificabant* (1.
indicebant, & parabant) *super eum prælium, qui
non dedisset quippiam in ore ipsorum.* Christus illos
non vocat pastores, sed mercenarios: & suis
Apostolis dicit: *Gratis accepistis, gratis date, &c.*

Isa. 54.

Ierem. 6.

Mich. 3.

Ioan. 10.

Matth. 10.

Infelicissimæ sortis ac æternæ damnationis
Giezarum & Simoniacorum exemplo sint
miserabiles exitus eorum, à quibus denomi-
nantur. Esau qui cum primogenituræ suæ iure,
sacerdotij dignitatem vendidit, in sacris dicitur,
Deo exosus, & homo profanus, qui locum
pœnitentiæ quæsiuit quidem, sed non inuenit.
Iudas Christi venditor & proditor, de infe-
lici arbore suspensus, crepuit medius, & cæt.
Faxint superi, vt qui Prophetis & Apostolis
succedunt in Ecclesia, cum his verè dicere pos-
sint: *Ne asellum quidem vnquam accepi. Non sp-
pressi aliquem, aut de manu cuiusquam munus ac-
cepi. Argentum, aut aurum, aut vestem nullius
concupiui, & cætera.* Christus ementes & ven-
dentes non semel eiecit de templo. B. Hiero-
nymus in vno Nepotiano, sic omnes Clericos
alloquitur: Ne lucra sæculi in Christi quartas
militia: ne plus habeas quando clericus esse
cepisti, & dicatur tibi: *Cleri eorum non proderunt
eis.* Nonnulli enim sunt ditiores monachi,
quàm fuerant sæculares; & Clerici qui possi-
deant opes sub Christo paupere, quas sub locu-
plete & fallace diabolo non habuerant: vt su-
spirer eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit
ante mendicos. Negotiatorem Clericum, & ex
inope diuitem, & ex ignobili gloriosum quasi
quandam pestem, fuge.

Non est tamen putandum quod hîc aut dam-
netur honestum lucrum ex honesta causa: aut
quod mercedem dare & accipere pro religiosis
laboribus nemini liceat. Enimuerò Ecclesia-

4. Reg. 5.
Act. 8.

Gen. 25.
Malach. 1.
Rom. 9.
Hebr. 13.

Matth. 27.
Act. 1.

Numb. 16.
1. Reg. 12.
Act. 20.

Epist. 2. tom.

Ierem. 22.
Iuxta 70.

Matth. 10.

sticis officiis deservientes, & his omnes horas & vigiliis, omnia studia sua impendentes, alimenta, & quidem non sordidè, sed liberaliter sunt suppeditanda. Et Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant. Paulus causam istam plurimis & gravissimis argumentis pertractat. 1. Cor. 9. & 1. ad Timoth. 5.

De hæresiarcharum, & sectatorum eorundem avaritia, rapinis, direptionibus, & sacrilegiis copiosè disseruimus in caput 1. libri primi B. Irenæi; nota 48. & commentariis in Epist. B. Iudæ, pagin. 272. & 344. Si qui nundinationes exerceant de condonationibus, ordinationibus, aut beneficiis, hos non probamus: sed arguimus & damnamus.

3. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Aliud rursus vitium prohibet ac reprehendit, videlicet. Ambitum, id est, dominandi studium. Pascite gregem, Præsules, cum mansuetudine & humilitate, non cum fastu & arrogantia: non ut præsitis, sed ut profitis, plurimum enim abest Presbyterorum officium à dominatu, Episcopatus non est tyrannis, sed ministerium. Ideo præsidet Antistes non ut plus auferat lucri, non ut regnet, nec ut illi plus liceat, sed ut plus profit.

Habent hoc loco Rectores Ecclesiarum à quibus vitiis debeant præsertim abstinere, se-

gnitie nempe, avaritia, ambitione, & omni violentia. Caueant ergo ne more gentilium principum, aut profanorum huius sæculi dominorum principatum affectent, aut tyrannidem in inferiores Clericos exerceant. Dominus enim per Ezechielem veteres synagogæ pastores reprehendit, quod cum austeritate & potentia imperarent. Rursum, quod oves non pascerent, nec infirmas consolidarent, nec sanarent ægrotas, nec contractas alligarent, nec reducerent abiectas, aut quæ perierant quærent. Huc quoque pertinet ista Christi concio ad Apostolos: Reges gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit maior fieri, sit vester minister, & cetera. Noluit enim Apostolos suos aut eorum successores, Reges esse, sed doctores: non principes, sed ministros. Exprobrat quoque Phariseis, quod onera importabilia humeris populi imponerent, quæ ipsi volebant digito mouere. Augustinus quemlibet monet Pastorem, ut à subditis magis amari, quàm timeri quærat. Ipse, inquit, qui vobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed charitate seruiente sælicem. Et Hieronymus scribit: Illud dico, quod Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non dominos: honorent clericos quasi clericos, ut & ipsis à clericis honor quasi Episcopis, deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij, (nimirum ad Crassum collegam) Cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas ut Senatorem? Cyrillus quoque scribit: Hi qui in Christo sunt, scopum expilatorum, quos

Ezech. 34.

Matth. 10.

Luc. 22.

Matth. 23.

In regula.

Epist. 2. quæ

est ad Nepot.

L. 1. in Isa.

Orat. 3.

Dominus per Isaiam coarguit, non sibi proponunt. Scribit enim D. Petrus vocatis ad episcopatum, adscitis ad functionem docendi oues ratione præditas, non vt dominarentur clero, id est, populo qui fors Domini est: at, vt sint gregis exemplaria.

Quid verò? Omne prorsus dominium Episcopis, Abbatibus, Clericis prohibetur? Respondeo. Dominium quoddam est velut paternum, moderatum, & ad subditorum vtilitatem relatum, quod sacris hominibus competere posse, docet Iosue his verbis suis ad Moïsem: *Domine mi, prohibe eos.* Confirmat Aaron dicens ad eundem: *Ne indignetur dominus meus.* Huic tribus Ruben & Gad sic loquuntur: *Serui tui sumus faciemus quod iubet dominus noster.* Dathan, Coré, Abiron, & asseclæ, miserè perierunt, huius Domini & principis authoritati subesse recusantes. Et in Actis, Custos carceris dicit Paulo & Sylæ: *Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam?* Nec nuda nomina, vel sine re tituli isti fuerunt: nec exemplis caruerunt sacrorum hominum, vt Primogenitorum sub lege naturæ, Melchisedec, Abraham, Isaac, Iacob, Moïsis, Heli, Samuelis, Machabeæorum, qui dignitatē sacerdotij etiam cum principatu & dominatione ciuili coniunctam tenuerunt, & sequentibus signis Deo probante vtiliter exercuerunt. Quibus aduersus vitiligatores confirmatur hoc genus dominij & principatus cum officio Præsulis facillè posse conuenire: & hîc ab Apostolo non improbari.

Aliud est dominium violentum ac tyrannicum, quo armorum vi subacti populi volentes nolentes

nolentes compelluntur imperata facere, militare, tributa ingentia soluere: cuiusmodi fuerunt Pharaonis. Nabuchodonozoris, Cyri, Alexandri, Antiochi, Cæsaris imperia: quæ hic Apostolis, successoribus eorum. Episcopis & pastoribus Ecclesiæ, præsertim aduersus clericos districtè prohibentur: non autè moderata & pastoritia dominatio, quæ disciplinam, tuetur, & ad salutem gregis dirigitur. Idcirco Petrus non simpliciter dicit. *Non dominantes: μηδ' ὡς ἡγεμονεύοντες τὴν κληρωῶν, non violenter dominantes aduersus clericos;* quæ vox est quoque in Euangelio. Matth. 20. vers. 25. Vnde Hieronymus ita Regem & Episcopum, inter se comparat: Rex nolentibus præest, Episcopus volentibus: ille terrore subiicit, hic seruituti donatur: ille corpora custodit ad mortem, hic animas seruat ad vitam. Denique, iurè coarguitur Paulus Samosatenus à Patribus Concilij Antiocheni, quòd insolenter se extulerit, & sæcularium honorum gradus sibi assumpserit, & Decurio potius quàm Episcopus, nuncupari voluerit.

Lutherus porrò, Caluinus, aliique nouæ turris Babylonicæ conditores, ægerrimè ferunt, quod Ecclesia Catholica inter clericos & laicos discernat: illos solos velit ex ordinatione res sacras procurare atque tractare: istos minimè. At verò, Cleri nomen & officium ex his diuinorum librorum sententiis desumptum est, vbi Dominus dicitur fors & pars Leuitarum & Sacerdotum. Vnde qui ascribuntur huic ordini recitare iubètur hæc

Num. 11.
Exod. 32.
Num. 32.

Act. 16.

Episto. 3. quæ
est ad Helio.

Apud Ense.
l. 7. hist. cap.
24.

Num. 28.
Deut. 18.
Psal. 117.

verba Psalmi : *Dominus pars hereditatis mea, &c.*
 Nam *κλήρος* est fors, & in sacris sæpe ponitur
 pro reip̄a, quæ sortibus aduenit : item pro
 hæreditate, quæ sorte diuidebatur. Hic apert
 ta sunt verba B. Petri, quia Clerum, & Cle
 ros, seu Clericos eos appellat quibus res sacrę
 erāt cõmissæ, utpote Subdiaconos, Diaconos,
 & Sacerdotes : sunt enim peculiaris fors Dei,
 ad cultum ipsius sacra ordinatione segregati.
 Sic Deus quondã Leuitas, Christ⁹ primũ du
 decim Apostolos, hinc & alios septuaginta
 duos sibi ex aliorũ hominũ grege vocauit as
 sumpsit & cõstituit factorũ ministros : & Apo
 stoli postea septem Diaconos. Paulus Titum
 & Timotheum : Petrus Linum, Cletum, Cle
 mentem. Ignatium, Marcum : & hi postmo
 dum alios in hunc ordinem & gradum ascie
 uerunt. Dilectus à Christo discipulus, autho
 re Beato Clemente, iussit orare in ordina
 tione presbyteri : Respice hunc famulum
 tuum, suffragio totius cleri ordini presbyte
 rorũ ascriptũ, &c. Eodem rursus attestante,
 Simon Chananæus censuit, solũ Episcopũ de
 ponere Clericũ, qui dign⁹ est qui deponatur.
 Nullis autẽ ex reliquis inferioribus Clericis
 licet facere opus Diaconi. Et Hypodiacono
 non licet excõmunicare lectorẽ, aut cantorẽ,
 aut clericũ, aut laicum. Refert idem, Mattheũ
 constituisse, ut decimis alerentur Clerici : &
 quæ in mysterio supererunt distribuerentur
 Clero. Et Paulum, si laicus doceat Catechu
 menos, peritus sit in verbo, & honestis mori
 bus. Patres magni Concilij Nicæni vetant, ne

Matth. 10.
Luc. 9.

Act. 6.

L. 8. Const.
cap. 16.

Lib. 8. c. 28.

L. 8. cap. 30.
C. 31.

L. 8. cap. 32.

Can. 1. C. 2.
ex Arabico.
Ca. 6.

vir insanus, dæmoniacus, aut seruus inuito
 Dõmino fiat Clericus. Item, prohibent Epif
 copo ne recipiat ab alio Episcopo excommu
 nicatum, siue presbyterum, siue alium è nu
 mero clericorum, siue laicum. Denique mul
 ta constituunt de clericis & laicis, Ca. 13. 14.
 15. 18. 20. 24. 26. 32. & c. Ergo non est impia
 hominum traditio, ut garrit Lutherus ; nec
 aut errore, aut ex praua affectione, quemad
 modum latrat Caluinus, nata est Cleri appel
 latio, & Clericorum à Laicis distinctio : sed
 ab expresso verbo Dei desumpta, & beatorum
 Apostolorum, Patrũque sanctissima &
 antiquissima traditione corroborata.

Quid denique ab Ecclesiasticis Pastoribus
 exigit hinc Apostolus? Ut *forma fiant gregi ex
 animo*. Id est, pietatis & sinceritatis exem
 plaria, quæ tuto possint imitari, ut oues om
 ni fiducia & securitate pastores suos sequan
 tur. Vident, inquit, omnes subditi talem esse
 vitam vestrã, ad cuius exemplum suos mores
 tutò componere possint. Atq; hoc ipsum est,
 quod Paulus à Timotheo exigit dicens : *Exem
 plum est fidelium in verbo, in conuersatione, in chari
 tate, in fide, in castitate*. Et Tito præcipit. *In om
 nibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in
 doctrina, in integritate, in grauitate*. Monstrosa
 certè res est ait BERNARDVS, sedes prima,
 vita ima : gradus supremus, status infimos :
 vultus grauis, actus leuis ; sermo multus, fru
 ctus nullus : ingens authoritas, & animi in
 stabilitas : forma fictiua, & non factiua. Et
 Gregori⁹ informis est vita pastoris, qui modo

1. Tim. 4.

Tit. 2.

calicem Domini signat, modo talos agit: qui in auiibus cæli ludit, modo canes instigat, &c.

4. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Confirmat, solaturque in laboribus animos Pastorum argumento sumpto à dignitate præmij. Accipietis inquit, coronam immarcescibilem, id est, vitam æternam ac cælestem: ergo strenuè vos certare & laborare oportet. Cum venerit Filius hominis, summus Ecclesiæ pastor & rector, cuius vos tantum estis vicarij & serui, in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo: cum palam apparuerit, etiam his qui eum pupugerunt, ille qui nunc internos, imò intra nos latet, redditurus unicuique secundum opera sua, non erit inanis labor vester corà eo. Reddet enim strenuè in hæreditate sua laborantibus coronam, non ex corruptibili serpyllo, narcissoq; aut amaraco contextam: sed gloriæ, sed diuinæ claritatis, sed ipsius Dei & omnium quæ in Deo sunt, apertæ visionis & intimæ fruitionis, & vitæ immortalis atque sempiternæ. Id præmium pastorum est à summo veròque pastore I E S U, qui suam expectare debent mercedem in futuro sæculo, non accipere in isto: eamque à Domino totius gregis, non ab ipso grege.

Hic primùm obserua, nomen simul officium Pastoris in sacris per sepe Christo tribui. Nam supra dixit Petrus: *Conuersi estis ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* Et Paulus scribit:

1. Petr. 2.
Hebr. 13.

Deus qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, Ioan. 10. Dominum nostrum Iesum Christum. Et ille de se ipso ait: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, &c.* Quinetiam Esa. 40. Ierem. 3. 17. Ezech. 34. Zachar. 12. 13. eodem titulo denotatur, tum quia illi summa cura est de ouibus, id est, cunctis in eum credentibus & sperantibus, tum quia non nisi sub eius autoritate atque potestate alij cuncti pastores Ecclesiæ præficiuntur. Inuigilet igitur gregibus fidei suæ commissis, tanquam huic pastorem principi rationem aliquando reddituri.

Hinc mercedem eximiam piorum studij & laboribus pro Ecclesia Christi assumptis pro certo repositam esse. Hanc Paulus vocat coronam iustitiæ omnibus paratam à Deo, qui bonum certauerint, fidem seruauerint, cursum consummauerint, & aduentum Christi dilexerint. Horum etenim unicuique Dominus ipse dicturus est: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, &c.* E contrario verò, certum est horribilem confusionem coram Deo & Angelis eius, simulque nunquam finienda gehennæ supplicia eos manere, qui gregem Christi neglexerint, seipso tantum pascetes, & non oves. Nam malos malè perdet. Mali serui partem ponent cum hypocritis, vbi erit fletus & stridor dentium. Examinabuntur ergo pastores, ait B. Effrem, de conuersatione sua, efflagitabunturque à singulis rationales oves, quas à Pastore summo pascendas acceperunt. Ac siquidem per

2. Tim. 4.

Matth. 25.

Matth. 21.

& 24.

L. de penitentiâ, cap. 5.

Excb. 3.

pastoris negligentiam ouem deesse contigerit, sanguis eius de manu illius requiretur. Similiter & Abbas pro seipso, & pro gregē suo rationem reddet. Pari ratione & presbyter, pro sibi creditæ Ecclesiæ populo, rationē redditurus est. Diaconi item ac lectores, fidelēsque omnes rationem pro animabus quę sunt in domo sua, reddent, pro vxore, pro filiis, pro seruis & ancillis, an illos enutrierint in timore, disciplina, & correctione domini.

Hanc porrò mercedem appellat *coronam*, ductu metaphora à pugillis, & veteri more imperatores & victores coronandi: figuram autem exponit addens *immarcescibilem*, quando quidem non terrenis herbis aut floribus coronandi sunt electi, sed perpetua incorruptibilique gloria. *Gaudium vestrum*, ait Christus, *nemo tollet à vobis. Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, &c.* Paulus rem clarissimè exponit, dicens: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus (impedimentis) se abstinet. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptibilem.* Obseruat porrò beatus pater Eusebium Syrus: In luctaminib⁹ huius seculi nullus sine agone seu certamine coronatur: & in spiritali conuersatione & proposito sancto, nemo sine luctamine potest immarcescibilem coronam accipere, vitæq; æternæ, hæres existere. Vis in agone certare, & victor existere? Indue te armatura Dei sicut vestimento, indue te virtutibus animæ, &c.

Nec tantum comòdum ac vtile est, verum est necessariū Ecclesiæ pios pastores & docto-

res intentos esse in hac mercedē, vt gnauius pergant in cursu vocationis suæ, nec frangantur animis propter cōtinua propemodū offēdicula, quæ illis occurrūt. Sepe etenim cum ingratis hominibus negotiū est, à quibus rependitur indigna merces: longi & graues labores frequenter irriti sunt: diabolus & serui eius peruersis machinationibus suis non rarò præualet: insurgunt viri loquētes peruersa: deficiunt quidā à fide: alij omnes ad consueta peccata redeūt, &c. Ergo ne despōdeant animis pii pastores, vnicū hoc remedium habēt, vt in Christi aduentum conuertant oculos: ita fiet vt laboribus suis (qui profectu carere videntur) constanter incūbant, & iisdē immoriantur, quibus tam gloriosa & pretiosa merces apud Deum in cælis est reposita. Quanta Moyse & Aaron ab ingratisissimis Isrælitis passi sunt. Refert Iosephus, illum paulò ante mortem eisdem exprobrasse: Nostis quia frequenter peiora à vobis, quā ab hostibus mortis pericula sustinui. Quanta Elias, Isaias, Ieremias, denique Christus?

Demum, docemur omnes in laboribus nostris non an præsentia seculi bona, sed ad futura præmia respicere. Nunquā enim intimū cordis humani desiderium satiari poterūt: quādoquidē qui biberit ex hac mundi aquā, sitiet iterum. Plus sunt potē, plus desiderātur aquę. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Sanctorum autem merces reposita est in cælis. Hinc piè & doctè Augustinus: Omnis copia, quæ Deus meus non est, ege-

Ephes. 6.

IOAN. 16.

1. Cor. 2.1.

1. Cor. 9.

I. de luctam. spiritali. cap. 1.

Ephes. 6.

L. 4. Antiq. cap. 6.

Math. 5. 6.

520 COMMENT. IN CAP. V.
Soliloq. c. 30. *stas mihi est. L. Medit. c. 18. & Soliloquorum,*
cap. 13. Et idem rursus: Nihil est quod ani-
mam impleat, nisi tu Deus, ad cuius imagi-
nem est creata. Rursusque: Si cuncta quæ
fecisti mihi dederis, non sufficit seruo tuo,
Domine, nisi te ipsum dederis. Da ergo te
ipsum mihi, Deus meus, & sufficit. Manua-
lis, cap. 3.

s. Similiter adolescentes, subditi estote senioribus.
Omnes autem inuicem humilitatem insinuate,
quia Deus superbi resistit, humilibus autem dat
gratiam.

Hæc est secunda pars huius capituli, qua iu-
uenes admonet quid præstare debeant senio-
ribus, quid æqualibus, & quid vniuersis. Pri-
mum ergo subiectionem ab illis requirit, id
est, vt senibus cedant & pareant, assurgant, ac
eosdem honorent. Dicit ergo. Quemadmo-
dum seniorum partes sunt, vt sese patres præ-
beant iunioribus, ita iuniores vicissim oportet
se morigeros & obsequentes præbere se-
nioribus. Et sicut seniores sese submitunt
per euangelicam charitatem omnibus, quo
magis prodesse queant, ita iuuenes non de-
bent abuti modestia facilitatæque seniorum:
imò hoc promptius conuenit illis obsequi,
quo minus abutuntur autoritate sua. Vbi
vera charitas est, ibi nec autoritas habet fa-
stidium, nec iuuentus ferociam. Qui digni-
tate præeminet, hoc tantum agit, vt aliis sit
vsui: qui subditus est, vltro plus præstat quàm
ille exigit.

In primis hinc notandum, vocem Seniorum
ad ætatem refertur, vt paulò antea ad officium
dignitatemque significandam illa sumpta est,
quemadmodum antithesis inter seniores &
iuniores postulat; sicq; ab hypothese ad the-
sim ascendit Apostolus. Nomen verò iunio-
ris seu adolescentis, in scripturis leue, abie-
ctum, & contèptibile quid designat, quæren-
te Dauide: *In quo corrigit adolescentior viam suam?* *Psal. 118.*
Id est, puram præstabit, emendabit eam æta-
tem plus satis incòstantem & lubricam: Hoc
paulò post explicat dicens: *Adolescentulus sum*
ego & contèptus. Hieron. Paruulus & contè-
ptibilis. Sua enim leuitate, aliisq; vitiis fa-
ciunt, vt facilè à viris grauibus contemnan-
tur. Nam stultitia alligata est collo pueri, &c.

Perpende autem summam Apostoli de om-
nibus ætatibus ac ordinibus hominum edo-
cendis curam atque sollicitudinem. Supra pa-
stores Ecclesiæ de pascendo grege monuit:
nunc autem seniorum ætate officium esse do-
cet, morum integritate, & virtutum exem-
plo, veluti patres, multaque rerum experi-
entia prudentiores grauiorésque inuenturi præ-
esse: iuuenum autem illos obseruare atque
venerari. Ita Paulus Græcis ac Barbaris, *Rom. 1.*
sapientibus & insipientibus debitorem se esse
fatetur. Insuper ait: *Omnibus omnia factus sum,* *1. Corint. 9.*
vt omnes facerem saluos. Beatus etiam Præcur-
sor nunc ad Pharisæos, nunc ad milites, mox ad
pœnitentes concionatur: & Dilectus à Chri-
sto discipulus, scribens patribus, filiis, ado-
lescentibus, iuuenibus, ac infantibus quin-
Luc. 3.
1. Ioan. 2.
2. Io. v. 1.

etiam mulierculis, sua singulis vitæ euangelicæ præcepta designat. Christus denique sine vlla sexus aut ætatis acceptione, viros, fœminas, infantes, paruulos, senes, dominos, seruos, redemptionis à se factæ, ac æternæ salutis paratę vult esse participes. Ideò B. martyr Ireneus scribit. Omnes venit per semetipsum saluare, infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores. Ideò per omnem venit ætatē, & infantibus infans factus, sanctificans infantes: in paruulis paruulus, sanctificās hęc ipsam habentes ætatem, simul & exemplum illis pietatis effectus, & iustitię, & subiectionis, in iuuenibus iuuenis, exemplū iuuenibus fiēs, & sanctificans Domino. Viderint ergo Episcopi, & cæteri Ecclesiæ Christi pastores. & doctores, quot hominum ordinibus & conditionibus sint serui & debitores, & otari aut voluptuari nunquam eis licebit.

Quantum autem ad mortalium varias ætates pertinet, certum est illas omnes præclara esse dona Dei his vicissitudinibus vitam hominum moderantis, & ad finem suum vnumquemque nostrum perducentis. Nam David conceptionis & natiuitatis suæ in matris utero Deum authorem agnoscens & inuocās ait. *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero. De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris à me manum tuam.* Hoc ipsum pluribus confitetur beatus Iob. Et Isaiās de seipso ait: *Dominus ab utero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Et Dominus ita de hoc beneficio

Matth. 11.
& 28.

L. 2. cap. 39.

Psal. 7.
Psal. 138.

Iob. 10.

Isa. 49.

Jeremiam admonet: *Priusquam te formarem in utero, noui te: & antequam exires de vulua sanctificauit te.* Equidem vt capillos nostros, sic & annos nostros numeratos habet ille, qui omnia facit in numero, pondere, & mensura. Constat etiam multis Dei ad seruos suos promissis longitudinem dierum, id est, venerabilem quandam canitiem & senectutem donum Dei esse, quod omnes exoptant summoperè. Quoties enim Satanas sua nos rabie discerperet, ac crudeliter opprimeret, vt quondam Saræ septem priores viros, liberosque ac seruos beati Iob, ni Deus bonorum Angelorum ministerio & diligētia, furorem illius à capitibus nostris arceret. Omnis ergo ætas illius obsequiis est mancipanda, &c.

Iuuentus præsertim propter ingenitam ad omne peccatum inclinationem, libertatem, formam, corporis robur, ferociam animi & temeritatem, seniorum arbitrio gubernanda & coercenda est. *Nam sensus & cogitationes humani cordis, vt inquit Moyses, prona sunt ad malum ab adolescentia sua.* Paucos etiam iuuenire licet ex sanctissimis Dei seruis, qui non aliquibus se in iuuenta scelerum maculis contaminauerint. David rogat: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et Iob coram Deo queritur. *Consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* A V G V S T I N V S de *peccatis adolescentiæ meæ.* in quibus omnium maximè relucere putatur puritas & innocentia, scribit imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus. Vidi ego & expertus sum

Ierem. 1.
M. Ath. 10.
Iob. 14.
Sap.

Tob. 3. & 6.
Iob. 1.

Gen. 6. & 7.

Psal. 18.
Iob. 10.
L. 1. Confess.
cap. 7.

524 COMMENT. IN CAP. V.
zelantem paruulum. Nondum loqueba-
tur, & intuebatur pallidus, & amaro aspe-
ctu collactaneum suum, &c. Quod si in ini-
quitate conceptus sum, & in peccatis me ma-
ter mea in utero aluit, ubi, oro te Deus meus,
ubi, aut quando innocens fui? Ambrosius quo-
que ait: Vicina est lapsibus adolescentia, quia
variarum æstus cupiditatum feruorem calen-
tis inflamat ætatis. Ideoque alibi horum
officia describens, inquit. Est bonorum ado-
lescentium timorem Dei habere, deferre pa-
rentibus honorem, habere senioribus reue-
rentiam, castitatem tueri, non aspernari hu-
militatem, diligere clementiam ac verecun-
diam, quæ ornamento sunt minori ætati. Vt
enim in senibus grauitas, in iuuenibus alacri-
tas, ita in adolescentibus verecundia, velut
quadam dote commendatur naturæ. Pro ex-
emplis profert Isaac obedientissimum patri, Io-
seph castissimum, Mosem & Ieremiam excu-
santes se per verecundiam, &c. Nec possum,
nec debeo hoc loco prætermittere hæc quæ
de iunioribus scribit pater Effrem Syrus.
Subrepat tibi sæpius antiquus hostis, & dicit:
Interim dum iuuenis es, fruire concupiscen-
tiis tuis. Quot putas esse in sæculo delictis de-
ditos, neque tamen celesti regno priuatos?
Ergo dum iunior es, comede, bibe, fruire vo-
luptatibus sæculi, & cum perueneris ad se-
nectutem, tum demum pœnitentiam ages.
Hæc autem dum suggerit tibi, dic ad illum
tota fiducia. Quid si in iuuentute depre-
hendat, nec perueniam ad senectutem?

Psal. 50.

L. de uidiis.

*L. 1. offic.
cap. 27.*

*Gen. 21. 37.
39.*

*Serm. de ti-
more Dei.*

Quid respondebo, cum ante tribunal Chri-
sti astabo? &c.

Iubet ergo D. Petrus adolescentum animos
erga seniores bene affectos esse. Hinc enim
vel ingenium liberale, & optimæ spei, aut
corruptum & omnino prauum facile æstima-
ueris. Neque enim frustra in lege sua præcep-
it Dominus: *Coram cano capite conserge, & time* *Leuit. 19.*
Dominum tuum. Paulus senum & iuuenum of-
ficia copiosissimè describit. His communis
sensus omnium Gentium animis inscriptus *Tit. 2.*
apertè consonat: & Christus exemplo suo *Luc. 1.*
idipsum confirmat.

Omnes autem inuicem humilitatem in-
nuate, &c. Iam statuit Apostolus qualiter cum
æqualibus iuuenes uiuere debeant, uidelicet,
ut alij alios honore præueniant, ut inter om-
nes seruetur æquabilitas & temperatura. Gre-
cè: πάντες ἑ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι omnes
alij alij uicissim subiiciamini. Syrus. *Estote amicti*
& intrinsecus demissione mentis erga inuicem. Oecu-
menius: *Humilitatem uobis circundate, amplecti-
mini.* Et certè insinuare propriè est coniunge-
re, & quasi in sinum immittere, idque pru-
denter, latenter, & quasi reluctanti. Humi-
litas autem hoc loco est ea uirtus, quam ani-
mi modestiam uocant, hoc est ταπεινοφροσύνη
Non tollit personarum & graduum discrimina,
ut dominos seruis, & seniores iunioribus
subiiciat: sed talem humilitatem à nobis
requirit, qua superiores & seniores audiant
etiam iuniores & inferiores rectè monentes.
Et hoc ipsum est, quod Paulus admonet: *Nihil Philip. 2.*

per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, &c. Et alibi: Honore inuicem prauententes. Istud enim mirum in modum valet ad similtates tollendas, & seruandam concordiam, quæ præcipuum est vineulum totius Ecclesiæ & reipublicæ Christianæ.

Vult denique Apostolus, vt erga omnes humilitas retineatur; quãdoquidem ipsa sit radix omnium virtutum, & fundamentum cui facillè incumbit totus Christianismus: vt præcipua illius pestis est arrogantia & superbia. Ad hæc ISIDORVS scribit: Agnoscat se Episcopus seruum esse, non dominum. Talem subditis se præstet, vt non solum auctoritate, verùm & humilitate clarescat. *Quanto magnus es*, ait Siracides, *humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Et Christus ait. *Nisi efficiamini velut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Beatus EFFREM militem Christianum omnibus armis instruens & nutuens, scribit: Pro calceamento sume humilitatem. Sicut enim calceamentum calcatur iugiter, ita & quem humilitas sancta repleuerit, studet ab omnibus conculcari. Beatus David hanc possederat, dùm dicebat: *Ego sum vermis & non homo.* Vides regis ac Prophetæ regiam humilitatem.

Quia Deus superbis resistit, &c.

Istam addit rationem suauioriam, Cur inuenes: imò & omnes sectari debent humilitatem. Quicumque superbè & arroganter se extulerint, hostem habebunt Deum, qui eos

L. de armatura spirit. cap. 1.

Psal. 22.

deiciet atque prosternet: humiles autem è contrario illum habebunt propitium & fauentem. Plurima in sacris occurrunt exempla quibus palam fit quanta cum indignatione sæpius conuulserit superborum cristas Altissimus: quàm verò benignus & clemens sit humilibus. Et beatissima Deipara canit: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et Christus disertè loquitur: *Qui se humiliauerit, exaltabitur: & qui se exaltauerit, humiliabitur.* Plura in hanc rem anno superiore diximus in cap. 4. Episto. D. Iacobi, v. 6. hîc tantùm hæc ex beato Effrem adiicio: Pœnitentiam agamus fratres, vt peccatorum nostrorum propitiatorem Deum habere possimus. Deprecemur eum, quia exacerbauimus eum. Humiliemus nos, vt nos exaltet, Desleamus, vt lætificet & consoletur nos, &c. Et alibi rursus. Vides quantum Deus diligit humilitatem, qui appropinquat possidenti illam, semperque in illū aspicit, sicut scriptum est: *Qui in altis habitat, & humilia respicit.* Et rursus. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Pauperem dum audis, noli pecuniis pauperem intelligere. Nam Reges plurimi placuerunt Deo, & pauperes perierunt. Sed inopem dicit spiritu pauperem secundum quod scriptum est. *Beati pauperes spiritu.* Ita dilectissime, humiliare sub potenti manu Dei, vt te exaltet in regno cælorum, quod repromisit Saluator noster humilibus, &c.

6. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in die visitationis.*

Psal. 17.
Prou. 6.
Isa. 14.
Ester. 7.
Luc. 14.

L. 1. de comp. cordis. c. 2.

L. de armatura spirituali. cap. 2.

Psal. 111.
Psal. 10.

Matth. 5.

Illatio est similis ei, quam exposuimus Iacob. 4. vers. 10. sed hæc est magis argumentosa, quoniam cum nos demittimus ex animo cum hominibus, submittimus nos sub manu Domini, quæ fortissima & omnipotēs est tum ad exaltandum humiles, tum ad deprimentum superbos. Deinde, spes futuræ exaltationis iniicitur, quæ fiet suo tempore. Non ergo desperandum est in humilitate, quando quidem præmio suo nunquam sit caritura: Visitationis vox addita est explanationis gratia, cum Græcè tantum sit *ἐν χερσῶν*, quod perinde sonat ac si dicas *suo tempore, quum fuerit opportunum*. Sensus est. Submittite vos ipsos fratres, non ob metum hominum, sed freti omnipotenti manu Dei. Non est periculum ne conculcemini perpetuo; ille vos euehet in altum, & attollet cum venerit dies illæ præmiorum. Ne circūspicite, ne diffidite, nolite metuere ne malorum vñdis indefensi neglectique inuoluamini: quoniam ille qui nihil non potest, nihil non videt, curæ vos habet, nec patietur quicquam vestri perire, &c.

Ergo qui se ex animo demittit, & pro conditione sese humiliat, & subiicit aliis in timore Domini, non homini, sed Deo se submittit: Deus enim istud officium ac obsequiū præstari sibi reputat, quoniam illud ipsum præcepit. Nemo ergo putet suam humilitatem damno sibi futuram, quando Deus pro certo illam cumulatissimè remuneraturus est. Cum enim superbiens Israël, Samuelēque contemptui habens, Regem more Gentium

creari sibi postulauit, dixit Dominus illi: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et Moïses eidem populo mussitanti dixit: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Ex quibus efficitur per legem contrariorum, quod ut obrectationes & perduelliones in prophetas & legatos Dei, in ipsum Dominum recidunt: sic è contrario fides, obtemperatio, demissio iisdem exhibita, Deo ipsi reputetur.

S. Benedictus duodecim veræ humilitatis fructus, seu potius effectus enumerat, ex quorum attenda meditatione seipsum quisque probare poterit, an reipsa sit humilis, ac dignus qui à Domino tandem exalteretur. Primus, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. 2. Ut non sit facilis aut promptus in risum. 3. Ut pauca verba etiam rationalia loquatur non clamosa voce. 4. Taciturnitas vsque ad interrogationem. 5. Tenere in suis operibus quod habet monasterij communis regula. 6. Credere & pronunciate omnibus se viliorem. 7. Ad omnia indignum & inuilem se confiteri & credere. 8. Confessio peccatorum suorum. 9. Ut pro obedientia in duris & asperis patientiam amplectatur. 10. Ut cum obedientia subiiciat se maiori. 11. Ut voluntatem propriam non delectetur implere. 12. Ut Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcipit. Optimo patri succedunt duo filij optimi, ita de hac virtute differentes. Gregorius dicit: *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerem portat.* Et Bernardus scribit. *Virtutum stabile fundamentum est hu-*

530 COMMENTARIA IN CAP. V.
militas: quæ si omittitur, virtutum congregatio non nisi ruina est, &c.

Quod autem Dominus prostratis deiectisque superbis, humiles tandem in altum extollat, innumera sunt in sacris & profanis scriptoribus exempla. Dæmones superbientes de cælis in inferos vsque deiecit: morigeros autem Angelos in gratia & beatitate sempiterna confirmauit. Primos parentes ad Diuinam æqualitatem adspirantes, æquauit iumentis insipientibus: pœnitudine longa subactos in cælos nunc collocauit. Superbia tumêtes Vasthim & Haman ignominia & dedecore affecit: Estherem & Mardochæum extulit in sublime, &c. Nam Dei omnipotentis est, potius quàm Romanorum, Parcere subiectis, & debellare superbos. Vnde interrogatus à Chilone Æsopus, Quid faceret Iuppiter? Respondisse fertur: Excella deprimat: extollit humilia, &c.

Prohibet autem Apostolus, ne impatientia nostra præscribamus Deo tempus liberationis ac exaltationis: quoniam ille solus nouit & quando, & quomodo suis velit esse auxilio. Humilitati ergo nobis est studendum: Deo autem permittendus rerum euentus. Iudith sanctissima virago, quinque dierum spatium diuino præscribentes auxilio suos cõciues meritò coarguit dicens: *Et qui estis vos qui tentatis Dominum? Possistis tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo qui misericordiam prouocet: sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Nemo vereatur cum Ioab, cum ancipiti bello destineretur dicere. *Dominus faciet*

*Iudith e. 7.
& 8.*

2. Reg. 10.

EPISTOLÆ I. D. PETRI. 531
quod bonum est in conspectu suo. Et cum fortissimo Machabæo dum manibus conferturus esset: *Sicut 1. Mach. 3. fuerit voluntas in celo, sic fiat.*

Tempus autem uisitationis, & præcipuæ exaltationis humilium, primò est particularis eorum iudicij, quantum ad animam: secundò, vltimi ac vniuersalis, quo ad corpus & animam simul. Nam è terra super cælos, de morte ad immortalitatem, de misera peregrinatione & exilio ad cælestem patriam & sempiternam fœlicitatem euocabuntur à Domino dicente: *Venite Matth. 25. benedicti Patris mei, possidete regnum, & cat.* Tunc implebitur quod dictum est. *Superbum sequitur Prou. 29. humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.* Item. *Iob 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Et sancti exultantes, & gratias agentes Deo continent. *Latati psal. 89. sumus pro diebus quibus nos humiliasti, &c.*

7. *Omnem sollicitudinem vestrã proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Quoniam verò hi qui ex animo atque humiliter aliis sese demittunt, timere possunt ne ab omnibus conculcentur & opprimantur, docet hoc loco Apostolus, vt istiusmodi curam ac sollicitudinem Diuinæ prouidentix cõmittant, & magna fide spèque in eius tutela conquiescant: is enim felicissimum exitum dabit rebus nostris. Pro certo namque vita nostra curæ est illi, interno ac spiritali gaudio corda nostra lætificabit, quantum oportuerit & docuerit nos à præsentis sæculo nequam eripiet, tandemque gloria & honore in cælis coronabit, si toti in eum recumba-

532 COMMENTARIA IN CAP. V.
mus. Non potest nos non tutari, filios diligit &
amplectitur. Quare sapientissimè à Psalte dicitur: *lacta in Dominum curâ tuam, & ipse te enutriet: & non dabit in aeternum fluctuationem iusto.* Sic &
Paulus monet: *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione, petitiones vestrae innotescant apud Deum. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum.* Et Christus ipse ait: *Considerate lilia agri, & volucres cali: non laborant, neque nent, nec congregant in horrea. Pater vester scit quibus indigetis. Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adjicientur vobis.* Aurea sanè & diuo Aurelio Augustino digna mihi videntur in hanc rem verba. O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquémq; nostrû, tanquam solum cures: & sic omnes, tanquam singulos. Et idem rursus. In toto tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Quocumque iëro, tu me Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram, &c.

Vnde ergo ista proverbia, Vlulandum est inter lupos, ne ab his lacereris: Stultus est, qui ad ouis instar se componit, quia lupis se vorandum objicit: nisi quia Diuinis promissis istis diffidentes, putamus nostra patientia frænum laxari impiorum audaciæ, vt petulantius nobis insultent? Nos pœnitus à Deo relictos improborum libidini? Hæ cogitationes ex ignorantia diuinæ prouidentia, aut infidelitate nascuntur. Enimuerò si feridò crediderimus nos curæ esse Deo, facîle ad patientiam & mansuetudinem animos nostros

Matth. 6.
Luc. 12.

L. 3. confess
c. 11.

L. Solilo-
quior. c. 14.

componemus, *Ne timeas à facie eorum*, inquit ad Ieremiam, *quia ego & tecum sum vt eruam te.* Et paulò post. *Bellabunt aduersum te, & non praualebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.* An Christus omnino periit, quando vt ouis ductus est ad victimam? Vel Apostolis defuit Dominus, quãdo misit eos in vniuersum mundum, sicut oues in medio luporum? Æstimati fuerunt vt oues occisionis?

Cæterùm, non ita iubemur conijcere omnem curam in Deum, quasi nos lapideis cordibus peditos, omnique sensu priuatos ille esse velit: sed ne trepidatio vel anxietas nimia ad impatientiam vel impietatem nos impellat. Tradit enim B. Thomas triplicem esse sollicitudinem: ac primam quidem præcipi, secundam permitti, tertiam prohiberi. Prima est de salute animæ suæ de qua Paulus: *Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ sunt Domini.* Secunda de corpore, de qua scribit idem Apostolus: *Volo vos sine sollicitudine esse:* non quod omnino mala sit: sed quia maius bonum impedit scilicet, contemplationem æternorum. Tertia est sollicitudo nimis curiosa, & quæ coniunctam habet infidelitatem, vel quondam saltem de Diuina bonitate & beneuolentiâ in genus humanum diffidentiam. Ait namque Sapiens: *Expe- Etatio sollicitorum peribit.*

8. *Sobrii estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quarens quem deuoret.*

Hæc est tertia pars huius capituli, qua omnes,

id est, tam perfectos quàm subditos, tam senes quàm iuvenes ad sobrietatem, & indefessam aduersus diaboli furores & insidias vigilantiam exhortatur. Sobrii estote, inquit, quoniam crapula ignauiam & somnum generat. Vobis autem in hoc mundo semper vigilandum & dimicandum est, ideo vigilate animis, semper attentis, semper circúspectis. Non enim dormit ille salutis vestræ aduersarius sitiens humanum exitium: sed obambulat veluti leo famelicus ac rugiens, vndique captans quem deuoret. Nullum non aditum tentat in vos, nunc insidiás per voluptates, nunc oppugnans aduersis, inducias nullas vnquam concessurus mortalibus.

Attende autem in primis temperantiam in omnibus actionibus, maximè autem in cibo & potu, híc nobis commendari. Vt enim crapula corpus humanum ineprum reddit: ita qui reliquis mundi voluptatibus immerguntur, regno cælorum studere non possunt. Et quemadmodú illa tēperat omnes appetitiones, & efficit vt hæ recte rationi pereant, conseruatq; considerata iudicia mentis: sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflamat, conturbat, incitat. Est enim illa, vt scribit illustis orator, moderatrix omnium commotionum, atque libidinum inimica. Obtemperantes igitur Apostolo, sobrii simus, in cibo, potu somno, veste, verbo, & cæteris corpori necessariis moderationem seruantes. Ne quid nimis. Et Saluator ait. *Attendite ne corda vestra grauentur crapula, vel ebrietate, & curis huius sæculi.* Et iterum. *Vae vobis qui saturati estis, quoniam esurietis.* Historia illud confirmauit Epulonis, qui

L. 5. de firib.
l. 3. offic.

Lnc. 21.

Lnc. 6.
Lnc. 16.

pro splendidis & quotidianis epulis, sempiterna fame & siti inter flammæ gehennæ conficitur. Paulus quoque prohibet vitam ducere in comestrationibus & ebrietatibus, cubilibus & impudicitis: iubet autem sobriè, & iustè, & piè viuere in hoc sæculo. Sapiens quoque scribit. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijciet vitam.* B. Effrem differens de ebrietatis incommodis sic eam fugiendá docet. Fuge vinum velut venenum, ne ebretas te superet, expoliatúmque virtutibus nudum efficiat, quemadmodú Noë sanctissimum & antiquissimum virum. Hic enim iustus in illa generatione inuentus, quem tantæ moles aquarú non vicerút, à modico vino deuictus est. Hoc & patriarchá Lot deprædauit, vt contra naturam cum filiabus suis impudenter fœdantérque misceretur. Si ergo sanctis viris vini ebrietas non pepercit, quanto magis te exiguú & infirmum superabit? Ex vino spirituales oculi excæcantur, iniquitas multiplicatur, venenata dulcedo libidinis excitatur, execrâda turpitudine contra naturam cogitatur. Mollescit virtus animæ, cogitatio vitæ æternæ aboletur, anima vincitur visibiliter, delinquitque facillimè, &c.

Deinde, iubet Apostolus *vigilare*, & semper esse in excubiis, ne spirituali oppressi veterno, incautique ab hoste infestissimo crudeliter opprimamur. Eodem modo studiúm nostrú excitat & acuit Paulus, dicens non esse nobis cum carne & sanguine, id est, cum hominibus quibus cum ali-

Rom. 13.

Tit. 2.

Ecl. 37.

L. de luctamine spiri-
tuali. c. 1.

Gen. 7.

Gen. 19.

Eph. 6.

quando in concordiam redire valeamus, collu-
 Etationem: sed cum spiritualibus nequitis, quæ
 nunquam nõ sunt in insidiis vt nobis extremam
 adferant perniciem. Eadem voce nos quoque
 Christus frequenter admonens ait: *Vigilate, quia*
nescitis qua hora Dominus vester venturus est. Si sciret
paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret uti-
que, &c. Vigilate, quia nescitis diem neque horam. Vi-
dete, vigilate, & orate: nescitis enim quãdo tempus sit.

Post attentam horum meditationem ita exclamat
 beatus pater Effrem: Vigilemus ergo dile-
 ctissimi, vigilemus donec in bello constituti su-
 mus, & contra diabolium dimicemus. Pugna qui-
 dem eius in prõptu est, ipse autẽ infirmus existit
 ac debilis: noster autem Dominus fortis agono-
 theta, qui est Rex regũ, his qui alacriter dimica-
 uerint & virtutẽ præstat, & coronã immarcessi-
 bilem. Quemadmodũ enim puluis à vehemẽtia
 venti spargitur, ita & aduersarius noster ad ni-
 hilum redigitur, quando vox nostra in Dei lau-
 dibus personat, & orationes nostræ plenæ la-
 crymis Domino exhibentur, &c.

Rationem propositionis reddit Apostolus à
 descriptione hostis nostri. Primò, quoniam Sa-
 tanas, id est, *aduersarius* ac inimicus est. Iustinus
 martyr scribit: *Satan* Iudæorum Syrorumque
 lingua, desertorem significat. Hæc autem vox
Nas, quod interpretatur *serpens*, Hebræis idem
 quod *Sata* valet: ita ex vtroque vnum vocabu-
 lum componitur *Satanas*. Aduersarius ergo &
 serpens est, qui quanto humani generis flagret
 odio iam ab initio mundi patefecit, cum assum-
 pta serpentis larua illud ipsum in peccatum &

ruinam perduxit. Basilius multis modis magnus
 istius odij fontem aperiens, dicit: Diabolus vbi
 vidit hominem ad Dei imaginem factum, quum
 non posset in authorem ipsum, quem ante om-
 nes lædere cupit, in eius imaginem suam exercet
 malignitatem. Veluti si quis inimicum Regem
 attingere non valet, eius simulacrum cæderet.
 Vidi Pardalim (alij Panthoram, & pardum no-
 minant) inter animalia hominibus inimicissi-
 mam, hominis in charta expressam imaginem
 furibundam concerpere atque dilacerare: hoc
 argumento satis ostendens quanta sit eius ad-
 uersus hominem inimicitia. Sic Diabolus in Dei
 imaginẽ quo sit erga Deum odio ostẽdit, quan-
 do Deum attingere nequit, &c.

Hinc & *Diabolus* vocatur, id est, impostor, ca-
 lumniator, & fallax, qui nos accusat in conspe-
 ctu Dei, etiam cum bene facimus, sicut Iobum
 detulit hypocriseos ac blasphemix: quãto ma-
 gis cum peccamus? Insuper, ad peccandum sol-
 licitar, & cum ad scelus pertraxerit, impius tra-
 ditor, tum etiam de commissis accusat, & ad pa-
 rem secum dãnatio postulat. Diabolus dicitur,
 inquit Basilius, quoniam idem & in peccato no-
 bis cooperatur, & accusator est. Gaudet ex inte-
 ritu nostro, nosque eorum gratia quæ commis-
 sa sunt, traducit.

Inde etiam cum *leone rugiente* comparatur,
 quoniam crudelis, sanguinarius, & terribilis
 est. Leo namque sanguine delectatur, & cum
 prædæ inhiat, horribiles rugitus edit: sic diabo-
 lo nihil truculentius, nihil tetrius, nihil terribi-
 lius, nihil insectius hominibus. Quam ergo stul-

Matth. 24.

Matth. 25.

Marc. 13.

L. 2. de com-
punctione cor-
dis, c. 2.

Dialog.

Gen. 3.

Hom. 21. que
est in aliquot
scriptura lo-
cos: & Hom.
10. in hexer-
micron.Apoc. 12.
Lib. 1. & 2.

Homil. 9.

ti, quàm amentes sunt, qui illi credunt, vt olim Heua: qui illū consulunt, instar Saulis, & Ochoisæ: qui opera eius vtuntur, velut magi & malefici: & consiliis eius obtemperant, sicut Iudas Ischariotes?

Non vno demum loco quiescit aut latet, aut nocet: sed vniuersum orbem *circuit*: ignem, aërē, aquam, terrā, omnia huius mundi regna. omnia loca incredibili pernitate tam per seipsum, quàm per malitiæ, suæ angelos & satellites peruadit; & nunc illic, mox isthic præsto est, vt quantum possit, noceat. Sic enim significat cum perquisitus à Deo, *Vnde venis?* respondet: *Circuivi terram, & perambulaui eam.* In cælis angelos, in paradiso primos parentes de ambitu & perduellione sollicitauit: ex domo Abrahamæ Ismaëlem, ex domo Isaac Esau, ex domo Iacob Patriarchas ad varia scelera pertraxit. In Pharaonis, Nabuchodonozoris, Assueri, Antiochi, Herodis & Regum aula, in Annæ, Caiphæ, & aliorum pontificū palatiis, suarum impietatū ministros plurimos habuit. Iudam proditorē ex schola Christi, & Nicolaum Antiochenum ex Apostolorum conuentu in castra sua pellexit, &c.

Cum ergo bellum nobis sit & continuum & acre cum hoste vigilantissimo, crudelissimo atque potentissimo, sollicitè & attentè profectò nobis vigilandum est, & in acie perstandum, ne nos prosternat, deuoret, & perdat. Terroris plena res nostra est, si quis pro dignitate negotium expendat. Hostis nimis ferus & immanis ad portas: nos homuli ex argilla & luto ficti, & ad omne vitiorum genus procliuēs; hic velut in regno

diaboli (vocatür namque princeps mudi huius, & Deus huius sæculi) degentes & inter innumerabilia scandala & pericula continuo diuersantes. An non ergo sedulo excubandum? Nobis singulis locis & momentis prospiciendum? Quis in spelunca latronum & prædonum constitutus, securus quiescit, & non potius manus illorum effugere non quærit? non festinat?

B. Augustinus de fraudibus & iniuriis diaboli sic ad Deum conqueritur. Domine Deus, pater tenebrarum laqueos suos abscondit, vt capiantur in eis omnes, qui sunt in tenebris suis, qui sunt filij tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat, nõ timebit, &c. Ex quo de cælis cecidit, non cessat persequi filios tuos. Et in odium tuum, ô Rex magne, cupit perdere hanc creaturam tuam, quam creauit omnipotens bonitas tua ad imaginem tuam, vt possideat gloriam tuam, quam ipse perdidit per superbiam suam. Sed contere eum, fortis noster, antequam nos agnos tuos deuoret: & illumina nos, vt videamus laqueos quos ipse parauit, & euadamus ad te, ô lætitia Israël. Nam nunc hic nunc illic, nunc agnum nunc lupum; nunc tenebras nunc lucem in se ostendit, & singulis quibuslibet qualitatibus, locis, & temporibus, varias exhibet tentationes. Nam vt tristes decipiat, tristatur & ipse: vt gaudentes illudat, fingit & ipse gaudere: vt spirituales defraudet, in angelum lucis se transfiguratur: vt mites deuoret, apparet lupus, &c.

B. Ambrosius inde cõtendit, neminē debere virtuti propriæ cõfidere: quando quidē habeamus

Soliloquiorum, cap. 17.

Ioan. 9. & II.

Com. in ca. 3. Luca.

In cap. 12.

aduersarium magnū, qui uinci à nobis sine Dei fauore non possit. Idem postea: Aduersarius iste ferit illecebras delictorum, ut habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes: atque ideo socios quarit ad culpam, ut obnoxios prodat ad pœnam. Hunc nobis cauendum Petrus Apostolus monet, &c.

Serm. de zelo & timore.

B. Cyprianus quoque de hoc B. Petri loco ita differit. Excubandum est fratres, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sæuienti, & iacula sua in omnes corporis partes dirigenti, plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus Apostolus præmonet, dicēs: *Sobrius estote, &c.* Circuit ille nos singulos, & tāquam hostis clausos obsidēs, muros explorat, & tentat an sit pars aliqua minus stabilis, cuius aditū ad interiora penetretur. Offerit oculis formas illices, ut visu destruat castitatē. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu soluat & molliat Christianam vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum ad cædem instigat: honores terrenos promittit, ut cælestes adimat: ostentat falsa, ut vera subripiat: & cūm latenter nō potest fallere, apertē minatur: terrorem persecutionis intendit ad debellandos Dei seruos, semper infestus, in pace subdolanus, in persecutione violentus. Quamobrem fratres, contra insidias & minas eius stare debet instructus animus, tam paratus semper ad repugnandum, quā est ad impugnandum, &c.

L. 1. de compunctione cordis, cap. 9.

B. Effrem docet quibus precibus sit aduersus hunc hostem, diuinum implorandum auxilium: Accede ad Deum importunē, ait ille, ne dubites,

& procide ante eum, ingemiscens & plorans dicit ei: Domine meus & saluator meus, quare me dereliquisti? Misere mei, quoniam tu amator hominum es solus: & salua me peccatorem, quia tu solus es sine peccato. Extrahē me de cœno iniquitatum mearum, ut non ibi infigar in æternū. Libera me ex ore inimici mei: ecce enim ut leo rugit, deuorare me cupiens. Excita potentiam tuam, & ueni, ut saluum me faciās, &c.

Psal. 21.

Psal. 68.

Psal. 79.

B. Athanasius interrogatus, cuius rei gratia permisit Deus, ut bellum esset inter genus humanum, & inter diabolum? Respondit. Ut ij qui diligunt Deum manifesti fierent: & ut ij qui delictis dediti sunt, redarguerentur. Vbi namque nullus est aduersarius non manifestantur dextri Regis milites. Ergo diabolus uictoriæ causa est, & hoc quoque pacto cognoscitur ab iis qui diligunt Deum, &c. De cacodæmonum nominibus, lapsu, & fraudibus copiosē disseruimus Com. in Epistolam B. Iudæ.

9. Cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem ei, qua in mundo est, uestra fraternitati fieri.

Proposito periculo, remedium subiicit, morbi que præsentissimum monstrat antidotum: nimirum fidem constantem & feruentem; cui superius sobrietatem, vigilantiam, & orationem adhibuit. Ne detis locum ullum, inquit, Diabolo, sed animas obstitite illi. Vnde autem vires aduersus hostem tam potentem? Potentior est Deus ille omnipotēs, qui curam habet uestri uictus

inferis atque diabolis. Illi fidite, illum inuocate totis animis, nihil poterit aduersarius. Erga diffidentes robur habet, erga fidentes imbellis est. Si hunc aut illum tantum impeteret, fortassis esset grauior afflictio: nunc vniuersum piorum gregem pari persequitur & impugnat odio. Sit vobis de tanto consortio solatium. Quinimodò, Christum Iesum qui in vobis viuit & regnat, persequitur, inuidet saluti omnium, quò leuius est ferenda communis omnium afflictio, & concordibus animis standum aduersus hostem communem.

Prosperum igitur speremus huius belli nostri contra diabolium, euentum, modò certemus sub Christi vexillo. Quisquis enim fide & spe in eum, instructus, in superque ieiuniis & orationibus munitus in certamen descendet, eum fore victorem Apostolus pro certo denunciat. Idem adfirmat alius quoque Apostolus dicens: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Et Christus de superbissimo & furiosissimo dæmonum genere dicit: *Hoc genus dæmoniorum non eicitur nisi in oratione & ieiunio.* S. Antonius à truculentissimo cacodæmonum principe & frequenter, & variè, & grauitè impetitus, ieiunationibus, vigiliis, precibus, fidèque firma munitus, omnes conatus eius superauit: quin & huius artibus illudens, exprobrabat ei imbecillitatem, quod tam acer spiritus homunculù vincere nequireret. Sic adimpleretur quod Christus dixit. *Dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones & serpentes, & super omnem potestatem inimici. Demones eicite. In nomine meo dæmonia eiciunt.* Hinc sacris & fortissimis exor-

Luc. 4.

Matth. 17.

Athenas. in eius vita.

Luc. 10.

Matth. 9.

Mar. 16.

cismis & in Baptismo, & in obsessis hominum corporibus, & in locis ac domibus infestis, Episcopi & sacerdotes catholici dæmonibus constanter imperat vt recedant, & abeant in locum suum: ad id etiam sanctissimis sacramentis, sanctorum reliquiis, aqua lustrali, crucisque consignationibus religiosè adhibitis: hisque magna Christi gloria, & nostræ pietatis confirmatione, exire & cedere compelluntur. Hac virtute distincti miserabiles Hognostici, sacros exorcismos damnant, ista in re diabolo aduersus salutem generis humani egregiè patrociantes.

Credamus etiam fidem firmam & caritate formatam tutissimum esse Christianorum contra omnes insidias dæmonum, & artes satellitum eorum, propugnaculù. Hanc à nobis in primis postulat Dominus, cum ad lauacrum regenerationis adducti, interrogamur: *Credis in Deum Patrem? Credis in Iesum Christum? Credis in Spiritum sanctum, & sanctam Ecclesiam catholicam? Ideo Paulus præcipit in omnibus sumere scutum fidei, in quo possimus omnia tela ignea nequissimi extinguere.* Et Ioannes scribit: *Hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Hanc frequenter commendans simul & præmians Dominus in Euangelio dicit: *Sicut credidisti, fiat tibi. Fides tua te saluam fecit. Secundum fidem vestram fiat vobis. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Et à Martha petiit: *Credis hoc? &c. Nonne dixi tibi, quoniã si credideris, videbis gloriam Dei? Itaque si demones ad schismata & hereses sollicitauerunt, credamus & obtæperemus Ecclesiæ. Si de superbia*

Eph. 5.

I. Ioan. 5.

Matth. 8.

Matth. 9.

Matth. 15.

Ioan. 11.

Matth. 18.

Iac. 4.
1. Petr. 4.
Rom. 8.
Ezech. 13.

tentauerint, credamus Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam. Si ad illicitas voluptates impulerint, credamus quod si secundum carnem vixerimus, moriemur. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Si ad desperationem prouocent, credamus Deum nolle mortem peccatoris, &c. Et quocumque modo nos tentet Satanas, non cedamus, sed spiritualibus armis contra eum pugnemus. Debilis est hostis, non vincit nisi volentem.

Scientes eandem passionem, &c.

Nouam addit tentatis & afflictis consolationem, sumptam ab exemplo omnium aliorum qui per mundum dispersi erant fratrum Christianorum, qui similiter affligebantur. Eadem patiuntur fratres vestri, qui in mundo viuunt. Syrus: *Scitote etiam quod contra vestros fratres, qui in mundo sunt, ipsæ illæ passionem eueniunt.* Tantò ergo fortiores estote in fide, tantò maiorem habetote fiduciam ad superandas diaboli versutias: quantò constat quia non vos soli tentamini, sed ipsa passio quæ vos fatigat, ei quoque, quæ per totum mundum est Ecclesiæ Christi, vestræ videlicet fraternitati communis est: & quod à constitutione mundi semper passi sunt iusti. Grauitatem alleuiat societas consortum. Pudeat igitur vos solos sustinere non posse. Nimis certè arrogantes essetis, si vos secus tractari velletis, quam omnes alij Dei cultores.

Ergo fidei, constantiæ, & patientiæ grauissima exempla nobis à Spiritu sancto in omnibus sanctis ad imitandum proposita sunt, ut non pudeat aut pigeat passionum earundem esse confortes, vt

res, vt simus & consolationum. Idcirco de laboribus beati Tobiae, & sancti Iob scriptura dicit: *Hanc tentationem permisit Dominus euenire, ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut & sancti Iob.* Paulus quoque ait: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum conuersationis exitum intuentes, imitami fidem.* At verò, quot volunt gaudere cum Sanctis, & tribulationes mundi nolunt sustinere cum illis?

Insuper, videmus tērationes Ecclesiæ esse communes, atque perpetuas. Nam si patitur vnum membrum, compati & cætera membra. Ideò & Paulus de seipso ait. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Et aliis præcipit: *Mementote vincitorum,* id est, piorum Christianorum, qui propter Christum in carceribus victi tenebantur, *tanquam simul victi essetis: & laborantium,* id est, eadem de causa afflictorum, *tanquam & ipsi in corpore commorantes.* Et per Prophetam Deus *Ps* dicit eis, *qui bibunt vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiuntur super contritione Ioseph,* hoc est, contritis, afflictis, rerum penuria laborantibus, & pro pietate maximè certantibus, non compatiuntur. Quod si hi qui non compatiuntur Dei proprio ore sunt maledicti, qualis & quanta eius ira manet eos, qui illis detrahunt, magistratus atque tyrannos aduersus illos irritant, & ad supplicia pro Christo euntes irrident atque blasphemant?

Quod autem huiusmodi tentationes & passionem perpetuæ sint in Ecclesia, vel ex eo satis liquidum est, quòd ab initio Abel à Caino, Noè à Gigantibus, Abraham à Chaldæis, Isaac

546 COMMENTARIA IN CAP. V.
 ab Ismaële, Iacob ab Esau, Ioseph à fratribus,
 & omnes iusti multa & grauius pericula dam-
 naïque subierunt. A Prophetis & Apostolis
 non abs-re dicitur: Propter te mortificamur to-
 ta die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Et
 Paulus rectè dixit: Omnes qui piè volunt uiue-
 re in Christo, tribulationem patiuntur.

Memoria quoque dignissimum est, quòd to-
 to orbe dispersos Christianos, *Fraternitatem*
 appellat. Nam pij omnes verè fratres sunt in
 Christo. *Si peccauerit in te frater tuus*, inquit,
Lucretus eris fratrem tuum. Fratres estis, & unum
habetis patrem, Deum, &c. Huius fraternæ in-
 ter Christianos caritatis & appellationis ratio-
 nes istas assignat Tertullianus. Fratres & dicun-
 tur & habentur, qui vnum Patrem Deum agno-
 uerunt, qui vnum Spiritum biberunt sancti-
 tatis, qui de vno vtero ignorantia eiusdem ad
 vnam lucem expauerunt veritatis. Itaque quia
 animo animaque miscemur, nihil de rei com-
 municatione dubitamus. Omnia indiscreta
 sunt apud nos præter vxores, &c. Iustinus mar-
 tyr, & Athenagoras eiusdem quoque nuncu-
 pationis meminerunt. Clemens Alex. de ea-
 dem scribit: Fratres nos esse, utpotè vnus
 Dei & vnus magistri, alicubi etiam Plato di-
 cere videtur hoc modo: Qui in ciuitate estis,
 omnino fratres estis. Insuper, Minutius felix
 ait: Fratres vocamur, ut vnus Dei parentis ho-
 mines, ut confortes fidei, ut spei cohæredes, &c.
 Væ itaque schismaticis, qui tot seminant inter
 fratres discordias.

Psal.

Rom.

2. Tim. 3.

Matth. 28.

23.

Apolog.

cap. 39.

Apolog.

L. 5. Strom.

In Octauo.

10. *Deus autem omnis gratia qui vocauit in eter-
 num suam gloriam in Christo Iesu, modi-
 cum passos ipse perficiet, confirmabit, solida-
 bitque.*

Hac quarta & postrema parte capitis totam
 Epistolam claudit graui & eleganti Epilogo, qui
 etiam suis aliquot articulis absoluitur. Primo
 enim diuinum illis comprecatur auxilium. Deus
 ille à quo omne datum optimum & omne do-
 nū deforsum est descendens: & qui nos, quòd sua
 demùm ornaret gratia, ditaretque per Christum
 parta beatitudine, ad suam noticiam accersiu-
 it: ille ipse quæcunque pollicitus est vobis serua-
 bit, perficietque. Hic pugna pro vobis fessis
 succedet, ac deinceps ne nutetis suffulciet, co-
 ronabitque, ac finem tandem miseris & hosti-
 bus vestris imponet.

Attende sanctissimum Apostolorum morem.
 Post varias exhortationes, & graues de fide
 nostra dissertationes, ad feruentissimas preces o-
 rationem suam conuertunt. Sic quippè dedi-
 cerant à Domino, qui finitis ad turbas con-
 cionibus, secedebat in montes, illicque fre-
 quenter pernoctabat in orationibus. Vniuer-
 sùmque Euangelij sui ministerium clausit il-
 la planè diuina prece, quæ refertur à discipu-
 lo quem diligebat, capite decimosextimo. Ita
 & Paulus cunctas ferè Epistolas à precibus in-
 choatas, hac oratione sæpius absoluit: *Gra-
 tia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.*
Amen. Atque hoc exemplum ad imitandum

Rom. 1. &

16.

1. Cor. 1. &

15.

2. Cor. 13.

Gal. 1. & 6.

cunctis verbi Dei præconibus propositum est, quia parum proderit externum diuinæ legis ministerium, nisi Deus sua virtute interius operetur. Nam qui plantat, & qui rigat nihil sunt, nisi Deus dederit incrementum.

Vocat autem Deum omnis gratiæ, nimirum creatorem, fontem, & largitorem. Ab eo enim omnis fidei, spei, & caritatis gratia pendet: nec aliunde virtutes omnes, ac officia illarum ortum habent. Quid enim habuerunt vnquam vel Martyres, vel Apostoli, vel Prophetæ, vel etiam beati Angeli, quod non ab illo acceperint? Nam cum natura simus filij iæ, proculdubio vniuersa quæ subsequuntur & adduntur bona, gratiæ diuinæ beneficia sunt. Etenim de plenitudine eius omnes accipiunt. Et Paulus ait. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatam. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Itaque & fides gratia est, & constantia in fide inter persecutiones ab illo est, qui est Deus omnis gratiæ.

Effectus autem huius diuinæ gratiæ sunt tam interior vocatio ad fidem & gratiam, quæ fit per spiritalem afflatum & inspirationem; quam exterior ad baptismum ac Ecclesiæ communionem, per verbi diuini prædicationem: tum maximè ad cælestis vitæ & gloriæ participationem. Ideò Paulus ad Thessalonicenses ait: *Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster.* Et de se atque Timotheo suo scribit: *Deus nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam qua data est nobis in Christo Iesu.* Itaque

causa prima salutis omnium nostrum, vocationis gratia est: cui acquiescere, atque cooperari nos pro viribus oportet. Hac ratione postea scribit Petrus: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Finis autem nostræ vocationis est gloria Dei, videlicet, vt ei simus ornamento: primum in hoc seculo vera fide, constanti eius coram hominibus confessione, spe in eius promissa quæ expugnari non possit, vitæ innocentia, operibus ad eius præscriptum proximo exhibitis, denique fortissimo si fors tulerit pro nomine eius martyrio. Sic enim præcipit Dominus, vt luceant opera nostra coram hominibus, vt glorificent Patrem qui in cælis est. Et promittit se eum confessurum coram Patre & Angelis, qui eum non erubuerit coram hominibus. Et cum dixisset Petro: *Cum serueris*, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis, subdit Euangelista: *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum:* quibus manifestum est, gloriam Dei coram mundo manifestari & declarari fide, vita, virtutibus, & pretiosa morte sanctorum.

Vocauit quoque nos Deus in aeternam gloriam suam, nimirum, vt in altero seculo illam nobis liberalissimè communicet, dicendo: *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui.* Item: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis à constitutione mundi.* Esuriui enim, &c. Hæc gloria non fluxa nec momentanea est, vt huius mundi gloria, quæ tanquam flos fœni decidit & marcescit: sed prorsus æterna, quæ finem non

1. Cor. 3.

Ioan. 3.
Rom. 1.
Eph. 4.

2. Thess. 1.

2. Tim. 1.

Matth. 5.

Matth.
Luc.

Ioan. 21.

Matth. 25.

Isa. 40.

Matth. 25.
Ioan. 15.
Isa. 64.
I. Cor. 2.

habebit. *Ibunt iusti in vitam aeternam. Gaudium vestrum, inquit, nemo tollet a vobis.* Tanta porro est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c.

Vocauit autem nos in Christo Iesu, quonia hu-
ius meritis & gratia Pater nos admittit in filios
per gratuitam adoptionem. *Dedit potestatem filiis
Dei fieri. Quod si filij, & haeredes. Ac haeredes qui-
dem Dei, cohaeredes autem Christi.* Illius etenim
morte & passione Pater nobis factus propitius,
peccata pœnitentibus condonat, æternas pœ-
nas remittit, & beatam confert immortalita-
tem: ad eò vt Christus quatenus homo, sit to-
tius salutis humanæ causa meritoria: & qua-
tenus Deus, eandem nobis salutem conferat:
sicque omnis boni nostri prora sit & pupis.

Io. 10. & 14.

Vnde ait. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit,
pascua inueniet. Ego sum via, veritas, & vita. Ego
vitam aeternam do eis. Iterum veniam, & assumam
vos ad meipsum.*

I. Cor. 4.

Addit, *modicum passor*, animum addens à breui-
tate tēporis, seu leuitate præsentium tribulatio-
num. Nam breuissimum est & leuissimū quod-
cunque & quantumcunque in hoc sæculo pro
Dei nomine patimur: sempiternum autē & ines-
tabile præmium i. dicente Paulo: *Id quod præsentis
est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra-
modum in sublimitate aeternum gloriae pondus opera-
tur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur,
sed quæ non videntur.* Et alibi rursum. *Non
sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram
gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quid enim sunt
mille anni, ad aeternitatem comparati? Quid*

Rom. 8.

breue carceris tædium, eculci aut crucis supplicium, si cum vitæ cælestis ac aeternæ beatitate conferatur? Hinc Augustinus miseræ huius vitæ pertæsus, & cælestis desiderio totus inardescens scribit: O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & sanctis eius sociari: nonne dignum esset pati omne quod triste est, vt tanti boni & gloriae participes essemus?

Manualis.
cap. 15.

Summa porro Apostolicæ præcationis est, vt
Deus sua gratia, pro nomine suo laborantes &
afflictos, primò *perficiat*, seu instauret. Nam
quandiu hic viuimus, valde adhuc imperfecti
sumus, & longè plura pati meremur, quàm Do-
minus infligat. Secundò, eisdem *confirmet* atque
roboret in fide & bonis operibus quæ cœpe-
runt, vt in his ad finem vsque perseuerent. Ter-
tiò, illos etiam *solidet*, constabiliatque ne ab ho-
ste vincantur & prosternantur. Vel vt *perficiat*
intellectum in credendis & contemplandis re-
bus diuinis: *confirmet* voluntatem in caritatis fer-
uore, vt neque mors, neque vita separet eam à
Deo: *solidetque* memoriam, vt fixa & stabilis in
Deo, nec extra illum euagetur.

Rom. 8.

Igitur omnium Christianorum officium est, ora-
re pro assequutione doni perseuerantia. Nam ho-
mines natura varij, mutabiles, & incòstantes su-
mus: cursum nostræ vocationis inter tot offendi-
cula rectum semper tenere difficile & arduum est:
ideo precibus còtinuis ad Deum opus est, ne patia-
tur nos excidere. Sic orauerunt Apostoli & primi
Christiani: *Da seruis tuis constantiam.* Et Dauid hac

Act. 4.
Psal.

ratione vocat Deum, fortitudinem suam, robur suum, petramque refugij sui: *quoniam ab ipso*, inquit, *patientia mea. Ego dixi in abundantia mea: Non mouebo in eternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Christus denique rogans pro Petro, ne deficeret fides illius, palam ostendit perseverantiæ donum è cælis hominibus conferri.

Fraudulenter ergo & perfidè auditores suos fallunt ministri Caluiniani, cùm illis suadent: *Fidem semel acceptam non posse animo excidere: illamque à dono perseverantiæ nunquam posse separari:* quando quidem pro assecutione huius doni frustra essemus solliciti, frustra precaremur, frustra Christus & Apostoli orassent. Ad hæc, nunquam Israhelita à patrum pietate ad idola, ad cultum vitulorum, & baaliticam superstitionem defecissent: nunquam Discipuli abiissent retrò: nunquã negasset Petrus, tradidisset Iudas: aut Thomas fuisset incredulus. Nulli fuissent Ebionæ, Nicolai, Cerinthi, Demæ, Hermogenes, Phileti, Hymenæi, Alexandi, vel alij, à fide naufragantes. Galatæ non transiissent in aliud Euangelium: Pseudoapostoli non subuertissent quorundam fidem: nec Paulus prænucciasset, in nouissimis temporibus quosdam esse discessuros à fide, vt attenderent spiritui erroris, & doctrinis dæmoniorum: quæ omnia tam absurda & impia sunt, vt ampliori refutatione superiores errores non egeant. Vide Dialogum septimum prioris hebdomadæ nostræ.

II. *Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum.*
Amen.

Alius est articulus Epilogi continens elegantem & grauem doxologiam: qua prorumpit Apostolus in actiones gratiarum, quò piis omnibus maiorem excitet in Deum fiduciam. Quasi dicat: Non nobis, profectò non nobis, sed nomini & Numini diuino detur gloria. Deus enim solus est, qui donum fidei & perseverantiæ, nobis contulit: huius gratia sumus id, quod sumus: huius præsiidiis afflictiones perferimus: huius gratia & bonum operamur, & saluamur, & coronamur. Ipsi ergo gloria ineffabilis & sempiterna, imperium summum in omnia ab eodem condita, idque sine vllò fine aut termino.

Hunc ergo solum timeamus, adoremus, & in cunctis periculis, adeoque ipsa morte saluatorem supplices inuocemus. Atque hoc ipsum est sacrificium laudis, quod à nobis suo iure postulat, dicens: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te: & honorificabis me. Immola Deo sacrificium laudis.* Huic procidunt omnes beatorum spiritus, adorantque viuentem in sæcula seculorum, mittentes coronas suas ante thronum eius, & dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem, & cat.* Ter quaterque miseri qui hæc vel non agnoscunt, vel agnita contemnunt, blasphemant, irrident, &c.

11. *Per Siluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter scripsi: obsecrans & conestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.*

Tertius articulus Epilogi, continens, per quem

Lnc. 21.

Ioan. 6.

Matth. 26.

& 27.

Ioan. 20.

1. Tim. 1.

Gal. 2.

1. Tim. 6.

1. Tim. 4.

Psal. 49.

Apc. 4.

Epistola missa sit ad Asianos, seu Ponticos: & quo consilio scripta fuerit. Quantum ad Siluanum attinet, sunt qui eum cum Sila Pauli comite confundunt: sed eos vehementer falli docet aperte Dorotheus martyr, quando Silam Corinthiorum Episcopum, Siluanum verò Thessalonicensium fuisse tradit. Græci etiam in Calendario, ad diem trigesimū Iulij distinctè notant: *Silas & Siluanus Apostoli*. Vsuarius scribit, Silam Apostolum apud Macedones natum, & ab Apostolis ad Ecclesias destinatum ibique passionibus suis Christum clarificasse: quæ etiam probat Petrus Natalis in suo Catalogo. Siluanus verò Paulus frequenter meminit, eumque sibi & Timotheo, vt cooperatorem in euangelio coniungit: huncque Thessalonicæ, vbi pastorem egit, mortuum & sepultum scribit idem Petrus de Natalib.

Magni verò momenti est, quòd hîc ab Apostolo commendatur, primò, vt amanuensis atque tabellarij nomine. Sic namque Paulus rarò sua manu scribebat Epistolas: sed dictabat, & subscribebat. Secundò, laudatur vt frater, atque fidelis, quod certè non exigui honoris & dignitatis est: quando quidem non nisi egregiè sanctis & fidelibus viris suas committebant Epistolas, eosdem ad Ecclesias visitandas & consolandas amandabant. Sic Paulus Timotheum misit ad Thessalonicenses, vt confirmaret eos. Eundem Ephesi iussit remanere, & ibidem Ecclesias instituere. Idem per Titum in insula Cretensi presbyteros oppidatim ordinari curauit. Ad Philipenses misit Epaphroditum: ad Colof-

In Synopsi.

Iulij 13.

2. Cor. I.
1. Thess. I.

1. Thess. 3.
1. Tim. I.

Tit. I.

Coloss. 4.

senses Tychicum: eundemque Roma ad Ephesios ablegauit, vt certiores redderet eos de rebus eiusdem Pauli: aded de salute omnium Ecclesiarum solliciti erant beatissimi Apostoli. Viderint horum successores, quomodo illos nunc imitentur.

Quo autem fine scripserit hanc Epistolam, duabus vocibus significat, *ἠδελφῶν καὶ ἑπιμαρτυρῶν*, adhortans, per sacra rogans, & contestans eos, vt crederent hanc doctrinam prorsus diuinam, certam, & salutarem esse, quæ illis singulari gratia Dei prædicata fuerat: proindeque pro ea constanter decertandum, & præfenti animo ferendum quicquid aduersi contingeret pro eius defensione. In eo quod cœpistis, inquit, perseuerate, ne qua res dimoueat animum vestrum. Tutam & veram salutis viam estis ingressi: hucusque progressi estis Dei beneficio: persistite fortiter eiusdem præsidii, donec ad palmam vitæ immortalis perueniatis. Sic currite vt comprehendatis. Estote fideles vsque ad mortem, & dabitur vobis corona vitæ.

Horum contemplatione videmus, Christianos quantumuis pios & fideles, continuis admonitionibus opus habere, vt fidem semel susceptam foueant, nutriant, adaugeant, ne quouis doctrinæ vento circumferantur in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: neque sint ex illorum numero, qui per varias sectas vagantes, semper discunt, sed nunquam ad veritatis cognitionem perueniunt. Eph. 4.

Conspicimus etiam, quæ sit vera fides atque religio. Ea nimirum, quæ tam scriptis quam

sermonibus non scriptis Apostolorum & Discipulorum olim per Asiam, Europam, & Africam promulgata est. *Hac est*, inquit Petrus, *vera gratia Dei*, id est, vera diuina religio, quæ vos Dei filios, & cohæredes Christi constituit, *in qua statis*. Hac enim proponitur vobis Iesus Christus, Deus & homo, mundi saluator & iudex, cui vniuersa lex & Prophetæ testimonium perhibent. Ergo omnium antiquissima est. Spiritus quoque sanctus miris de cælo portentis de eodem testatus est. Tam ab eodem Christo, nobis & innumeris aliis per vniuersam Palæstinam propriis oculis cernentibus: quàm etiam à nobis Apostolis & Discipulis eius, miraculis factis confirmata est, vt mente caprus videatur, qui de illius veritate ambigit. Itaque fratres, stete, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Custodite dogmata quæ decreta sunt ab Apostolis & senioribus. Hæc & nos obseruemus, legamûsque de his Apostolicis traditionibus Ignatium in Epistolis, Irenæum lib. 3. c. 3. Tertullianum de corona militis, Augustinum epist. 118, 119. &c.

13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone cœlecta,*
& *Marcus filius meus.*

Quartus est articulus Epilogi, habens salutationem communem ac generalem Ecclesiæ Romanæ; deinde, particularem B. Marci, quem per amico & perhonorifico titulo filium suum appellat.

Cæterùm, acriter contendunt Hugnostici, hoc loco Babylonis nomine non designari Romam,

sed vel eam Babylonem quæ in Assyria condita fecit, vel quæ in Ægypto, post modum Cayri nomen accepit. Ad eò rebus certis fidem detrahunt, vt in incertis laborent: & metuunt ne ex apertis Scripturis probemus D. Petrum Romæ docuisse, sedisse, atque illam matricem omnium Ecclesiâ instituisse. Sed quis furor, quæ dementia, vt homines mille & quingentis post Apostolos annis in orbe nati, melius norint quo loco scripserunt, quàm hi qui cum iisdem Apostolis familiariter conuersati, eosdem audierunt de rebus diuinis differentes, viderunt miracula facientes, adfuerunt illis dum scriberent, ac Epistolas suas ad Ecclesias dirigerent? Nam Papias Apostolorum auditor & cooperato, constanter adfirmat, hanc Epistolam contextam fuisse Romæ, dùm ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat. Hoc ex Papia referunt omni exceptione maiores testes Eusebius & Hieronymus. Contendunt etiam Tertullianus, Augustinus, & Orosius Romam figuratè Babylonem appellari, tum quòd regno superba, Sanctos, 1. Christianos ab initio debellarit, tum etiam quòd condita sit Roma velut altera Babylôn, cum regnum Assyriorum euerteretur. Alteram istam rationem assignat Beda. Babylonem typicè Romam dicit propter cõfusionem idololatriæ: de qua verè dicit Leo Papa, quòd omnium gentium seruiabat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, cum nullam referret falsitatem.

Quærent porrò Hugnostici: *Quid de Roma sentiendum fidelibus, si temporibus Apostolorum Babylon*

Ioan. 5.
Luc. 24.
Act. 10.
I. Petr. 1.
Math. 3. &
17.
Act. 1. 2. 3.
Ioan. 16.

Mat. 16.
Act. 4. 5. 6.
2. Tess. 2.
Act. 15. &
16.

L. 2. hist. c. 24.
L. de script. eccl.

Lib. adu. Iud. c. 9.
L. 18. ciuit. c. 22.
L. 7. c. 2.

Ser. de nat. Petri & Pauli.

Gualtherus. Vuolpius.

fit? Quid hodie dicemus? Vide Hieronymum. Nec vos recta monentes aspernamur, boni viri: sed D. Hieronymum Romam his compellantem exaudimus. Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata, &c. Nec nos later eundem aliquando in eam stomachatum fuisse, quorumdam improborum laceffitum iniuriis: sed quid postmodum de Ecclesia illa, sedato animo iterum scripserit, attendamus. Romanæ plebis laudatur fides, testimonio videlicet Apostolico. Vbi alibi tanto studio & frequentia ad Ecclesias, & Martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitru, Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ: sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum. Idem alibi. Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & Martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, & Gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum. Idem rursus. Simon Petrus, princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochenis Ecclesiæ, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram sacerdotalem tenuit vsque ad vltimum annum Neronis. Rursusque Idem. Quisquis es assertor nouorum dogmatum, quælo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apost. voce laudata est. Et iterum. Athanasius

L. 2. adu.
Iohann.

Rom. 1.

Pref. l. 2. in
Epist. ad
Galat. 15.

Ep. ad Marcellam.

L. de script.
Eccl.

Dialog. contra
Iulij.

Ep. ad Primitiam.

& Petrus Alexandrini Episcopi persecutionem Arrianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerunt. Iterumque. Illud te pio caritatis affectu præmonendâ puto, vt sancti Innocenti (Papæ) qui Apostolicæ Cathedræ successor est, teneas fidem: nec peregrinam doctrinam recipias. Idem rursus. Faceat inuidia, Romani culminis recedat ambitio, cum successore Piscatoris, & Discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communionem confocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Idem denique. Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias (hæreticorum) non recipere, (etiam si Angelus aliter annunciet quàm semel prædicatum est) Pauli autoritate munitam non posse mutari, &c.

Sequitur vestra consilia, viri Zuingliani, B. Hieronymi opera perlegi, consideravi, expendi, & prætermisiss multis aliis, hæc tantum nouem eius de Romana plebe, sede, ac Ecclesia, adfero testimonia, ne nausæ molestiam suscipiatis. His autem video sanctissimum Ecclesiæ Latine doctorem, in Asia constitutum, perhonorificè de Romana fide & Ecclesia sensisse atque scripsisse, vt potè, quod fides eius ab Apostolo laudata non possit mutari: super hanc fundatam Ecclesiam: huic cathedræ adhærescendum: hanc

Ep. ad Demetriadem.

Ep. ad Damascum.

Inuestina 3.
adu. Russ.

tutissimum esse afflictis per hæreticos Catholicis viris portum : Pontificis eius Petri successoris, fidem tenendam : Petrum illic sacerdotalem tenuisse cathedram : ibi templa dæmonum vacua : Christi verò nomen sublime : Christi veram confessione : Christi non esse, sed Antichristi, qui extra communionem illius degit : Christi fide atque confessione priscas idololatriæ & Babylonis blasphemias ercessisse, &c. Quid ergo ex Tiguro, Berna, Geneua, Heidelberga, Viteberga, & cæteris confusions vestræ sacramentariæ turribus, in illam tam furenter irascimini? Tanta rabie in eam inuaditis? Clarissimum & sanctissimum nomen eius fictis conquistisque deformatum vultis inducere? Redite potius præuaricatores ad cor, & matrem agnoscite, colite, sequimini : & bene vobis cum D. Hieronymo cæterisque sanctis viris conueniet. Ad Apostoli literas redeo.

Dùm Romæ electam Ecclesiam fuisse commemorat, idque Nérone imperante, Christi profectò summam potestatem, mirabilémque prouidentiam animis nostris contemplandam obijcit : quandoquidem ouile suum in luporum omnium sæuissimi domo lustróque collocaret ; & iuxta prophetiam, in medio inimicorum suorum dominaretur. Quinetiam in eiusdem Neronis aula conspectu fideles suos seruaret. vt ex Paulo eos qui de Cæsaris domo erant, salutante, cuius apertum est. Sic & hodie in media Constantinopoli Turcarum regia, in Ierosolyma, in Alexandria, in Cayro, in Damasco, in Perfide, in India, in Tartaria, id est, in medio

*Matth. 10.**Psal. 109.**Philip. 4.*

infestissimorum hostium Christiani nominis, plurimos Christianos vigere, Christum Deum credere, inuocare, & palam colere voluit. Ita data est ei omnis potestas in cælo & in terra. A solis ortu ad occasum vsque magnum facit nomen suum in gentibus, & possessio eius omnes fines terræ, &c.

*Matth. 28.
Malach. 1.
Psal. 2.*

Nec simpliciter electam, sed coelectam Ecclesiam Romanam dicit, id est, simul vobiscum à Deo electam, vestræ ad gratiam & salutem electionis consortem, Inde verò Petrus ostendit, arctissimam esse inter omnia Christi membra, id est, inter vniuersos veros Christianos diuinorum beneficiorum communionem. Rursúmque, Asianorum animos magis ac magis in suscepta pietate confirmat, adfirmans eos qui in Europa, adeoque Romæ (quæ mundi caput) erant, eiusdem secum doctrinæ, religionis, & gratiæ diuinæ participes esse.

Et Marcus filius meus.

Hæc particularis est salutatio B. Marci, quem dilectionis & honoris causa filium suum nominat. Potest hoc & ad institutionem in fide referri : sic enim Paulus Onesimum in vinculis, Christo à se genitum, filium appellat : insuper, Timotheum ac Titum filiorum habet loco, quòd eos Euangelij prædicatione vitæ aternæ peperisset : & Corinthios scribit se in Christo genuisse. Eundem Marcum appellat quoque consobrinum Barnabæ. Atque hunc volunt eum esse, qui cum Romæ scripisset Euangelium, & illud ipsum Petrus,

*Ad Philim.
vers. 10.
I. Tim. 1.
Tit. 1.
I. Cor. 4.**Coloss. 4.*

sua autoritate probasset, dedissetque legendum Ecclesiis, missus fuerit ab eodem Petro in Alexandriam Ægypti: quin & eundem in Libia & Pentapoli Euangelium prædicasse, testificatur Athanasius. Basilus quoque testis est, eum Alexandrinam Ecclesiam constituisse. E V S E B I V S denique scribit illum octauo Neronis anno, fortissimo occubuisse martyrio.

Confirmat autem istis & Christianum inuicem salutandi officium: & Marci sectatoris sui exemplo docet, iuniores Theologos veteribus ac præceptoribus suis, eruditione, pietate, & rerum diuinarum vsu præstantibus libenter adherere: nec ab horum doctrina & traditionibus temerè dissentire.

14. *Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo I E S V. Amen.*

Vult salutationem quæ est charitatis officium, confirmari expresso symbolo sancti osculi, de quo tibi copiosè scripsimus. Vocat autem illud *sanctum*, siue vt Græci legunt *charitatis*: cum ad distinctionem mundani & lasciuui osculi, tum vt animorum sinceritatem, pietatem, puramque charitatem huiusmodi ritu externò comprobaret. Coarguuntur quidem & iurè damnantur suaui venerea, quæ ex carnis libidine ortum habent: sed laudantur charitatis officia, quæ ab animo pio, honesto, & candido, id est, à Spiritu sancto profisciscuntur.

In synopsi.
l. 5. adu.
Ennom. in
Chron.

Com. in lib.
Ruth.

Accedit, quòd Orientis mos erat, vt salutationi pudica & amica iungerent oscula. *Genes. 27.*
Nam Isaac filium suum Iacob benedicturus, *Genes. 29.*
osculatur eum: Iacob Rachelem: Laban filio *Genes. 31.*
& filias suas: Esau aduenientem Iacob: Ioseph *Genes. 33.*
fratres suos: Aaron Moyssem redeuntem: *Genes. 45.*
Moyses ipsum Iethro focerum suum, & c. *Exod. 4.*
Quintiam Christus discipulos suos osculo excipere solitus erat, vt factum Iudæ proditoris *Exod. 18.*
fatis indicat: & hæc ad ingratum Pharisæum *Matth. 26.*
exprobratio: *Osculum mihi non dedisti, &c.* Paulus denique illius frequenter meminit. *Luc. 7.*
Rom. 16. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. 1. Thessal. 5. Ignatius martyr non semel in Epistolis sanctorum osculorum meminit. Iustinus & ipse martyr hæc de illis scribit: Precibus finitis mutuo nos inuicem osculo salutamus. Origenes autem: Mos in Ecclesia traditus est, vt post orationes, osculo se inuicem suscipiant fratres. Tertullianus nominat illud, Signaculum orationis. Et Cyrillus Ierosol. de eodem ait: Hoc osculum animos mutuo conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet. Augustinus denique: Post orationem Dominicam, dicitur, Pax vobiscum, & osculantur se inuicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia: id est, quomodo labia tua, & labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde illius non recedat, & c.

Claudatur denique Epistola breui sed feruentissima Petri, Gratia, seu Pacis vt habent Græci, Christi comprecatione. Sic & Paulus

563

*Genes. 27.**Genes. 29.**Genes. 31.**Genes. 33.**Genes. 45.**Exod. 4.**Exod. 18.**Matth. 26.**Luc. 7.**Epi. ad Antioch. & ad Tarsens.**Apolog. 2.**In cap. 15.**Rom.**L. de orat.**Catech. 5.**Serm. 83. de diuersis.*

164 COM. IN C. V. EP. I. D. PETRI.
 frequenter scriptis suis hac coronide finem
 imponit: *Gratia Domini nostri IESV Christi sit
 cum omnibus vobis. Amen.* Ecquid vtilius, præ-
 stantius, aut salubrius aut illi nobis precari
 possent, aut nobis exoptare? *Pax Dei*, ait Paul-
 us, *quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda ve-
 stra, & intelligentias vestras in Christo IESV. Do-
 mine, da nobis hanc pacem, quia nobis bona
 cuncta præstabis, si pacem dederis mentis &
 corporis, Amen.*

Rom 16.

Philip. 4.

Loci communes vberius tractati.

1. De aterna Dei electione. pag. 12. 13. 14.
2. De causis eius. 24.
3. De fructibus. 26. 27.
4. Vita aterna descriptio. 52. 53.
5. Fidei multiplex probatio. 74. 75. 76. 77.
6. Fides differt ab obedientia. 128. 129.
7. De sanctitate Dei. 133.
8. De sanguinis Christi efficacia, & incorruptibili-
 tate, aduersus Caluianos. 151. 152. 153.
9. Christus vterus Adamo non delinquente. 160. 161.
10. De verbi Dei virtute ac efficacitate aduersus Be-
 zanos. 178. 179. 180. 181.
11. De Sacerdotio externo in Ecclesia. 221. 222. 223.
12. De descensu Christi ad inferos. 383.
13. Quod Christus secundum carnem, & non se-
 cundum diuinitatem sit passus. 405.
14. Contra vinolentiam & Comestationes. 418.
15. De persecutione pro Christo constanter perferenda.
 457.
16. De officio Pastorum Ecclesia. 502.



INDEX

RERVM INSIGNIORVM

QVÆ IN HOC COMMENTA-
 rio continentur,

A



- A**BNEGANDA est propria vo-
 luntas nostra. pagina. 33
 Accessus ad Deum quam
 peruius ac facilis. 209.
 210
 Adolescentium bene morato-
 rum exempla. 524
 Adolescentula mulieris des-
 criptio ex Zenone. 335
 Aduena qui censendi. 16.
 & 17. Quomodo sancti
 sunt aduena, & tamen do-
 mestici Dei. 18
 Aduersis fides nostra proba-
 tur. 78
 Adulteria & fornicationes
 à Deo punita. 321. 417
 Affectus, oculis persæpe at-
 tributi. 355
- Afflicti non debent de pro-
 prijs viribus confidere. 491
 Afflictiones & persecutio-
 nem qualibet, non nisi Deo
 volente & consentiente ad-
 ueniunt. 490. & seq.
 Ambitiosi redarguntur. 10.
 117. 247
 Angeli providentia Dei mi-
 nistri. 63. à nobis hono-
 randi & inuocandi. 63.
 64. 116 Christi contem-
 templatione beati, 110. 111.
 eiusdem præuisis meritis
 sunt præseruati à lapsu.
 ibid. Opera & miracula
 Christi fuerunt eis miran-
 da & iucunda. 112. 113
 quid in eo præstabunt. 114.
 Aduentum eius ad Iudi-
 cum uidere peroptant. ib.*

- Sanctorum pro Christo certaminibus mirè delectantur.* 114. 115. plurimum nos amantes, à nobis redamari debent. 116
- Angelos peccatores Christus non redemit.* 164
- Animæ rationalis desiderium solo satiatur Deo.* 88. huius nomine totus homo designatur. 88. & 89. Cur ei tribuuntur membra corporea. 118
- Animarum in altero seculo proprietates quædam.* 431.
- Animo non credendum tantummodo, sed etiam verbis, ore, & factis.* 365
- Apostata multi tam veteres quam noui.* 75
- Apostolorum munera.* 5. Cur nomina scriptis suis præfixerunt. 7. quam dignum sit horum officium. 10. de propria, & aliorum quorundam electione & salute fuerunt securi. 14. & 15. Quomodo hic potuerunt esse beati. 18. & 19
- Arca Noë familia Christi comparata.* 394. Ecclesiæ typus fuit. 325
- Asia minoris descriptio.* 21
- Aula nunc Epicureismum respiciunt.* 189. 191
- Auaritia idololatria est.* 419
- Auaritia Pastorum gregis Christi reprehensa.* 508
- Aurum & argentum nihil per se ad salutem hominum conferunt.* 148. aliquando magis obsunt. 149
- Auxilio mutuo inuicem egēt Christiani.* 449

B

- B** *Abylonis nomine Roma intellecta in prima D. Petri epistola.* 556
- Baptismi effectus.* 27. 28. per hunc Deo renascimur. 42. 43. Omnino mirabiliterque renouamur. 43. sine hoc omnes pereunt. 47. nullus omnino est absque verbo Dei. 176. Quanta sit eius præstantia. 244. 245
- Baptismi ceremonia ad sensus mysticos relata & explicata.* 399
- Baptismi lauatio quantum à cæteris lautionibus differat.* 396

- Baptismi necessitas summa ad salutem consequendam.* 399
- Beatitudo spei tribus modis in nobis confirmatur.* 18. & 19
- Beatus Marcus à D. Petro filius vocatus.* 561
- Benedictio tribus modis efficitur.* 38. homo homini quomodo benedicat. 39. quo pacto Deus benedixit hominibus; & homines Deo. 39
- Bellum inter genus humanum & diabolum cur Deus permiserit.* 541
- Beza calumniator aduersus totam Ecclesiam.* 261
- Beza ineptia refutata.* 504
- Bitinia descriptio.* 21
- Blasphemi coarguuntur.* 41. 214. 240
- Blasphemia Caluini in Christum, refutata.* 299
- Bonus licet seruiat liber est, malus etiamsi regnet seruus est.* 280
- Bonus per antonomasiam Deum significat.* 359
- C** *Caluiniani virtutem fidei cum obedientia confundentes refelluntur.* 127. 128. impietates eorum aduersus sancti. Trinitatem confutantur. 140. 141. omnem Dei timorem de cordibus hominum tollunt. 144. duobus præsertim modis sanguinem Christi blasphemant, & coarguuntur. 151. 152. 153. 154. 155. Errant contra Christi perfectam resurrectionem. 168. liberi arbitrii virtuti nequiter contradicunt. 172. 173. reliqua vide in vocibus hæretici, & hugnotici.
- Calumniatores quæ potissimum ratione conuincendi.* 263. 268.
- Calumnia contra Christianos.* 261. 262. 267.
- Capite seu duce errante, facile reliqui suo desunt officio.* 498.
- Cappadocia descriptio.* 20
- Carnis humane quam vilis origo, quantaque corruptio.* 182. 183. 184.
- Castitati diligenter studendum.* 117. eius perpetui honore uij

stes heretici.
 Cerui quomodo gregatim flumina tranant & pertranseant. 339
 Charitas mutua inter Christianos esse debet. 438. 440
 Charitas tribus modis operire peccata dicitur. 442. 444
 Charitas viro christiano penitus necessaria. 173. 174
 Christiani cuiuscunque ordinis Magistratui obedientiam prestare debent. 267. 269. 272. 277.
 Christiani orare debent pro Imperatoribus & Regibus. 285.
 Christiani quomodo & quo sine orent. 269
 Christiani antiqui, osculo frequenter sese excipiebant. 563
 Christiani sūt portio in Christo, & caro & sanguis. 493
 Christianorum fors est ut probentur & proficiant. 80.
 horum persecutiones prophetis reuelata, & ab eisdem predicta. 100. Illas ut proprias sibi Christus reputat. 100. Illi profes-

sionem suam pijs moribus debent exornare. 132. 133.
 Tria presertim horum vitæ præcepta. 170. quotidie crescere debent in studio pietatis. 202. 203. nomen hoc utile & gloriosum. 205. 206. Illi sunt lapides viui. 218. sibi ipsis cohæreant. 218. 219. Omnes Christiani una domus sunt spiritualis. 219. horum eximie dignitates. 241. 242. 243. gens sancta. 248
 Christi Iesu summa dignitas. 10. in d. Petrum, & alios peccatores insignis gratia. 11. & 12. ille est Deus æternus. 26. plurima & sibi nobis meruit. 30. obedientia eius fuit interna & externa. 31. mors & merita eius nobis attentè meditanda sunt. 32. Maximo prætio salutem nostram comparauit. 33. quid à nobis exigit. ibid. vndique ad sanguinem eius nobis est confugiendum. 34. sanguinis eius effusio multis modis olim præsignata.

34. & 35. ultimus eius aduentus spectabilis & gloriosus erit. 81. perfecta sanctorum gloria in illud tempus differtur. 81. Ille toto Corde diligendus. 84. multa nos ad id obligant & prouocant. 85. primus aduentus tempore pacis. 96. passiones viriliter reuelata prophetis. 98. Item posteriores gloriæ. 101 meruit humanitatis suæ glorificationem. 102. duo diuersi aduentus eius. 105. est finis & scopus prophetarum. 106. eius contemplatione beati sunt Angeli. 110. aduentum eius omnes sancti desiderant. 114. in persecutionibus inuenitur à sanctis viris. 115. verè lux mundi vocatur. 130. iudicabit secundum opera. 143. in eius sanguine fons & salus omnium hominum. 151. 152. 153. cur comparatur cum agno immaculato. 156. sanguis eius non computruit in terra. 153. 154. 155. præces ad eum directæ.

157. iuris eius sumus, non autem nostri. 157. humo est completus & perfectus. 158. venisset etiam in mundum Adamo non peccante. 160. 161. multis modis manifestatur propter nos. 164. 165. seipsum quoque suscitauit à mortuis. 168. alio ab alijs sine resurrexit. 168. gloriam resurrectionis suscepit à patre. 169. verè verisique Deus est. ibidem. Verbum Dei permanens in æternum. 185. 186. eius nomen quid designet. 205. 206. quanto studio huic semper adhærescendum. 208. 209. quomodo lapis viuus. 210. 211. à Iudæis reprobatus. 212. 213. à Patre multis modis honorificatus. 215. eius merito & intercessionem tam nos, quam oblationes nostræ sunt grata Deo patri. 225. 226. quomodo lapis angularis ac electus. 230. 231. electus est pretiosissimus. 232. quanto honore suos afficiet in iudicio. 234. terribilis impijs

INDEX.

in iudicio. 238. *quare lux mundi.* 251. *bona per eum nobis contigerunt.* 253
Christi gloria quomodo B. Petro communicata. 501.
Christi passio duplici nomine commemoranda. 406. & sequen.
Christus cur passionem acerbiſſimam sustinuerit. 306. 309.
Christus fidelibus est causa salutis, infidelibus autem improprium. 390
Christus fleuit, non tamen risit. 298
Christus pastor plerunque in sacris literis vocatur. 516. & seq.
Christus quomodo nos offerat Patri suo. 380
Christus sequendus est à quocunque Christiano. 295. 303
Christus sua passione quinque potissimum meruit. 400. & sequen.
Clericus deponendus, ab Episcopo solum deponi debet. 514
Clericus negotiator tanquam pestis fugiendus. 509

Comites vera pietatis & doctrina quinam sint. 374
Concionatorum officium. 11. *quid de aeterna dilectione coram populo inculcare debeant.* 15. & 16
Ex sacris doctrinam suam confirmant. 227
Coniectura quaedam sunt de aeterna dilectione. 15
Consolatio maxima in afflictionibus. & persecutionibus. 375
Constantia in fide & spe omnino necessaria. 124
Conuicti & ledendi sese inuicem nullus finis est. 360
Corpora nostra etiam suo modo per baptismum regenerantur. 43. 44
Cruelitas absit à viris Christianis. 198
Cultus veri Dei in familia Noë tantum erat tempore diluuij. 393

D

Demonum fraudes & tentationes varia. 71

INDEX.

Diaconorum munus & officium. 450
Diabolus nihil potestatis habet in seruos Dei, absque ipsius permissa. 491
Diabolus, quid significet. 537. *eius summa malitia & nocendi cupiditas.* 538, *eius subtilis ad decipiendum netia.* 539
Deliciae spirituales plurimum distant à terrenis. 54
Desideria quae dicuntur carnalia. 254. 255
Desiderium multiplex. 112
Desperantes grauius & turpiter delinquant. 122
Detractio grauisimum peccatum, ideoque diligenter cauendum. 194. 195
Deus solus debet esse pavor & terror hominis Christiani. 362.
Deus quomodo conueniendus. 34. *qui olim Deus Abrahæ, nunc pater Domini nostri Iesu Christi dicitur.* 42. *eius diuina conseruationis causa.* 59. 60. *Non sinit hostes seruorum suorum in vos sanire quatum cupiunt.* 62. *non deserit illos qui proprietate affliguntur.* 69. *suos maxime liberat, cum eos ad se vocat.* 70. *de salute nostra valde sollicitus est.* 106. *inuocatio eius utilis atque necessaria.* 139. 140. *semper timendus est.* 144. *consilium eius de nostra redemptione aeternum est.* 159. *Bonitas & liberalitas eius sunt incomparabiles.* 161. *Deus viuens aeternus qui dicitur.* 179. *virtutes eius quales.* 250
Dilectio fraterna est necessaria. 174
Dilectio mutua inter Christianos debet esse feruens. 441.
Discipulis, pro dissolutis & irregularibus acceptum. 289
Disparare de Deo, omnium non est nec passim cui libet licitum. 368
Docenda quae sint ijs sacris Ecclesiae conuentibus. 451
Doctores & pastores diligenter audiendi. 108. *Cur eorumparantur cum matribus ac*

I N D E X.

<i>nutricibus.</i>	201	<i>Elcesaita inter hereticos com-</i>	
<i>Dolus quid, & quàm fugien-</i>		<i>putati.</i>	366
<i>das.</i>	191	<i>Electio Dei quid, aeterna est.</i>	
<i>Dominij duo genera.</i>	512	12. 13. 14. pauci sunt ele-	
<i>Dominium denegeturne Epis-</i>		<i>cti. 14. ab homine non est</i>	
<i>copis & Prælati.</i>	512	<i>curiosus inuestiganda. 13.</i>	
<i>Dulcedinis Dei quot modis ef-</i>		<i>est gratuitum Dei benefi-</i>	
<i>ficimur participes.</i>	206	<i>cium. 14. ignota est ho-</i>	
<i>Duo insignes & perdulces</i>		<i>mini viatori. 14. & 15.</i>	
<i>Christi tituli.</i>	314	<i>quibusdam coniecturis de</i>	
		<i>illa bene confidere & spe-</i>	
		<i>rare licet. 15. quid de ea</i>	
		<i>populo prædicandum. ibid.</i>	
		<i>eius causa efficiens, meri-</i>	
		<i>toria & finalis. 24. dif-</i>	
		<i>ferret à præscientia. 25. fru-</i>	
		<i>ctus ex eius consideratione</i>	
		<i>colligendi. 26. & 27. fi-</i>	
		<i>nis illius. 27. de illa nun-</i>	
		<i>quam præsumendum. 145.</i>	
		<i>non processit ex meritis no-</i>	
		<i>stris. 245</i>	
		<i>Elemosina pauperibus per</i>	
		<i>charitatem eroganda. 443</i>	
		<i>Episcopi nomen, continet no-</i>	
		<i>men & officium Presbiteri.</i>	495
		<i>Episcoporum & Regum quo-</i>	
		<i>modo distinguitur domina-</i>	
		<i>natio. 513</i>	
		<i>Epistolæ huius primi capitis</i>	
		<i>partes. 1. propositio gene-</i>	

E

Ebrietas demon est volun-
tarius animatus nostris
inditus. 418
Ebrietatis & crapula incom-
moda. 535
Ecclesiarum rectores à quibus
potissimum vitij debeant
abstinere. 510. & seq.
Ecclesie in terra peregrinan-
tis conditio. 21. per rotum
orbem expanditur. 22. per-
secutionibus semper subij-
citur. 22. & 23. Deum
protectorem habens vinci
non potest. 228. nomine
Sionis significatur. 229.
inuis omnibus suis hosti-
bus semper erit Catholica.
239.

I N D E X.

<i>ralis, sine titulus.</i>	116	<i>suas habet atates. 204.</i>
<i>Erasmus reprehensus in sua</i>		<i>eius confessio loco & tem-</i>
<i>interpretatione.</i>	364	<i>pore necessaria. 250. lu-</i>
<i>Exempla verè pœnitentis ani-</i>		<i>men admirabile. 251</i>
<i>mi & peccata sua abijcien-</i>		<i>Fides charitate subniti debet.</i>
<i>tis. 410</i>		439
<i>Exprobationes Gentilium in</i>		<i>Fides firma tutissimum est</i>
<i>Christianos. 368</i>		<i>præsidium contra Damo-</i>
<i>in Eucharistia panis & vini</i>		<i>nes. 543</i>
<i>substantia, verbi Dei vir-</i>		<i>Fides nulla est nisi eam comi-</i>
<i>tute, verè transit in corpus</i>		<i>tetur per seuerantia. 552</i>
<i>& sanguinem Christi.</i>		<i>Fides vera & Religio qua-</i>
179. & 180.		<i>nam sit. 555. & seq.</i>
		<i>Fidei nostra ratio cuiuslibet red-</i>

F

Fides quàm utilis & ne-
cessaria, 69. quomodo
& quare probatur à Do-
mino. 74. 75. 76. qua-
le eius fructus. 77. exi-
mium donum Dei est. 82.
Rerum est quæ rationem
& sensus humanos supe-
rant. 83. quedam eius ca-
pita. 84. illius scopus vi-
ta aeterna. 88. sola non
sufficit ad iustitiam & sa-
lutem. 90. per Christum
nobis hoc donum confertur.
166. Requirit consensum
voluntatis humanae. 167.

G

Gaudium spirituale do-
num Dei est. 65. aliud
est huius seculi, aliud fu-
turi. 67. sanctorum est
ineffabile. 68. p̄ gaude-
re debent. 69. quantum
cæleste distat à terreno. 86.
87.
Galatia descriptio. - 20

Gentes in locum Iudaeorum
 vocatæ. 241. 242. olim fue-
 runt non populus. 253
 Gloria non sibi quaerenda, sed
 ad Deum referenda. 456
 Gratia Dei cunctis opibus an-
 teferenda. 16
 Grex Christi sponte & non
 coactè pascendus. 507. sed
 cum humilitate. 510
 Gulæ incommoda. 120

H

Hereditas quid, & cur
 vita aeterna sic appella-
 tur. 32. quomodo caelestis
 à terrena differat. 53. om-
 nino secunda est. 54. &
 55.
 Hæretici supponunt falsas scri-
 pturas. 7. sacras deprau-
 nant. ibid. nomina pro-
 pria immutant, nobili-
 tates sibi confingunt. 9.
 non sunt missi à Deo. 11.
 veteres hæreses instaurat.
 ibid. impudenter calumnia
 illorum repelluntur. 12. ho-
 rum malitia vera fides
 examinatur & lucefcit.
 76. & 78. frustra de sola

fide gloriantur. 90. im-
 pudici ac incestuosi. 109.
 Epicureismum introducunt.
 137. omnes malitiosi. 191.
 horum sermones dolosi ac
 exitiales. 200
 Hæretici prius se immani
 aliquo fascino coinquin-
 nant quam à recta fide de-
 ficiant. 371
 Hærescon incommoda. 22.
 129. 130. 136
 Hominum cōditio extra Chri-
 stum misera & exitiosa.
 313
 Hospitalitas Christiano com-
 mendata esse debet. 445
 Hospitalium virorum exem-
 pla. 446.
 Hostibus multis expositi su-
 mus. 60. 61
 Hugnostici doctrinam de gra-
 tia Dei deprauant. 37.
 errant cōtra peccatum ori-
 ginale. 46. 47. frustra
 contradicunt venerationi
 & inuocationi sanctorum
 Angelorū. 63. 64. vigi-
 lysque & disciplinis Mo-
 nachorum. 73. & præ-
 miijs gloriaque sanctorum.
 81. horum error contra me-

vitum Christi coarguitur.
 102. pudenda sunt lasci-
 uia. 119. vanissima est
 eorum fiducia. 122. horum
 insania refellitur. 176. Dei
 sanctitatem blasphemant.
 133. atheismum introdu-
 cunt. 137. errores contra
 cultum & inuocationem
 sanctiss. Trinitatis confu-
 tantur. 140. 141. miseri
 sunt assentatores. 143. er-
 ror illorum cōtra indicium
 Christi refutatur. 143.
 Christum in multis repro-
 bant. 213. 214. turpiter
 errant contra sacerdotium
 Ecclesiæ. 220. 221. 222.
 223. frustra vociferant
 Ecclesiam defecisse. 228.
 præscientiæ Dei adscribunt
 peccata. 237. in Christum
 impingunt furiosè. 240.
 frustra latrant contra sa-
 cerdotum dignitatem. 245
 Hugnostorum axiomata. 505
 Humiles inuicem esse debent
 Christiani. 525
 Humilitate præditi, à Christo
 cumulatisimè remuneran-
 tur. 528
 Humilitatis vera fructus seu

effectus duodecim. 529

I

Idolorum cultus viro Chri-
 stiano fugiendus.
 Ignati diffidentia de se ipso,
 ad perferendas pro Christo
 persecutiones. 502
 Infantium imitanda simpli-
 citas. 196. 197. imperfe-
 ctiones fugienda. 197.
 198
 Inuidia peccatum diabolicum.
 193. eius incommoda.
 Inuocatio Christi. 49. Dei
 quam necessaria & uti-
 lis. 139. & seq.
 Iudaeorum multæ dispersiones.
 20. festa cur à Deo reiecta.
 136. supercilium repressum.
 163. in Christum improbi.
 212. 236. 237
 Iudices instituti à Iosaphat,
 quomodo ab eo cōmonefacti.
 455
 Iudicia humana maximè à
 caelesti doctrina distant.
 350.
 Iudicium Dei meditari perui-
 lè. 142. 143. 145. fiet uni-
 cuique secundū opera. 143

Iudicium Dei de nobis, duplex iuxta Bedam. 481
Iusti cur lapides vivi. 220
Iustinus martyr quomodo sit Christianus. 266
Iustitia partes duæ à nobis sectandæ. 189
Iustus cur tam difficulter & laboriosè saluetur. 487
Iuvenes quid debeant præstare senioribus. 520

L

L *Ac in sacris quid designet.* 198. 199. 200. 201
Legum duas esse species. 287
Liberos oportet parentibus obedire. 125. *immorigeros multos Deus coercuit.* ibid.
Libertas Christiana quanam sit. 278. 279. 280
Liberum arbitrium cum gratia Dei operatur. 170. *aduersus hæreticos assertitur.* 237
Lingua potissimum compescenda homini Christiano. 352
Luxus martyr ad supplicium

condemnatu gratias agit iudici. 433
Lumbos succingere quid sit. 117. 118
Lutherus cum satana familiaris. 128 *discipulorum eius sycophantia refellitur.* 137.
Luxus mulierum in scripturis damnatus. 324

M

M *Magistratus verus quanam sit.* 271. *ipsum officium.* 272. *finis institutionis.* 275
Malitia quid sit, quantum fugienda. 189. 190. 191
Mandatorum Dei alia sunt affirmantia, alia negantia. 353
Marloratus Rotomagi de ligno pependit ob seditionem commotam. 289
Martyrem pœna non facit sed causa. 292
Martyres cur ita vocentur. 499.
Martyrium pro Christo cupienti quid sit necessarium. 363
Meditatio D. Augustini super

super passione Christi. 408
Merces homini duplex non datur, in isto nempe, & in futuro seculo. 516
Meretricibus solis florida vestes permissæ apud Lacedæmonios. 330
Meritum Christi omnium hominum salutis causa. 29
Misericordia Dei multis modis dicitur, & reuera est magna. 48
Modestia in viro Christiano requisita. 370
Modestia maxima sancti Petri. 498
B. Monica irato viro non nouerat resistere. 361
Monstra vitæ humana. 515
Mors non timenda Christiano, quatenus eum ducit ad immortalitatem. 402
Mundi huius instabilitas & inconstantia. 434
Mundus nihil continet permanens & stabile. 55. 57. *quanta eius cecitas & amentia.* 216. *qualis fuit ante aduentum Christi.* 251. 252.
Mulier fucata templis Idolorum similis. 330
Mulieres caput velare debent, præsertim in Ecclesia. 323. 325
Mulieres conuitia in viros suos cumulare non debent. 334
Mulieres prophetia dono honorata. 339
Mulierum erga maritos suos officium. 317. 319
Mulierum imperfectiones tollerabiles dummodo castitatem seruent. 320. 321
Mulierum vitiosarum exempla. 331

N

N *ihil quod in nobis est nostrum est.* 448
Nomina sanctorum curæ sunt Deo. 2. & 3. illos mire honorificabit in iudicio postremo. 234

O

O *bedientia nobis necessaria. 32. exemplis id confirmatur. 33. suo iure hanc à nobis Deus requirit.* 127.

I N D E X.

Ody inter fratres exempla.
 345
 Opera bona fidei coniungenda.
 141. Orationibus conecten-
 da. ibid. piorum sua esse
 Deus profitetur. 229
 Optima bene viuendi regula
 qua sit. 410
 Orandum etiam pro persecu-
 toribus nostris. 493
 Oratio D. Augustini ad Deū
 Patrem de doloribus Christi
 Filij. 377
 Ornatus matronarum mode-
 stus & sobrius esse debet.
 322. 327. 333.
 Oscula consueta dari à salu-
 tantibus se inuicem Orien-
 talibus. 563

P

Papistarum nomen hæ-
 reticis ignominiosum,
 Christianis honorificentif-
 simum. 444
 Paradisi gloria quibusdam ti-
 tulis descripta. 331
 Pardalis aduersus hominem
 inimicitia. 537
 Parocia quid sit. 145
 Passio Christi frequenter Chri-

stianis meditanda. 307
 Passio Christi uniuersa ad
 corpus humanum referenda
 est. 405
 Passiones & persecutiones ius-
 torum ad iudicium Dei
 pertinent. 483
 Pastor pro oue perditā plecte-
 tur in Dei iudicio. 518
 Pastores quomodo debeant suo
 muneri incumbere. 506
 Pastoris nomen sacerdotibus
 & Regibus accommoda-
 tum. 502. & seq.
 Pati propter Christum, & pa-
 ti propter delicta propria
 quantum differrant. 362
 Patientia Christi maxima.
 301.

Pater & Spiritus sanctus car-
 nem non gestarunt, contra
 Valentinianos. 383
 Patria nostra ubi sit. 257
 Patria nostra paradisi est.
 146. pecuniarum deside-
 riū multum exitiosum. 149
 S. Paulus Christi stigmata
 in suo ferebat corpore. 499
 Paulus stimulo carnis cupit
 liberari. 258
 Peccata quinque praesertim
 fugiamus. 188. 189. 190

I N D E X

à Peccatis tam occultis quam
 manifestis cauendum. 259.
 260.
 Persecutiones Ecclesiae nō con-
 tingunt prater scientiam &
 voluntatem Dei. 23. quo-
 modo breues & leues dicantur.
 72. non sunt accersenda à nobis.
 72. 73
 Persecutiones pro Christo pa-
 tienter ferenda. 457. 459.
 rationes cur ita debeamus
 perferre. 460. & seq.
 Persecutiones pro fide Christi
 alacriter ferenda. 374. 376
 Persecutiones quare constanter
 debeat Christianus perferre.
 363.
 Petrus Apostolus, trenōmius
 fuit. 1. cur ita. 3. fundamen-
 tum secundarium Ecclesiae.
 3. 4. Cephas etiā dictus est
 4. cur se apostolum vocat.
 5. & 6. tribus de causis
 nomen suum praefigit huic
 epistola. 7. & 8. verba
 eius magnificienda. 6. eius
 singularis modestia. 9. non
 usi verba Dei propanit. 11.
 magna eius de quibus sibi
 commissis sollicitudo. 23. in-
 signis moderatio. 356

Pij hominem cū auro frequen-
 ter collati in sacris litteris.
 458
 Plinius secundus iussu Tra-
 iani inquit in Christianis.
 265
 Pœna non facit martyrem sed
 causa. 376
 Pœna à Deo ipso sceleribus
 constituta. 276
 Pœnitentia. 28
 Pantis descriptio. 20
 Potestas summa Christi, quod
 Ecclesiam suam Romæ stabi-
 lierit, etiam sub sauisimis
 Imperatoribus. 560
 Præcepta seruanda ut ad Pa-
 radisi gloriam perueniamus.
 351. & seq.
 Prædicatorum verbi Dei offi-
 cium & munus. 451. & seq.
 Prædicatoribus ex officio in-
 cumbit peccata hominum
 palam arguere. 303
 Prasbyter nomen est officij po-
 tius quam atatis. 495. &
 sequen.
 Præscientia Dei differt ab ele-
 ctione. 25. aeterna est. ib. eius
 consideratio multas fructus
 parit. 26
 Preces aduersus diabolum,

humani generis hostē. 540
 Promissiones diuinae miraculis confirmata. 69
 Prophetarum antiqua studia & desideria. 91. horum libris diligenter incumbendum. 92. re ipsa fuerunt christiani. ibid. à Spiritu sancto edocti & inspirati. 95. quæ & quanta de Christo scrutati sunt. 96. 97. quid ijs reuelatum. 96. horum pia vota. 97. rebus & verbis prophetarunt. 98. horum scripta, ad Christianos etiam pertinet. 103. & 104. non minus beati in calis quam apostoli. 106. Christus scopus illorum. ib. libri magnificandi. 107.
 Propitiandi sibi Dei ratio. 358
 Providentia Diuina de nobis. 532
 Proverbia in proprij mali aucthores. 361
 Puritas cordis necessaria: & è calis postulanda. 170. 171. eidem præ cateris studendum. 171

Ratio nihil prodest, si concupiscentia mens expugnetur. 259
 Regenerationis causa efficiens, finalis, ac exemplaris. 44. 45. illa pendet ex sola gratia Dei, non ex meritis hominū. 47. eius finis multiplex. 52. 53. 54. prima fit per baptismum. 176. secūda per verbum Dei. 176. huius varia exempla. 177
 Reges quo pacto omnes efficiuntur. 244. 245
 Regum maiestas & auctoritas. 273
 Religio non est assumenda propter commoda temporalia. 88. Christiana sola vera est. 90. & 207. omnium antiquissima & sanctissima. 92. ab æterno fuit in mente Dei. 162. per hanc efficiuntur verè Filij Dei. 126. sine hac omnia versantur in tenebris. 130. quedam habet nec passim nec cunctis euulgāda. 201
 Resurrectio Christi nostra resurrectionis exemplar. 45. utiliter & frequenter meditanda. 50. & 51. fiducia Christianorum. 123. eius causa efficiens. 167. pignus

& arrha resurrectionis nostræ. 169

Sacerdotium externū fuit perpetuū in Ecclesia. 220. 221. Sacerdotum propria officia. 22. Sacerdotiū spirituale ad omnes Christianos pertinet. 223. quale sit illud. 243
 Sacerdotij dignitas cum Principatu in quibusdam iuncta. 512
 Sacrificiū laudis debetur Deo. 39. ad hoc excitant nos omnes sancti. 40. & omnes ordines rerum creaturarum. 41
 Salus omnium pendet ex sanguine Christi. 151
 Sancti frequenter comparati cum auro & argento. 77. ab æterno fuerunt in mente diuina. 161. illos oportet hic affligi. 70. his iugiter cercandum. 71. horum fides probatur à Deo. 74. perfecta gloria in finem mūdi dilata. 123. illorū insonis humilitas. 9. & 10. in terra sunt peregrini & hospites. 16. & 17. illorum premia in terris latent, sed in celo patent. 64. 65. horum passiones & mortes sunt gloriosa. 102. hi à calumnijs hugnosticorū defensi. 74. eorum in calis amplissima sūt premia. 80
 Sanctificatio nostra quibus efficitur. 27. & 28
 Sanctificatos ad priora peccata non oportet redire. 130. cur id cauere debent. 147. 188
 Sanctitas Dei quæ & qualis. 133. quomodo hanc imitari iubemur. 134
 Sanctitati studiosè incumbendum. 56. hanc à nobis Deus requirit. 131. 132. omnis illa à Deo est. 134. in quibus consistit. 135
 Sanguis Christi omnium peccatorum remissio. 153. nunquam computruit in terra. 153. 154. cur pretiosus dicitur. 158
 Satan, Iudaorū, Syrorūque lingua, desertorem significat. 536
 Sathana sempiterna aduersus Ecclesiam amulatio. 264
 Scismatici & hæretici à Christianis procul abigendi. 344
 Scopus & finis fidelium. 367

Septem genera vitiorum, com- munia ijs qui ex Gentibus ad Ecclesiam Christi se con- uertebant. 412	coarguantur. 158
Servi Dei cur afflictiones per- petrantur.. 486	Superborum à Deo deiectorum exempla. 530
Servi suis dominis debent esse subditi. 286. 289	Sympathia debet esse inter Christianos. 344
Servitus peccati fugienda. 158. 189	T
Simulatio coarguitur. 192. 193	T emperantia, vigilia, & orationes Christiano necessaria. 436. & seq.
Sobrietas mentis. 120	Tempus religionis Christiane cur novissimum. 162. 163
Sobrietas laudabilis, & utilis ad multa. 119. eius sunt cõ- moda plurima. 120	Tentationes & persecutiones perpetue sunt in Ecclesia. 545
Sobrietas singulis in uniuersam commendata. 534	Tentationum à Deo proceden- tium exempla. 461
Sollicitudo triplex ex D. Tho- ma. 533	Timor Dei necessarius. 144
Spirituali gladio non abuten- dum. 454	idem valde utilis. 145
Spiritus sancti dona varia & multiplicia. 449	Servilis nõ est perfectus. 173
Spiritus sanctus invocandus 29. Prophetis multis modis adfuit. 95. per illos & per Apostolos locutus est. 104	Turca Ecclesiarum Orientis vastatores. 22. verũ Deum nec agnoscut, nec colunt. 42
perpetuus Ecclesie rector. 108. Deus est, & obiectum beatitudinis Angelorum. 110. 111	Christum reprobant. 213
Superbientes de nobilitate sua,	V
	V erbum Dei cur dicitur semen incorruptibile. 178. 179. mirabilis eius ef- ficacia defenditur adversus Besanos. 178. 179. 180
	aliud creatum & aliud in- creatum. 185. 186

Veteris & novi Testamenti summa est concordia. 93	reposita. 58. quare dicitur esse gratia. 122
novum tamen præstat. 99	Vita hominis est continuus ad mortem cursus. 436
utrumque varijs figuris de- signatur: & eundem Chri- stum proponit. 105	Vita honesta quomodo insti- tuenda. 266
Vir ab uxore sua Dominus vocari debet. 336	Vita humana quam labilis & caduca. 56. 57. & 145.
Vir perfectus qui dicatur. 87	exposita continuis periculis, tamen servatur à Deo. 59.
Viri sancti in mundo gaudere debent, & quare. 464	60. 61. Christiana vita præcepta tria. 170. à S. Hieronymo paucis descri- pta. 146. subiecta corrup- tioni. 182. & seq.
Viris sicuti nec mulieribus ca- pillum curare licet. 328	Vitiones inter Christianos pro- hibita. 347
Virorum erga mulieres offi- cium & munus. 337	Vnitas Ecclesie per Arcam Noë figurata. 398
divisum in quatuor partes 338. & seq.	Vocationis gratia, est primaria causa nostra salutis. 549
Virtuti propria considerare ne- mo debet. 539	Voluntas Dei, & desideria hominum, per antithesim simul collata. 411
Virtutis perfecta ratio qua- nam sit. 258	Vultus indignationis prætere indicia. 357
Vita æterna quatuor epithetis describitur. 52. 53. 54. qua- re dicitur hereditas. 52. in- comprehensibilis, & tamen secura. 54. pura & sancta. 55. 56. quomodo in calis	Vxores quæ lucrificerunt Chri- sto viros suos. 320

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 12. linea 25. cùm ista electio. pag. 24. l. 10. multiplicetur. p. 26. l. 2. probat. & l. 8. & 19. vigilas. p. 31. l. 6. sed etiam effectu p. 43. l. 20. spe & l. 22. demum veri. p. 53. l. 3. Christum. p. 54. l. 3. Vide. l. 6. talem. l. 20. excident. l. 23. immortalia. p. 55. l. 1. perdideram. pag. 58. l. 5. Nam si in terris. l. 22. diripiant. l. vltima, repositam. p. 61. l. 21. per Christum partam & paratam p. 63. l. 30. patrociniū. p. 65. l. 16. momentis. p. 66. l. 30. adierit. p. 68. l. 8. erāt. p. 74. l. 23. non quod eum. p. 75. l. 5. Iesum. l. 28. agnosceret. p. 77. l. 10. augustius. 78. l. 10. Est. p. 79. l. 24. celeberrimis. p. 80. l. 7. probantur. p. 83. l. 11. vt non tantum. p. 86. l. 18. ex cognitione. p. 88. l. 8. ne religionēmq; l. 14. immortalis. p. 96. l. 7. lege naturā. l. 13. moram. l. 26. qualiter. p. 110. l. 5. restringi. p. 105. l. 10. vnam. p. 107. l. 6. Gratis. p. 110. l. 3. prauisam. p. 112. l. 1. fatietas. l. 32. tam iucunda. p. 114. l. 18. flagrantissimis. l. 24. traditam. p. 119. l. 3. vt Lutherus. l. 13. abhorrere. l. 22. omnes. p. 123. l. 18. in miserijs. l. 21. meū. p. 125. l. 5. ratiocinationē p. 126. l. 3. à peccatis, vt porcos. p. 119. l. 14. obedientia. l. 28. non & in eos. p. 136. l. 15. si lubet. p. 141. l. 30. connectendum. p. 142. l. 20. extollet. p. 145. l. 30. vnus noctis. p. 146. l. 3. ad æternam. l. 25. puncta. p. 148. l. 8. ostentui. l. 20. quādoquidem. 153. l. 255. hanc. p. 155. l. 25. puluis es. p. 157. l. 26. traditus. p. 167. l. 2. non sic esse. p. 169. l. 8. amplificat. l. 17. claritas. 182. l. 30. cui sententiæ. 183. l. 30. mulier. 191. l. 30. alteri. 196. l. 2. hīc dicit. 197. l. 24. demissæ. 198. l. 4. nihili. 198. l. 33. captui. 199. l. 22. non difficile 205. l. 32. Christianos. 207. l. 6. terrenis. 208. l. 25. vnitionis. 217. l. 18. in seculis. 224. l. 10. Romanis. 228. l. 2. referti. 231. l. 24. quoniam. 237. l. 12. dilexerunt. 244. l. 4. sancti. 247. l. 30. Sacris. 256. l. 15. moderatio. p. 275. l. 25. Dominus. p. 279. l. 24. efficitur. 287. l. 29. seruiuit. 299. l. 25. dolos. 301. l. 18. Caluariz. 302. l. 8. Se. 323. l. 16. de tonsione. eod. l. 31. dele applicatione. 328. l. 27. excedent. eod. l. 32. Pulchrè. 343. l. 23. reliquarum. eod. l. 31. adhortatione. 345. l. 24. Ammon. 375. l. 6. Sequitur. 376. l. 16. dele est. eod. l. 23. viuos. 381. l. 1. perueniamus. eod. l. 29. resurrectio. 389. l. fin. improprium. 393. l. 1. exemplum. 394. l. 2. vt & 395. l. 7. eodem. 401. l. 28. deglutit. 407. l. 22. armari. 418. l. 26. Christianum. 427. l. 16. tam. 428. l. 21. Illicque. 433. l. 11. dele temporis. 434. l. 5. volubilitatem. 433. l. 18. repetam. 436. l. 3. animis. 441. l. 30. præstant. 442. li. 3. didicimus. 457. l. 26. subita. 460. l. 12. misericordes. 485. l. 28. discriminis. 486. l. 27. veritatis. 487. l. 28. passiones. 491. l. 10. discernēs. eod. l. 15. deputari ea. eod. l. 19. permisso 504. l. fin. terrere. 515. l. 29. infimus. 516. l. 6. Pastorum. 518. l. 12. ducta. 519. l. 25. non ad. 530. l. fin. de pignore. 533. l. 24. quadam. 547. l. 21. didicerant.

